This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Cæremoniale Parisiense

Digitized by Google

e libris Johannis Wickham Legg

1384 e. 17

Dec. 1921

in festo S. Thomae
a.S. MDCCCLX

Digitized by Google

CÆREMONIALE PARISIENSE

EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI in Christo Patris Domini D. LUDOVICI ANTONII *miseratione divinâ S. R. E. tit. S. Mariæ super Minervam Presbyteri Cardinalis* DE NOAILLES *nuncupati, Archiepiscopi Parisiensis, Ducis S. Clodoaldi, Paris Franciæ, Regii Ordinis S. Spiritûs Commendatoris autoritate, ac de Venerabilis ejusdem Parisiensis Ecclesiæ Capituli consensu editum.*



PARISIIS,

Apud LUDOVICUM JOSSE, Eminentissimi D. D. Cardinalis Archiepiscopi Parisiensis Typographum, viâ Jacobæâ, ad insigne Coronæ spineæ.

M. DCCIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

LUDOVICUS ANTONIUS

Miſeratione divinâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tituli S. Mariæ ſuper Minervam Preſbyter Cardinalis DE NOAILLES nuncupatus, Archiepiſcopus Pariſienſis, Dux ſancti Clodoaldi, Par Franciæ, & Regii Ordinis ſancti Spiritûs Commendator, Clero Pariſienſi

SALUTEM IN CHRISTO JESU.

QUOD *univerſo Iſraeli mandavit olim Deus, ut* audiret cæremonias, *eas* diſceret *&* opere compleret, *hoc in illa gente ſat intelligitur Levitis ſingulariter commendatum, cum Tribus hæc, cujus* pars & hæreditas *erat ipſe Deus*, Quicquid ad cæremonias pertinebat, *ſeu gerendum curaret, ſeu ipſa gereret.* Deuter. 5. 1. Num. 18. 20. Num. 1. 50.

Id verò officii, eorum, qui jam ſacris novo in fœdere præfecti ſunt, multò magis eſt, quam veterum illorum, qui futurorum *umbram & meram imaginem præ ſe ferrent.*

Sanctæ quidem priſcis illis Hebræorum temporibus erant cæremoniæ, quæ & ad verum Numen referrentur, & ab ipſo hanc ob cauſam eſſent conſtitutæ, verùm rudiores & minùs perfectæ, quæ carnem adhuc ſaperent & cruorem; Chriſtianæ ſunt longè puriores, & ad Deum in ſpiritu & veritate *adorandum aptiores; &, quò* notus *olim* in Judæa Deus *excellentiùs jam in orbe Chriſtiano dignoſcitur ac colitur, eò in id acuratiùs incumbendum, ut quæ divini ſunt cultûs ſtudioſè tractentur, ſeque totos in iis* dignè Deo *gerant ſacrorum adminiſtri.*

Si enim velit Apoſtolus, ut, in Conventibus Deo colendo conſecratis, agatur quod deceat, ipſumque quo par fuerit more & ordine componatur, ea lex in iis maxime vim habet, qua Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem

Digitized by Google

fiant. 1. Cor. 14. 40. *sacrorum spectant administrationem ibi obeundam.*

De or. Dominica. *Tum profectò potissimùm* sub conspectu Dei stamus, *inquit S. Cyprianus*, placendum est divinis oculis & habitu corporis, & modo vocis. *Templum Deus sibi dicatum passim in Scripturis* domum *appellat* suam; *cujus* decor, *ut* diligatur, *in cæremoniarum apparatu ornatè & competenter prosequendo magnâ ex parte sit positus.*

Franc. Richardotus Episc. Attrebat. in concione coràm Patribus Tridentinis habitâ. *Est quippe, ut cujusdam Præsulis, cum ad Tridentinos Patres verba faceret, vocibus utamur*, præclarus usus cæremoniarum in Ecclesia, idemque perneccessarius, modò scienter, attentè, graviter procures, quibus plebs & docetur, si eas explices, & afficitur, si religiosè serves: *Ea siquidem non modo ad honorem Deo exhibendum valent, sed & ad populos erudiendos, pietatemque ipsis instillandam plurimùm conferunt; eo nimirum illæ sunt consilio institutæ, ut altissima religionis nostræ mysteria cuique attentè perpendenti referant & quasi ob oculos ponant; Eaque, ubi perturbatè nihil in eas irrepserit aut inconsultò, sed in iis omnia compositè gesta fuerint & maturè, efficacissima sunt ad studium religionis in omnium animis accendendum incitamenta.*

Quàm verò cæremoniæ reverenter habitæ provocant ad pietatem, tàm, ubi perfunctorie & incautè aguntur, sunt offensioni, cum nostra mysteria, impiorum, qui ea viderint ritu inconcinno populis exhiberi, ludibrio & irrisioni exponant.

Leo Epist. 4. ad Episcopos Siciliæ. *Quantâ igitur ad eas discendas opus est diligentiâ, cum, ut ait Leo sanctissimus Pontifex*, vix ferenda sit in Sacerdotibus excusatio, quæ prætendat insciti am? *quanta ad eas servandas sollicitudo impendenda, cum ea sint* opus *Dei, quod quidem*, qui facit fraudulenter, *inquit sacer contextus, sive, ut fert altera versio**, negligenter, *habendus est* maledictus?

Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter: *Ferem. 48. 10.* *Hæc nos momenta ad singularem Parisiensis Cæremonialis curam suscipiendam impulerunt, ut emendatiorem Ritualis & Breviarii editionem, nostro jam jußu habitam novus hic Cæremoniarum Codex sequeretur, ubi earum à nobis norma deinceps servanda statueretur, quàm antehàc convenientior. Hunc jam unum totâ in nostrâ Diœcesi, volumus obtinere, quem & omnibus in ea præcipimus ut religiosè servent. Datum Parisiis in Palatio nostro Archiepiscopali, decimo nono Calendas Septembris, anno Domini M. D. CC. III.*

* *Versio septuaginta interpretum.*

Digitized by Google

CÆREMONIALIS PARISIENSIS

CAPUT PRÆVIUM.

AGIT Cæremoniale Parisiense de Cæremoniis seu ritibus qui in sacris observari solent ab Ecclesia Parisiensi.

Sunt autem diversa Cæremoniarum genera pro diversis sacrorum generibus in quibus adhibentur, velut in administrandis Sacramentis, in recitandis solemniter Horis canonicis, in sacræ Synaxeos celebratione, in Supplicationibus publicis, & aliis hujusmodi.

Sunt etiam diversa Cæremoniarum genera pro Ministrorum diversitate, qui sacra peragunt, veluti Pontifices & Sacerdotes, tum etiam Diaconi, Subdiaconi, & Clerici minores, qui in partem aliquam ministerii hujus vocantur.

Hinc Pontificale ortum est, seu Liber de Cæremoniis quæ servari debent à Pontificibus in sacris Ordinationibus & aliis functionibus Episcopo reservatis, de quibus non est hìc sermo.

Hinc Sacerdotale dictum olim, communiùs Rituale aut Manuale seu Liber de ritibus in administratione sacramentorum Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ-unctionis, & Matrimonii observandis à sacerdotibus: sed de his aliàs.

Hinc Processionale seu Supplicationum Liber, qui nuper est editus.

Hinc denique specialis Liber de Cæremoniis, quæ sunt observandæ in solemni Missæ Sacrificio, & Cursu canonico in Ecclesia perficiendo, id est, in vespertini, nocturni, maturini Officii recitatione, in publica item aliarum Horarum decantatione; de quibus omnibus sigillatim hic agendum. Hic autem Liber speciatim Cæremoniale nuncupatur.

Digitized by Google

PRÆNOTANDUM

I.

Cæremonias esse peragendas vultu habituque totius corporis ad modestiam composito, cultu vestium mundo & nitido, motu gravi, voce aliis consonâ non præcipiti, spiritu humili, corde que per caritatem ad Deum attento:

II.

Mysticas Cæremoniarum explicationes plurimùm utiles quidem esse ad fovendam teneram quandam religiosorum hominum pietatem, non esse tamen hujus instituti operis:

III.

Rimandas quantùm fieri potest Cæremoniarum origines, quæ strictim paucis verbis indigitabuntur posthabitâ omni contentione;

IV.

Cæremonias explicatu inde sæpiùs difficiles reddi, quòd etsi earum introducendarum aut retinendarum necessitas rebus aliquot immutatis desierit, integrè tamen adhuc in ritu Sacrorum ad decorem & majestatem serventur, pro Ecclesiæ Catholicæ animo ab omni specie novitatis alieno:

V.

Ut Ecclesiæ sacris in ritibus mens aperiatur, cæremonias esse semper proprio non alieno loco assignandas; ac proinde omnes, in Missa præsertim, anticipationes, quantùm fieri poterit, esse seponendas; secus, meræ tenebræ fient:

VI.

Rectum & legitimum, ut suo quidque loco fiat, ordinem patere in Missa quæ celebratur sine cantu; quantumque fieri potest in Missa solemni retinendum; & quidquid contra fit, aut negligentiæ aut tædio plerumque ministrorum esse tribuendum, nisi certa aliunde causa appareat:

VII.

Nonnunquam ergo aliqua in ritibus ecclesiasticis esse anticipata, breviata, vel omissa, ex eo quod cùm Festa vel Officia aut nu-

Digitized by Google

mero aut ſolemniori ritu quàm par erat, per fundationes aut per pietatis quendam ardorem ita creverint ut vix vel nullo modo poſſint, præſertim refrigeſcente devotione, celebrari; miniſtri numero obruti, ſine delectu plurima ſuſdeque verterint ut ponderę ſublevarentur; quod deinde in uſum tranſiit tempore confirmatum, donec Superiorum autoritate de opportuno & dignitati Cæremoniarum conſentaneo remedio ſit conſultum, quòd multis de cauſis fit difficillimè:

Inde, 1° impoſterum debere maximè Eccleſiarum Præpoſitos, Paſtores & eos quibus incumbit pro more acceptare fundationes, cavere ne ſub quovis prætextu conſentiant ut intra Miſſarum ſolemnia aut Officium curſûs canonici aliquid de novo inſeratur; &, ut ſi quid contrà hucuſque invectum eſt ſub quovis prætextu, quantum fieri poterit ſine ullius offenſione prudenter reſecetur:

2° Non violatum tamen hoc præſens monitum cenſeri; ſi intra Miſſarum ſolemnia triumphus ſeu laudes & acclamationes in Paſchatis Miſſa renoventur; ſi dies annuntietur Paſchatis in Epiphaniæ Miſſa; ſi decantatum à Diacono Evangelium vulgari lingua ſtatim explicetur; ſi Pronaum ex pulpito recitetur cum denuntiationibus ſolitis; ſi ante manuum lotionem ad cornu Epiſtolæ fiat à Celebrante ſubmiſsâ voce pro certis Defunctis oratio; ſi ad verba Canonis *Memento*, nomina eorum ſuggerantur Celebranti pro quibus orare debet; ſi novi fructûs terræ ante Orationem dominicam ad illa verba *Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas &c.* benedicantur; ſi dum fit Oblatio, aut Corpus Chriſti à clero & laïcis fidelibus ſumitur, ſub antiphonis quæ Offertorium & Communio vocantur, Pſalmi delecti ſub earum tono decantentur, aut in Miſſis conventualibus quæ ſubmiſsâ voce id eſt ſine cantu dicuntur, iidem Pſalmi delecti recitentur; ſi pro Rege Chriſtianiſſimo poſt Communionem preces fiant: ſecus regulam ſuperiùs propoſitam firmiter eſſe tenendam: quidquid ergo cum ſuperiorum autoritate pro quacunque neceſſitate currentis temporis fuerit inductum in Miſſam vel Officium canonicum; finito illo tempore, aut neceſſitate ceſſante, ſtatim reſecetur:

VIII.

Miſſam à miſſione dictam pleroſque cenſere; non tam à miſſione ultima quâ abeundi fidelibus venia datur peractâ Synaxi; quàm à miſſione quâ imperabatur ut abirent Catechumeni, Energumeni, Pœnitentes, poſt lectum & explicatum Evangelium:

Digitized by Google

cujus rei vestigium extat adhuc in Pronao, in quo post denuntiatos certos excommunicatos, statim ab Ecclesia jubentur exire:

IX.

Missam rectè dividi in duas partes: priorem dici Missam Catechumenorum: posteriorem, Fidelium; cujus pars prima ab inchoatione Symboli, vel si non dicatur, ab initio Offertorii ad Canonem pertingit; secunda, Canone finitur: ultima autem, Communionem continet & quæ illam preces præcedunt & subsequuntur:

X.

Non oportere sui in sacris ita moris esse tenaces Ecclesiæ ministros, ut aliarum Ecclesiarum antiquas cæremonias damnent, vel contemnant: memores; tum moniti Gregorii magni ad Augustinum, quod in restaurandâ apud antiquos Britanniæ insulanos aut fundandâ apud Anglo-Saxones Ecclesiâ christianâ religiosè secutum eum esse æquum est censere, scilicet; ut non ita cæremoniis propriis foret addictus ut abhorreret ab Ecclesiis Gallicanis quæ diversis ritibus utuntur quos ab iis mutuari rectè posset; tum etiam Tridentinæ Synodi, quæ, ut Officiorum ecclesiasticorum novos ritûs antiquandos, ita antiquos retinendos sanxit: posse ergo antiquari novos ritûs, ut qui aliunde antiquis sæpissimè nec conveniunt nec cohærent;

XI.

Proprios usûs, licèt fortè nullius momenti videantur, non esse repudiandos modò antiqui sint, sed cum veteribus, aliis neglectis, & cum aliarum Ecclesiarum ritibus esse conferendos; & plerumque fieri, ut ex illa collatione lux illis afferatur, & ratio eorum quæ latebat, pateat clara, pia, nobilis, & dignitati cæremoniarum maximè consentanea:

XII.

Quod sicut unumquodque olim Altare suum addictum habebat Presbyterum, ita unusquisque Presbyter suo Altari ut suo titulo incardinatus erat: hincque fluxisse primò morem antiquum ut non nisi unica Missa eodem die in unoquoque Altari celebraretur: & necessitatem ut ad fundandas Missas quotidie celebrandas erigerentur Altaria; & Presbyteri consecrarentur; unde numerus crevit tum Presbyterorum, tum Altarium in majoribus Ecclesiis, vel

Digitized by Google

extra, ſub nomine Capellarum aut Capellaniarum: 3° originem Altaris minoris ponè majus Altare in Choris Cathedralium & Collegiatarum, ut præter Miſſam de die, celebraretur Miſſa de Defunctis, vel de Spiritu ſancto, de ſanctiſſimo Sacramento, aut etiam de Beata: 4° denique hinc factum ut celebratâ ſemel in uno altari ab Epiſcopo Diœceſano in propria diœceſi, aut à Cardinali in univerſa Eccleſia Miſſâ; Pontificale Romanum hodiernum vetet in eodem Altari aliam Miſſam celebrari niſi obtentâ ad id diſpenſatione & veniâ ab Epiſcopo aut Cardinali celebrante:

XIII.

Cappiferos ſeu Choriſtas qui Chorum tenent, omnibus qui Choro adſunt formam dare, tum ſedendi in ſtallis demiſſis cùm ſuper banca ipſi ſedent, tum genuflectendi cùm genuflectunt, tum ſtallis erectis ſtandi cùm ipſi aut ad bancam ſtant erecti aut deambulant, tum caput aperiendi aut operiendi cum ipſi aperto aut operto ſunt capite: quæ regula non fallit, niſi cum ipſi cappiferi ſingulariter habent aliquid decantandum aut agendum: quiſquis enim aliquid in Choro ſingulariter decantat aut agit, aperto capite, & cappâ ad talos hyeme demiſſâ, ſemper id facit:

XIV.

Eccleſiam Metropolitanam, omnium Eccleſiarum urbis & diœceſis matrem & magiſtram, in ſe formam habere omnium rituum, quos in uſum reducere ceteræ Eccleſiæ Diœceſis pro poſſe debeant; tantumque eas in cultu divino per cæremonias ſplendeſcere, quantum ad ritum Eccleſiæ Metropolitanæ propiùs acceſſerint:

XV.

Supponi poſſe tres claſſes Eccleſiarum tam in urbe quam in reliqua Diœceſi: alias, quæ magno numero Clericorum gaudent, ut ſunt Collegiatæ & numeroſiores Eccleſiæ ac Seminaria: alias, quæ quatuor aut quinque ad ſummum in Choro Clericos poſſunt adhibere, ut minores Parochiæ: alias denique, quæ ad unum aut ad ſummum ad duos rediguntur, qui chorum teneant, ut ſunt pleræque Eccleſiæ rurales:

Primam claſſem, omnes & ſingulas Eccleſiæ Metropolitanæ tam in Miſſa quam in Curſu canonico cæremonias ſervare debere, iis tantummodo exceptis quæ ad D. D. Archiepiſcopum aut Dignitates ſpeciatim ſpectant:

Digitized by Google

Secundam classem, iis cæremoniis ex isto Cæremoniali decerptis uti debere, quæ suo numero & Ecclesiæ conveniunt, & quas difficillimum esset hìc commemorare :

Tertiam classem, suas cæremonias huic Cæremoniali aptare pro modulo suo debere, & quantùm fieri poterit ita sequi ut nullas admittat aliunde petitas : quod maximè cavere debent qui serò ab aliis Diœcesibus in hanc Diœcesim translati sunt :

Quæ alternis Choris in Officiis ecclesiasticis decantantur, quæ à Cappiferis intonantur, à Cantoribus ad pulpitum leguntur, à minoribus Clericis canuntur, à Sacerdote sub Precum, Orationum, Collectarum, Benedictionum, sive Absolutionum, sive sub Capitulorum nomine recitantur, omnia in unicum Officii corpus ita coalescere ut non sit necesse Clericos ad solvendum debitum pensum ea singulariter submissâ voce repetere quæ ab aliis decantantur, intonantur, leguntur, canuntur, recitantur : caveant ergo ut ad hæc attentum habeant animum, & quod suarum est partium piè & fideliter exequantur :

XVI.

Postremò ; cum modus pulsandi campanas ; cumque luminaria, Altaria, colores ornamentorum, præparanda ab Missâ m, vestes ministrorum, benedictio solemnis aquæ, Processio dominicalis ante Missam, & ritus precum serotinarum quæ extra cursum canonicum fiunt vulgò *Salut*, ad Librum de Cæremoniis spectent, non absque re esse etiam de iis omnibus aliqua observare.

MODUS PULSANDI AD OFFICIUM

UBI QUATUOR HABENTUR CAMPANÆ.

In Annuali,

Ad Vesperas, Nocturnos, Laudes, & Missam, pro ultimo signo, omnes simul pulsentur.

Ad Tertiam, Sextam & Nonam ; omnes, sed sigillatim, inchoando à minore.

Ad *Angelus*, Primam, Concionem, Completorium & Ignitegium ; major.

In Solemni-majore.

Ad Vesperas ; &c. pro ultimo signo, tres majores simul.

Ad Tertiam, Sextam & Nonam ; tres eædem, sed sigillatim, inchoando à minore.

Digitized by Google

Ad *Angelus*, Primam, &c. harum major.

In Solemni-minore.

Ad Vesperas, &c. pro ultimo signo, tres minores simul.

Ad Tertiam, Sextam, & Nonam, tres eædem minores, sed sigillatim inchoando à minore.

Ad *Angelus*, Primam &c. trium minorum major.

In Duplici-majore.

Ad Vesperas, &c. pro ultimo signo, duæ mediæ simul.

Ad Tertiam, Sextam, & Nonam; duæ eædem, sigillatim, inchoando à minore.

Ad *Angelus*, &c. harum mediarum major.

In Duplici-minore.

Ad Vesperas, &c. pro ultimo signo, duæ minores simul.

Ad Tertiam, Sextam & Nonam; duæ eædem, sigillatim, inchoando à minore.

Ad *Angelus*, &c. harum minorum major.

In Semiduplici.

Ad Vesperas, &c. primùm una, tum duæ minores simul.

Ad Tertiam, Sextam & Nonam; duæ minores, sigillatim, inchando à minore.

Ad *Angelus*, &c. duarum minorum major.

In Simplici.

Ad quodcunque Officium, una eaque minor pulsetur.

Ubi plures paucioresve habentur Campanæ, earum pulsandarum modus pro Festorum varietate ex supradictis facilè statui potest.

Intervallum autem inter diversas pulsationes servabitur in Parochiis præsertim ruralibus pro numero locorum qui vel propiùs vel longiùs ab Ecclesia siti sunt.

LUMINARIA.

Luminaria non tantum ad fugandas tenebras, sed ad significationem lætitiæ, aut honoris delationem, ab omnibus ferè gentibus sunt adhibita, maximè in Oriente, deinde ubique terra-

Digitized by Google

rum: hinc *Mario, adhuc vivo, magno honori fuit*, inquit Tullius, *quod omnibus vicis Romæ statuæ factæ sint, & ad eas thus & cerei*: hinc in recipiendis Imperatoribus cerei ardentes præferebantur; &, apud Judæos, septem lampades diu noctuque in templo ardebant. Hinc corpus S. Cypriani cum cereis ad sepulturam delatum est, & secundùm Hieronymum per totas Orientis Ecclesias ad lectionem Evangelii accendebantur luminaria jam sole rutilante: hinc in Synodo Ephesina post damnatum Nestorium incredibili populus gratulatione perfusus collucentibus tædis ac funalibus domum perduxit Episcopos, & prætereuntibus thura & odorem incendit: hinc etiam nunc ubique gentium in publicis lætitiis ob natales Principum vel victorias reportatas ignes & faces accenduntur & illuminationes fiunt.

Hic ergo erit in accendendis ad Altare luminibus seu cereis ritus præter lampades in medio Chori.

Ad Nocturnos, Laudes, Missam & Vesperas ardeant cerei ad Altare:

In Annuali, plusquam duodecim;
In Solemni-majore, duodecim;
In Solemni-minore, decem;
In Duplici-majore, octo;
In Duplici-minore, sex;
In Semiduplici, quatuor;
In Simplici, duo.

Ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam & Completorium, nullus unquam ardeat, nequidem in Annuali.

In pauperibus Ecclesiis, licet idem cereorum numerus apponatur, ardeant tantùm in Annuali sex; in quocunque Solemni, quatuor; in ceteris, duo.

ALTARIA.

Altaria olim aliquando lignea, ut Romæ Altare Basilicæ Lateranensis, in quo nunc solus summus Pontifex, aut Cardinalis, rem sacram facit: & in Galliis apud Compendium Altare majus abbatialis Ecclesiæ sancti Cornelii à Joanne Octavo Papa consecratum anno 877, 5ª die Maii; ita fert traditio hujus civitatis.

Jam ubique locorum omne Altare totum est ex lapide qui impositus est sanctorum sepulcris, aut certè cui subter sanctorum ritè reliquiæ suppositæ sunt solemniter ab Episcopo in consecratione: & hinc Altaris locus etiam hodie sepulcrum vocatur.

Digitized by Google

Porro quæ circuncingebant Altaria, ornamenta, & vela seu cortinæ vulgò *Rideaux*, quasi throni seu lecti regii speciem exhibebant; quod adhuc in omnibus ferè antiquis Basilicis videre est.

Altaria Ecclesiarum non erant muris affixa; nec erat de iis ex quavis materia tabulatum, vulgò *Retable* seu *Contretable*, assurgens; sed undequaque libera, pendebant vela, certo ritu aliquando ducenda vel reducenda: hinc patet quomodo diptycha sacra ponè Altare gerens Subdiaconus Sacerdoti nomina Defunctorum suggerebat ad illa verba *Memento etiam Domine &c.* Sic Ordo Romanus &c.

In Choro Metropolitanæ duplex est Altare, scilicet Altare majus, & Altare minus; idque ab eo tempore quo duæ Missæ in Choro celebrantur. Cùm autem tempore hujus confecti Cæremonialis votum à Ludovico XIII. de extruendo, opere regio, majori Altari Ecclesiæ Parisiensis nuncupatum, à Ludovico Magno ejus filio incipiat solvi, pondum perfecto opere, nihil hic de dicto Altari dici decere visum est.

Cooperiatur tabula Altaris tribus mappis lineis albis mundis antea benedictis, & tapete.

COLORES ORNAMENTORUM.

Ornamenta Altaris, Celebrantis, & Ministrorum, sint coloris convenientis Officio ac Missæ diei secundum usum Ecclesiæ Parisiensis quæ his coloribus utitur:

Albo: Sabbatis Adventûs ad Missam de Beata tantùm: Feria quartâ Quatuor temporum Adventûs ad Missam tantùm: à Vigilia Nativitatis Domini inclusivè ad Purificationem in omni Officio de Tempore extra Septuagesimam: Sabbato sancto in Litaniis, benedictione Cerei & Fontis, ac Missa; & ab illo die ad Vigiliam Penteçostes in omni Officio de Tempore exceptâ feriâ secundâ Rogationum: in Transfiguratione Domini: in Dedicatione Ecclesiæ, & anniversario Dedicationis; ac in Dedicatione Altaris: in Vigilia Assumptionis, ac in omni Officio de beata Maria, etiam Compassionis: *in Festis Angelorum*: in Nativitate sancti Joannis-Baptistæ: in principali Festo sancti Joannis Evangelistæ: in Conversione sancti Pauli: in Festo sancti Joseph: in Festo sanctæ Mariæ Magdalenæ: in Festis sancti Lazari, sanctæ Mariæ Bethaniticis, ac sanctæ Marthæ: in Festis sanctarum Virginum non martyrum: in Missa pro sponso & sponsa: in administratione Baptismi post primam unctionem, ac in Exequiis parvulorum usque ad septem annos.

Digitized by Google

Rubeo: in Officio Quinque Plagarum Domini: *Feriâ quintâ in Cœna Domini ad Missam & Vesperas tantùm*: in Vigilia Pentecostes ad benedictionem Fontium & Missam tantùm (ad Officium enim adhibetur albus): in Festo Pentecostes ac per hebdomadam, etiam in Missis Quatuor temporum: *in Festo sanctissimæ Trinitatis*: *in Festo Corporis Christi, ac per Octavam*: *in omni Officio de Tempore à Purificatione ad Septuagesimam & à Trinitate ad Adventum* exceptis Dominicis infra Octavas alium colorem habentes: in Festivitatibus sanctæ Crucis: in Susceptione sanctæ Coronæ spineæ: *in Festo Omnium sanctorum*: *in Festo sanctarum Reliquiarum*: in Decollatione sancti Joannis Baptistæ: in Natalitiis sanctorum Petri & Pauli, ac aliorum Apostolorum & Evangelistarum excepto sancti Joannis Evangelistæ: in Festo sancti Joannis ante portam Latinam; in Festo sancti Barnabæ: in Commemoratione sancti Pauli: in Festo sancti Petri ad Vincula: in Festo sanctorum Innocentium: in quibuscunque Festis Martyrum, etiam Virginum: in Absolutione, feriâ quintâ in Cœna Domini: *in Missis de sanctissima Trinitate*: *item cum cantatur* Te Deum, &c. *pro gratiarum actione*: in Missis de Spiritu sancto: *in Missis & Processionibus de sanctissimo Sacramento, & in administratione Viatici*: in Missis de Passione, Cruce Domini, sancta Domini Veronica, & similibus: *in Missa pro Gratiarum actione*: in Missa pro electione Prælatorum: & in administratione sacramenti Confirmationis.

Viridi: In Festis Pontificum: in utraque Cathedra sancti Petri: in consecratione Pontificum, & in Missa anniversarii consecrationis eorum.

Violaceo: in Adventu in omni officio de tempore exceptâ Missâ feriæ quartæ Quatuor temporum: à Septuagesima ad sabbatum post Cineres inclusivè in Omni officio de tempore: in Vigiliis Paschæ & Pentecostes dum leguntur Prophetiæ tantùm: feriâ secundâ Rogationum: in Missa Processionis diei sancti Marci ac trium dierum Rogationum: in Feriis Quatuor temporum Septembris: in Vigiliis in quibus dicuntur Preces flexis genibus: in Festo sanctæ Mariæ Ægyptiæ & aliarum pœnitentium: *in Festis sanctæ Annæ ac sancti Joachim*; *in Festo sancti Ludovici*, *ac in ceteris Festis Confessorum ac sanctarum Mulierum*: in Missis pro quacunque necessitate, ad tollendum schisma, contra Infideles, pro Pace, pro vitanda mortalitate, *pro iter agentibus*, pro Infirmis, & similibus; & in administratione Baptismi usque ad primam unctionem inclusivè, ac in administratione sacramenti Extremæ-unctionis.

Digitized by Google

Cineticio; à Vesperis Sabbati post Cineres ad Missam Sabbati ante Dominicam Passionis inclusivè in omni Officio de tempore, ac in Missa pro remissione peccatorum.

Nigro; *à Vesperis Sabbati ante Dominicam Passionis ad Vigiliam Paschæ post Horas in omni Officio de tempore* exceptis Missâ & Vesperis in Cœna Domini: item in recitatione Septem psalmorum feriâ quartâ in Capite jejunii, ac in benedictione & impositione Cinerum eodem die: præterea in omnibus Officiis ac Missis Defunctorum post septem annos.

Qui habent ornamenta flava, iis uti possunt in festis Angelorum, exemplo Ecclesiæ Metropolitanæ, quæ & hæc adhibet in Octava Epiphaniæ.

Qui verò fulva seu coloris aurei, hæc adhibeant his diebus & Missis, quæ in suprascripto articulo de Rubeo, caractere italico designantur.

Qui autem cærulea, iis utantur in Festis Confessorum ac sanctarum Mulierum.

At qui fusca, sive nigra cum auriphrygiis rubeis, hæc apponant tempore Passionis.

Licebit autem in Festis solemnioribus adhibere ornamenta pretiosa cujuscunque sint coloris, putà auro texta aut gemmis, iis in locis ubi non sunt alia diversorum colorum ornamenta pretiosa.

PRÆPARANDA AD MISSAM.

Præparetur in medio Altaris, super Corporali explicato, calix, saltem argenteus, intus deauratus, cum patena ejusdem metalli desuper, intus deaurata, linteo purificatorio imposita: panem consecrandum ei superpositum, palla; pallam ipsam, ipsumque totum calicem, velum aliquod pretiosum de colore Officii tegat: quæ omnia, ut dicetur infrà, in solemnibus-minoribus Festis & suprà, reponentur in credentia.

Extra Altare verò præparentur urceoli cum vino & aqua; & bacile, cum manutergio.

VESTES MINISTRORUM.

Pueri Chori, raso capite præter tenuissimum limbum qui coronæ instar caput cingat, & super vestem talarem Alba ad talos demissa induti; minores verò Clerici cum brevi capillitio & decenti, ac Superpelliceo albo; Choro adsunt: hyeme quidem Pueri in Metropolitana & Collegiatis cum cappa & caputio nigris, minores autem Clerici cum parvo caputio.

Clerici cantores, super vestem talarem & superpelliceum

Digitized by Google

cappas induunt coloris Officio convenientis ut Chorum ritè moderentur.

In Ecclesiis rurálibus ubi deest cantorum copia, quantum fieri poterit, Choristæ seu Cappiferi sint bonæ famæ, non ebriosi, qui saltem paschalis Communionis non defuerint debito, & in Festis majoribus in Missa communicent in cappa, primi post ministros altaris si qui communicent.

Subdiaconus, veste talari ut decet vestitus, cum precibus præscriptis primò amictum capiti imponat, in majoribus Ecclesiis plagulis de colore Altaris ornatum; tum induat Albam nitidam non laceram, aptéque ad collum claudat; cingulo albo ad renes Albam comprimat; manipulum (mappulam olim dicebant,) ad sinistrum brachium apponat, (linteum olim erat ad os vultumque extergendum & mundandum, nunc de colore altaris); tum superinduat de eodem colore Tunicam, quæ nunc cum manipulo Subdiaconi est ordinis insigne; (Tunica breviores manicas olim ad brachia aptatas habebat; nunc, infra apertas & liberè fluentes); æstate tantùm, amictum ex capite in humeros defluere sinat.

Diaconus, ut suprà, amictu, albâ, cingulo, & manipulo ornatus, stolam, quæ olim vestis erat à sinistro humero in latus dextrum antè & retro defluentem, sub brachio dextro religat: tum Dalmaticam superinduit ejusdem coloris, ejusdemque ferè formæ cum Tunica Subdiaconi, nisi quod ad brachium sinistrum fimbriis exornata est Dalmatica, non autem Tunica.

Vestis hujus forma & nomen à Dalmatis venit, eratque vestis laxa ad talos demissa: super brachium sinistrum diaconi revoluta componebatur; idque, ne defluendo, incommodo esset: pars autem brachio dextro respondens, ad majorem facilitatem amputata est, ne manûs dextræ officiis noceat; hincque in illa parte vestis jam fimbriæ desunt.

In Ecclesia Metropolitana præter Canonicos Parisienses, qui in Festis solemnibus-minoribus & suprà ad Missam funguntur officio Diaconi & Subdiaconi, adsunt de numero Capellanorum selecti quatuor, at diebus Communionis sex, qui in Tunicis & Dalmaticis ad Altare Diaconum & Subdiaconum comitantur, & eis subministrant, quique vocantur Induti. Olim autem Præsulibus plures aderant Sacerdotes concelebrantes in Festis solemnioribus, & sicut Præsuli, ita unicuique Sacerdoti concelebranti suus aderat Diaconus & Subdiaconus, Acolythus, &c. Hic ritus secundum Ordinem Romanum servabatur in Ecclesia Romana, adhucque viget in Ecclesia Lugdunensi in qua concelebrantes sacerdotes vocantur gallicè Symmuzes, *id est Symmistæ; isque*

Digitized by Google

Hinc à paucis annis restitutus est in Ecclesia Viennensi, Parisiisque hodie observatur feriâ quintâ in Cœna Domini, in qua duo Archidiaconi vel duo Canonici Sacerdotes cum Parisiensi Archiepiscopo Missam concelebrant.

Sacerdos indutus ut suprà amictu, albâ, cingulo, & manipulo, stolam induit, non ad latus defluentem more Diaconi, sed ante pectus decussatam, tum vestem sacerdotalem de colore altaris superinduit, Casulam dictam, eò quòd interiores supradictas vestes cooperiat, casæ aut casulæ instar. Plures autumant hanc vestem veram esse Romanorum togam sine manicis quæ ad utrumque brachium revolvebatur, ut in multis Ecclesiis adhuc videre est. Casula igitur in orbem ad pedes undique devolvebatur si defluere sineretur; sed ne officeret actioni sacerdotis, primùm componebatur revoluta super brachia: denique revolutæ illæ partes ut superfluæ amputatæ sunt, unde jam casula hodierna in modum desiit qui jam in usu est. Casula autem, quæ & Planeta dicitur, Sacerdotis est insigne, quâ tantùm ad Missam utitur, aut ad delationem solemnem sanctissimi Sacramenti in festo Corporis Christi, aut aliis ejusmodi.

Porro sic revoluta illa planeta vestes interiores aliquantulum detegebat. Ut autem partes illæ detectæ cooperirentur, plagulæ circa manus & ad pedes, circa collum & circa pectus, ad nuda protegenda appositæ sunt: hæ verò plagulæ fortè apud Romanos erant in usu, ut conjicere licet ex usu lati & angusti clavi.

BENEDICTIO AQUÆ IN ECCLESIA METROPOLITANA.

Diebus Dominicis in Metropolitana, post Officium Capituli, lector Martyrologii, stipatus hinc & inde duobus pueris qui breve Responsorium Primæ decantavere; gestans manu dextrâ baculum argenteum deauratum, liliis ejusdem metalli ubique sparsis ornatum, longum duos pedes circiter, cujus linea diametralis ad tres circiter aut quatuor lineas extenditur, in cujus summa parte est imago argentea beatæ Virginis filium suum gestantis, in ima caput serpentis ex eodem metallo; accedit ad Primam celebrantem juxta bancam stantem, ibique renuntiat clarâ voce sine cantu, Ad Epistolam *N.* Ad Evangelium *N.* Ad Missam *N. qui tres per totam hebdomadam quæ incipiet, Epistolam & Evangelium ad Missam Officii legere & ipsam Missam celebrare respectivè tenentur.*

Isque puer cum iisdem comitibus idem in Sacristia statim publicat coram prædicto novo ad Missam Hebdomadario.

Digitized by Google

Tunc ad benedictionem aquæ solemnem è Vestiario sic proceditur:

Omnes pueri chori sine cruce & sine candelabris bini & bini exeunt, quorum antiquior seu Spex *sal in concha argentea, ab eo secundus Collectarium, sequens seu tertius vas minus vacuum, ad aquam cum benedicta fuerit reponendam cum aspersorio defert: ponè eos Diaconus cum stola transversa, manipulo & albâ sine Dalmatica: denique Sacerdos novus celebrans cum manipulo & stola super Albam ante pectus decussata, sine Casula & sine Cappa ultimus Chorum intrat (hac in sola benedictione solemni & Processione quæ sequitur, Subdiaconus sine Tunica, Diaconus sine Dalmatica, Celebrans sine Casula & Cappa procedunt, eò quòd olim omnem circuitum exteriorem & interiorem Ecclesiæ sine intermissione Aquâ benedictâ Sacerdos stipatus Diacono & Subdiacono undequaque aspergebat,) salutatisque Altari & Choro, ad dorsum Aquilæ ascendit juxta quam ad manum ejus dexteram præparatum est vas majus aquâ benedicendâ plenum.*

In circuitu autem Aquilæ omnes pueri sistunt; ita ut antiquior puerorum sal deferens, ad dexteram Celebrantis primus stet in plano, tum qui vacuum vas defert; ad lævam autem Celebrantis in plano immediatè adsit Diaconus, & juxta illum secundus puer seu qui Collectarium defert.

Tum incipit Celebrans se signando dicens Adjutorium nostrum &c. *ut in Missali & Rituali aut in Collectario.*

Post commixtionem salis & aquæ, & impletum novâ aquâ benedictâ minus vas, statim Spex *proficiscitur ad Sacristiam cum pueris ad candelabra destinatis; tum antiquitate quartus puer recipit vas in quo sal allatum est, & in eo aquam benedictam Pœnitentiario & Suppœnitentiariis in Tribunali sedentibus defert; quo facto statim ad Sacristiam redit.*

Intrant Chorum Cappiferi; salutatisque de more Altari & Choro, stant ad bancam. Diaconus à loco in quo erat procedit, inter Aquilam & Altare se sistit, & ibi stat. Pueri ad propria Chori loca redeunt.

Choristæ post benedictionem Aquæ intonant Asperges. *Interim Sacerdos progreditur ad Altare majus, illud genu flexus aspergit, deoscultatur in medio, deinde pergit per partem Epistolæ ad Altare* de retro, *quod stans aspergit; tum rediens & circumiens per partem Evangelii, circuitum Capitii & stantem hic populum aspergit usque ad Chorum exclusivè: denique, salutato Altari, conversus ad partem Epistolæ, similiter aspergit circuitum Capitii incipiendo ab introitu Chori & ascendendo versus Altare.*

Digitized by Google

Tunc Sacerdos ad Chorum redit, ſtanſque inter Diaconum & Aquilam dicit Orationem Exaudi nos &c. *quam dum incipit, intrant in Chorum, Spex Crucem, duo Pueri candelabra, deferentes; ſiſtuntque ſe ad gradus Sanctuarii: ſequitur Subdiaconus in Alba & Manipulo, ſine Tunica, librum Evangeliorum geſtans ante pectus, ſeque medium interponit inter Crucem & Diaconum.*

Peculiaris ſuus interim ſingulis Eccleſiis ritus eſt ſequendus etſi ab Eccleſiæ Metropolitanæ ritu aliquantulùm diverſus, qui fortè, ob Cleri & cantorum paucitatem, & loci diſpoſitionem introductus, non facilè mutari poteſt. Quantùm autem fieri poterit pedetentim ad formam Eccleſiæ Metropolitanæ omnes redigendi ſunt ritûs cunctarum Eccleſiarum. Quod monitum in omnibus aliis diverſitatibus cæremoniarum locum habere debet ſine ulteriore repetitione.

Caveat præſertim Parochus in aſperſione Aquæ benedictæ ne ulli det occaſionem offenſionis, unde lites, odia, & ſcandala oriantur; doceatque Chriſtianos aquâ luſtrali non purgari ſed fœdari potiùs qui mente ſuperbâ vanum prærogativæ honorem tunc appetunt, cùm per ſinceram animi demiſſionem & intimum indignitatis ſuæ ſenſum ad rem ſacram peragendam fideles dignos ſe reddere totis viribus debeant.

In Metropolitana Clerus non aſpergitur aquâ benedictâ niſi poſt Proceſſionem: quâ finitâ, Pueris, Cappiferis, Subdiacono, Diacono, & Celebrante eò, unde exierant ad Proceſſionem, reverſis, puer qui aquam geſtat, à gradu Sanctuarii procedens, eam Speci qui Crucem defert, tum Subdiacono porrigit, deinde Diacono, denique Cappifero dextræ partis qui aſperſorio ſocium aſpergit, deinde digito ſumit; tum redit ad gradûs Sanctuarii: pueri cantant ℣. Beati &c. *Sacerdos dicit Orationem: Crucifer ad cornu Epiſtolæ Crucem defert; Ceroferarii, Subdiaconus, Diaconus & Celebrans abſque ſalutatione redeunt ad Sacriſtiam. Interim Subhebdomadarius incipit Tertiam. Dum incipitur Octonarium* Memor eſto verbi tui &c. *puer chori defert vas parvum aquæ benedictæ cum aſperſorio ad quatuor angulos Chori, primum ad duos angulos dextræ partis ſeu Epiſtolæ, tum ad duos angulos partis ſiniſtræ ſeu Evangelii, incipiendo in utraque parte ab angulo ubi ſedet dignior illius partis. Dignior autem cujuſcunque anguli ſumpto aſperſorio aſpergit clerum ſuæ partis & anguli.*

Digitized by Google

PROCESSIO DOMINICALIS ANTE MISSAM

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

Ad eam sic proceditur. Primò, solus qui vas Aquæ-benedictæ defert cum aspersorio. Nota quod nunquam fit Processio manè in Ecclesia Metropolitana, nisi puer deferat Aquam-benedictam primus ante alios. Ad Stationes vespertinas defertur thuribulum, non vas Aquæ benedictæ.

Secundò, sequuntur immediatè duo pueri candelabra deferentes. Nota quod candelabra tantùm in Processionibus deferuntur à Pueris cùm Choristæ Cappas de colore Altaris deferunt, aut sunt in albis in Hebdomada Paschæ; secus nunquam candelabra deferuntur; & vicissim nunquam Cappas deferunt Choristæ nisi candelabra deferantur, exceptis Stationibus vespertinis quæ fiunt infrà Octavas quarti ordinis aut in alio Officio simplici.

Tertiò, procedit Puer Collectarium deferens. Si non deferantur candelabra, non defertur Collectarium.

Quartò, sequuntur ceteri Pueri bini & bini; tum Canonici in Minoribus.

Quintò, Spex solus, crucem gestans cappâ indutus de colore diei si cappæ à choristis deferantur, secus Spex in cappa nigra & nudo capite Crucem gestat: ante illum Canonici in Minoribus; *omni tempore in cappis nigris, nudo capite, cum bireto ad manum quo extra Ecclesiam tantùm caput tegunt; post illum verò, cùm Crucem non defert. Nota quod ad Stationes quæ fiunt post Vesperas non defertur Crux nisi facienda sit Processio.*

Sextò, Subdiaconus cum libro Evangeliorum ante pectus, & manipulo sine Tunica.

Septimò, Diaconus cum manipulo & stola transversa sine Dalmatica.

Octavò, Celebrans cum manipulo & stola ante pectus, sine Casula seu Planeta, & sine Cappa.

Sic in albis procedunt in hac Processione dominicali tantùm, quæ fiebat, ut dictum est suprà ad aspersionem aquæ. Idem fit per Diœcesim in Processione ante Missam in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum; quia in ea Celebrans aspergit tumulos defunctorum. *In ceteris autem Processionibus ubi Choristæ cappas deferunt de colore Altaris, Subdiaconus cum Tunica, Diaconus cum Dalmatica,*

Digitized by Google

Dalmatica, Sacerdos cum cappa ejusdem coloris procedunt; excepta Processione sanctissimi Sacramenti in Festo corporis Christi, ubi Celebrans cum casula procedit.

Nono, duo Cappiferi seu Choristæ chorum tenentes in cappis de colore Altaris.

Decimò, omnes de Choro bini & bini suâ cuique propriâ ab egressu Chori servatâ dextrâ vel levâ parte.

Ante omnes alios quasi dux præit in dextra parte Præcentor, tum Canonici Parisienses Subdiaconi dextræ partis Chori; ponè sequuntur Subdiaconi beneficiati, Macicoti, Clerici Matutinarum, & Capellani; postea Diaconi beneficiati, Presbyteri beneficiati, Vicarii perpetui: Canonici Parisienses, primùm Diaconi, tum Presbyteri & Dignitates claudunt dextram lineam.

Idem servatur ordo in linea sinistra, cujus quasi dux præit Succentor: & sic de cæteris ut in linea dextra.

Itur ad sanctum Joannem Rotundum ubi fit statio. Celebrans Altare, quia ibi servatur sanctissimum Sacramentum, genuflexus aspergit, illud osculatur in medio, tum redit ad locum vacuum inter Diaconum & Choristas. Dictis consuetis orationibus itur per Claustrum ad sanctum Dionysium de Passu, ubi fit etiam statio. Sacerdos Altare, ex quo ibi servatur sanctissimum Sacramentum, genuflexus aspergit, & deosculatur in medio: tum circumiens per partem Epistolæ, ponè Altare stans aspergit sacram passionis sancti Dionysii Fornacem cui Altare impositum est, & redit per partem Evangelii ad locum vacuum inter Diaconum & duos Cappiferos. Puer aspersorium offert Præcentori & Succentori ex utraque parte Chori, tum antiquiori Canonico sancti Dionysii partis dextræ Chori, qui Concanonicos suæ Partis in propria Ecclesia suis stantes installis aspergit; deinde antiquiori Canonico alterius partis chori, à quo similiter facta aspersione, puer redit ad suum locum. Dictis Orationibus consuetis reditur ad Ecclesiam perdomum archiepiscopalem & portam anteriorem majorem.

Si propter pluvium tempus Processio non exeat ex Ecclesia, fit intra Ecclesiam circa & extra Chorum, & statio fit ad Capellam sancti Rigoberti, ubi Altare non aspergitur, sed dictis Orationibus consuetis, redit Processio in Navim Ecclesiæ; & Choristæ incipiunt Ave Regina, *&c. statimque fit in Navi statio consueta, in qua eadem ferè standi ordo, qui in Choro sedendi servatur: in eo præsertim quòd tres subselliorum in Choro ordines scilicet infimus in plano Puerorum & eorum qui sunt* in minoribus, *medius Subdiaconorum in inferioribus stallis, & superior qui est Diaconorum & Presbyterorum servantur in ordine standi ad stationem; qui enim sunt de infimo ordine subsellio-*

Digitized by Google

rum stant in medio Navis bini & bini, facie ad Orientem versâ: qui sunt de medio ordine stant juxta ambonem: qui sunt de superiori ordine stant aliquo intervallo distincti versus majorem portam Ecclesiæ.

Post reditum Processionis in chorum, stat Celebrans ante rostrum Aquilæ; dicit Orationem; & inchoatur Tertia à Subhebdomadario.

In parochialibus Ecclesiis, Clerici & Cantores si qui adsunt requuntur crucem; deinde Choristæ in cappis; tum, in albis propter aspersionem aquæ, Subdiaconus (qui in multis Ecclesiis Crucigerum immediatè subsequitur) Diaconus & Pastor Ecclesiæ aut alius Sacerdos Celebrans, posteà populus, primò viri, tum mulieres. Fit intra vel extra Ecclesiam Processio & Statio secundùm consuetudinem locorum, & Tertia inchoatur aut Missa pro more Ecclesiarum.

Omittuntur autem publica aquæ benedictio in choro, & Processio dominicalis quæ est ad aspersionem aquæ, in Festis annualibus & solemnibus-majoribus Dominicâ occurrentibus, aut quando aliud supervenit impedimentum. Et tunc in Sacristia exceptis diebus Paschæ & Pentecostes in Ecclesiis in quibus sunt fontes baptismales benedicitur aqua submissâ voce ut in Missali à Sacerdote stolâ officio diei convenienti ornato, cum cereo accenso & ministro clerico respondente. Postea fit aspersio aquæ ad imaginem Crucifixi Sacristiæ & ad omnes assistentes cum debitis inclinationibus. In Festo tamen Præsentationis Domini seu Purificationis beatæ Mariæ Virginis Dominicâ occurente, benedicitur aqua in Sacristia dum in Choro dicitur Tertia: tum fit benedictio & aspersio Cereorum juxta Altare positorum ut habetur in Missali: deinde cantatur *Asperges* & fit aspersio Altaris, Chori & populi cum cereis per Ecclesiam: &, dictâ oratione *Exaudi*, cantatur *Lumen &c.*

In Solemnibus autem minoribus & quibuscunque Duplicibus Dominicâ occurrentibus fit benedictio solemnis aquæ in Choro, & Processio ad aspersionem aquæ ut suprà.

Processionem (interpositâ, ubi fit officium canonicum, Tertiâ) sequitur Missa solemnis quæ celebratur hora competenti juxta statuta Synodi Parisiensis anni 1697.

Olim matutinales appellabantur Missæ, quæ post Tertiam; vespertinæ, quæ post Sextam in jejuniis minoribus, & post Nonam in majoribus celebrabantur. Hinc etiam hodie; non servatâ quidem diei horâ, sed servatâ tamen officii canonici Horâ; in minoribus jejuniis Missa de Tempore (extra Hebdomadam Pentecostes) dicitur post recitatam officii Sextam; in majoribus, ut in Quadragesima, post recitatam per anticipationem etiam paulo ante meridiem Nonam.

Digitized by Google

Porrò ut faciliùs quæ de singulis Missæ partibus dicenda sunt intelligantur, semper ob oculos habendum Missam, tum Catechumenorum, tum Fidelium, constare Lectionibus, Orationibus & Cantu: olimque in Galliis ante tempora Caroli Magni, quibus antiquato veteri usu gallicano, ad ritum Ecclesiæ Romanæ à Gelasio & Gregorio magno summis Pontificibus ordinatum, omnes Ecclesiæ transierunt; lectiones, orationes & cantum Missæ alio ordine, & sub aliis ferè verborum formulis fuisse in usu; de quibus omnibus bene multa adhuc supersunt certaque vestigia.

Primùm; Lectiones secundum illum antiquum ritum tres recitabantur in quacunque Synaxi, præter acta quædam Passionis Martyrum aliquando etiam legi solita:

Prima ex veteri Testamento, secunda ex Epistolis apostolicis, tertia ex Evangelio.

Lectionibus illis à Clerico Subdiacono vel Diacono recitandis annumerari debent Monitiones quædam, quæ frequentiùs olim, & etiam nunc, adhuc fiunt ab ipso Sacerdote vel Episcopo ad Catechumenos baptizandos, & ordinandos Clericos, Subdiaconos, Diaconos, Presbyteros aut Episcopos.

Secundò; Orationes plurimæ secundum illum antiquum ritum abhibebantur, de quibus omnibus non est hìc necesse dicere. Sciendum tamen quod post datam seu indictam Orationem per vocem Sacerdotis *Oremus*, omnes per aliquam moram sub silentio orabant; in Dominicis quidem, Festis, & toto Paschali tempore, stantes; extra autem illa tempora ad monitionem Diaconi, genuflexi; tum stantibus omnibus Sacerdos concludebat seu absolvebat alta voce Orationem quam omnes complebant per acclamationem vocis *Amen*.

Hæ Orationes autem, Collectæ, Collectiones, Absolutiones aut Benedictiones vocabantur. Cæterùm, illa vox *Amen*, à plebe in Missa usurpabatur præterea, post Evangelium, post verba sacra Consecrationis, & ante receptionem Eucharistiæ.

Inter orationes referri etiam debent verba illa solemnia ad gratias Deo agendas à Sacerdote in Synaxi prolata, quæ olim Immolatio aut Contestatio vocabantur, nunc autem Præfatio ad Canonem; quin & Canon ipse, & illæ formulæ quæ antiquo ritu gallicano adhibebantur.

Tertiò; quòd ad cantum attinet, prætermissis Litaniis seu *Kyrie*, Hymno Angelico seu *Gloria in excelsis*, Symbolo, Oratione Dominicâ, & *Agnus Dei*, de quibus pro diversitate temporum & Ecclesiarum plura forent dicenda, ferè ubique terra-

Digitized by Google

tum in Ecclesiis non nisi Psalmi decantabantur, idque quatuor diversis modis.

Primus canendi modus fiebat, cum præcinente lectore, tota plebs succinebat, & concinendo totum Psalmum explebat. Sic antequam à sancto Augustino Psalmi explicarentur, priùs à Fidelibus canebantur.

Sic etiam hodie in Ecclesia Parisiensi Symbolum non' alternis choris, sed integrum ab omnibus simul decantatur: sic etiam cantantur in eadem Ecclesia Introitus, Offertorium, & Communio in omnibus Festis duplicibus & suprà, & omnibus Dominicis per annum à Paschate ad Septuagesimam, quæ ideo vocantur Dominicæ in turba: in Dominicis autem à Septuagesima ad Pascha alternis Choris Introitus, Offertorium, & Communio cantantur, quod & fit in omnibus Festis semiduplicibus & infra.

Secundus modus fit cùm alternis Choris Psalmus cantatur, quod in usu est omnium ferè Ecclesiarum.

Tertius modus, cùm cæteris audientibus & tacentibus unus totum psalmum recitat, de quo Cassianus in Institutionibus; unde etiam fluit hodiernus ritus Tractuum qui à Septuagesima ad Pascha loco *Alleluia* cantantur: tunc enim uno tractu, sine ulla interruptione alicujus versûs vel repetitione Antiphonæ, Psalmus decantatur.

Quartus denique modus, cùm uno aut altero cantore psalmum intonante & versûs diversos ejusdem Psalmi continuante, quasi respondet simul universa plebs, aliquem certum ejusdem Psalmi versum semper repetens; cujus nobilissimum exemplum refert Eusebius, cum enim jubente Juliano Apostata Reliquiæ sancti Babylæ transferrentur, præeuntes cantores Psalmum 96. præcinebant, ad cujus singulos versus tota plebs accinebat, quasi respondens *Confundantur omnes qui adorant sculptilia & qui gloriantur in simulacris suis*: qui modus etiam nunc in festo Purificationis pro distributione candelarum; quotidieque observatur ad officium nocturnum in recitatione Psalmi 94. *Venite exultemus*, ad cujus singulos versus idem à toto choro repetitur versus sub nomine Invitatorii.

Hinc primum ortus est Responsoriorum & Antiphonarum in Ecclesia usus, qui successu temporis aliquas mutationes passus est: hinc ad singulos fere Psalmos Officii diurni vel nocturni, ad Psalmum etiam Introitûs, Offertorii, & Communionis in Missa, Antiphonæ præmissæ sunt aut subjunctæ: hinc ritus Responsoriorum, quæ post Lectiones Nocturnorum, & Gradualium quæ post Epistolam decantantur, quo in ritu Chorus & Cantores aliqui, sibi quasi mutuò respondent.

Digitized by Google

PRECES SEROTINÆ

EXTRA CURSUM CANONICUM

VULGO *SALUTS.*

MUltas inter causas quibus hucusque factum est ut una regula per totam Urbem & Diœcesim vix aut nunquam observata sit in precibus serotinis quæ extra cursum Canonicum sunt, vulgò *Saluts*; ea præcipua fuit, quòd infinita prope modum fundationum & usuum in eas preces inducta sit diversitas, & in eis inveteraverit. Huic plerique firmiter adhærere visi sunt quasi istæ preces ab omni ritu liberæ ex uniuscujusque arbitrio penderent. Ne autem illa diversitas in dies augeatur, & ut ad uniformem ritum secundum plurimorum votum, hæ preces quantum fieri poterit redigantur, diversa hìc monita sunt proposita.

Primo, cùm Vesperæ pro precibus serotinis recitantur, tunc in Festis solemnibus-minoribus & suprà aliæ Vesperæ non dicantur quam de Festo etiamsi illis diebus eædem Vesperæ jam sint recitatæ. Cum diebus Dominicis ad Officium cantatæ sunt Vesperæ alicujus Festi occurrentis vel concurrentis, Vesperæ diei dominicæ dicentur ad Salutem. Idem servabitur diebus festivatis à populo, quibus secundæ Vesperæ Festi, ob sequentis Festi primas Vesperas, omissæ sunt: in his autem casibus ad Vesperas Officii non fiet commemoratio ejus de quo Vesperæ integræ ad Salutem cantabuntur.

Si propter occursum vel concursum tres Vesperæ dicendæ forent eodem die, Vesperæ Officii dicentur de primo digniori: dicentur ad Salutem Vesperæ de secundo digniori; commemoratio autem illius cujus Vesperæ omittuntur, fiet in Vesperis Officii tantùm.

2°. si in his Precibus expositum sit SS. Sacramentum, aut si sine expositione SS. Sacramenti Vesperæ dicantur de Dominica, aut Festo ut supra, non Psalmus, non Antiphona, non Responsorium cantetur pro defunctis. Post reconditum tamen SS. Sacramentum; aut si non fuerit expositum, post *Benedicamus Domino* Vesperarum poterit submissiori voce Psalmus pro Defunctis recitari, aut etiam aliquid aliud quod Solemnitati minus conveniat.

3° si SS. Sacramentum sit in illis precibus expositum, post ultimam Orationem ad Aquilam, vadit celebrans Sacerdos ad Al-

Digitized by Google

tare, deponit SS. Sacramentum super Altare, flexis genibus super infimum gradum illud incensat, (interim cantantur à Choro duæ ultimæ strophæ *Pange lingua* aut alius Hymni vel Prosæ, aut de Rythmo sancti Thomæ *Adoro te supplex* ut habetur infra ad Octavam Corporis Christi) circa finem surgit, ascendit ad Altare, dat benedictionem, deinde SS. Sacramentum recondit: tum mediocri voce fiunt preces pro Defunctis si dicendæ sint. Sic fiet quotiescunque in illis Precibus expositum erit SS. Sacramentum.

4° cùm preces illæ serotinæ Vesperis sunt sine intermissione subjunctæ, satis erit si in illis Responsorium, Hymnus, aut Prosa cum Oratione convenienti decantetur. Ex subjectis infra indiculis facile erit colligere quod Responsorium, quis Hymnus aut quæ Prosa, & quæ Oratio convenienter in istis precibus poterit decantari. Si SS. Sacramentum sit expositum fiet ut supra monito 3°.

5° cùm Preces serotinæ neque per Vesperas ut dictum est monito 1° neque per preces Vesperis subjunctas ut dictum est monito 4° celebrantur, tunc hæc forma rituque servari poterit.

Post præviam lectionem quam post ultimum signum ex suggestu licitum erit facere, & quam Sacerdos qui leget poterit explicare, cantabitur Responsorium conveniens usque ad versum exclusivè, tum Psalmus delectus sub tonodesignato. Finito Psalmo cum *Gloria Patri*, totus chorus cantabit versum Responsorii, nemine imponente, sine cadentia, cum reclamatione; postea sequetur Hymnus aut Prosa, deinde canticum proprium cum Antiphona. Circa finem Hymni aut Prosæ post impositam antiphonam Cantici, Celebrans de more vadit ad Sacristiam, ubi sumptâ cappâ & etiam stolâ si SS. Sacramentum sit expositum, redit in Chorum, procedit ad Bancam, tum finitâ Antiphonâ stans ad Aquilam dicet primo versiculos tum Orationes versiculis respondentes sub una clausula. Orationibus verò convenientibus semper addetur Oratio pro Rege cum versiculo *Domine salvum fac Regem*. Si SS. Sacramentum sit expositum, nec preces serotinæ totæ sint de illo, secunda Oratio erit de SS. Sacramento, quodcumque Festum occurrat; ad benedictionem verò fiet ut dictum est supra monito 3°.

6° Nihil in Precibus illis decantetur nisi petitum ex Breviario, Missali, Antiphonario, aut Processionali Parisiensi, aut ex sacra Scriptura desumptum.

Quod ut facilius executioni demandetur, hìc subjicitur indiculus precum serotinarum proprii de Tempore, proprii Sanctorum, Communis Sanctorum, & pro diversis necessitatibus.

In his licebit uti cappis, & ad Canticum thurificationes adhibere.

Digitized by Google

INDICULUS PRECUM SEROTINARUM PROPRII de tempore.

In solemnitate majorum Antiphonarum *O.*

Die 15 Decembris.

Lectio prævia de Isaia ex Sabbato infra hebdomadam secundam Adventûs *Domine Deus* ℟. *Canite tuba* primum Dominicæ quartæ Adventus Ps. 2. *Quare fremuerunt &c.* de 1. in a. Prosa *Humanigeneris* ex Missa Annuntiationis Dominicæ tempore Paschali. Ad *Magnificat* de 2. Antiphona *O sapientia* quæ, ut & ceteræ majores Antiphonæ, dicitur ter, 1º. ante *Magnificat.* 2º, ante *Gloria Patri.* 3º. post *Sicut erat.* Versiculi *Rorate. Angelus Domini. Domine salvum fac Regem. Domine exaudi orationem. Dominus vobiscum.* Orationes sub una clausula, prima de Dominica hebdomadæ currentis, secunda de Beata in Adventu, tertia pro Rege. Si SS. Sacramentum sit expositum, secunda Oratio de illo erit, ut dictum est supra monito 5º. ad benedictionem verò fiet ut suprà monito 3º.

Poterunt tamen hodie & sequentibus feriis vigiliam Nativitatis Domini præcedentibus Vesperæ integræ decantari loco precum illarum serotinarum in Ecclesiis in quibus non quotidie decantantur vesperæ, & tunc dicto *Benedicamus Domino*, fiet ut suprà dictum est monito 3º modo SS. Sacramentum sit expositum.

Die 16 Decembris.

Lectio prævia ex primo nocturno Dominicæ tertiæ Adventûs *In illa die cantabitur.* ℟. *Non auferetur* secundum Dominicæ quartæ Adventûs, Psalmus 18. *Cæli enarrant* de 2. Hymnus *Conditor.* Ad *Magnicat* de 2. Antiphona *O Adonai.* Versiculi & Orationes ut supra die decimâ quintâ.

Die 17 Decembris.

Lectio prævia ex feria tertia infra hebdomadam tertiam Adventûs *Expectat Dominus.* ℟. *Juravi dicit Dominus*, tertium Dominicæ quartæ Adventûs, Psalmus 44. *Eructavit* de 8. tono in G. Prosa *Humani generis.* Ad Magnificat. de 2. Antiphona *O Radix Jesse.* Versiculi & Orationes ut supra die decimâ quintâ.

Die 18 Decembris.

Lectio prævia ex primo nocturno Dominicæ quartæ Adventûs *Lætabitur deserta.* ℟. *Nascetur nobis*, quartum Dominicæ quartæ Adventûs, Psalmus 47. *Magnus Dominus* de 8. tono in G.

Digitized by Google

Hymnus *Conditor*, ad *Magnificat*, Antiphona, de 2. *O Clavis David.* Versiculi & Orationes ut supra die decimaquintâ.

Die 19. Decembris.

Lectio prævia ex feria secunda infra hebdomadam quartam Adventûs *Et tu Israel.* ℟. *Germinaverunt.* quintum Dominicæ quartæ Adventûs, Psalmus 71. *Deus judicium tuum regi da*, de 2. Prosa *Humani generis.* Ad Magnificat, de 2. Antiphona, *O Oriens*: Versiculi & Orationes ut supra die decimaquintâ.

Die 20 Decembris.

Lectio prævia ex feria tertia infra hebdomadam quartam Adventûs *Ecce servus meus.* ℟. *Virgo Israel*, sextum Dominicæ quartæ Adventûs, Psalmus 84. *Benedixisti* de 8. in G. Hymnus *Conditor.* Ad *Magnificat* de 2. Antiphona: *O Sancte Sanctorum.* Versiculi & Orationes ut suprà die decimaquintâ.

Die 21 Decembris.

Lectio prævia ex feria quarta infra hebdomadam quartam Adventûs. *Audite me.* ℟. *Me oportet minui*, septimum Dominicæ quartæ Adventûs, Psal. ex Psal. 88. *Misericordias Domini* à ℣. 21. *Inveni David* ad versum 38. inclusivè *& testis in cælo fidelis* de 3. in c. Prosa *Humani generis.* Ad *Magnificat* de 2. Antiphona *O Rex Gentium.* Versiculi & Orationes ut supra die decimaquintâ.

Die 22 Decembris.

Lectio prævia ex feria quinta infra hebdomadam quartam Adventûs *Utinam dirumperes cælos.* ℟. *Non discedimus à te* octavum Dominicæ quartæ Adventûs, Psalmus 95. *Cantate Domino canticum novum* * *cantate &c.* de 8. tono in G. Hymnus *Conditor.* Ad Magnificat Antiphona, de 2. *O Emanuel.* Versiculi & Orationes ut suprà die dicimaquintâ.

Die 23 Decembris.

Lectio prævia ex feria sexta infra hebdomadam quartam Adventûs *Audite verbum Domini.* ℟. *Intuemini* nonum Dominicæ quartæ Adventûs, Psalmus 96. *Dominus regnavit exultet terra* de 3. in c. Prosa *Humani generis.* Ad *Magnificat* de 2. Antiphona *O Pastor Israël.* Versiculi & Orationes ut supra die decimaquintâ.

Digitized by Google

Die 25 Decembris.

In Natali Domini.

Lectio prævia de sermone S. Leonis Papæ *Salvator noster* ex secundo nocturno Festi. ℟. *Verbum caro factum est*, nonum de Festo, Psalmus 97. *Cantate Domino quia mirabilia fecit* de 8. in *G.* Prosa *Lætabundus* ex Missa diei.

Canticum Isaiæ. Cap. 44. ℣. 23. *Laudate cæli.* de 8. in G. Antiphona *Gloria in excelsis Deo.* de Laudibus ad Benedictus.

*Laudate cæli, * quoniam misericordiam fecit Dominus.*

*Jubilate extrema terræ: * resonate montes laudationem,*

*Saltus & omne lignum ejus: * quoniam redemit Dominus Jacob, & Israel gloriabitur.*

*Hæc dicit Dominus redemptor tuus, * & formator tuus ex utero:*

*Ego sum Dominus faciens omnia, * extendens cœlos solus,*

*Stabiliens terram, * & nullus mecum,*

*Irrita faciens signa divinorum, * & ariolos in furorem vertens,*

*Convertens sapientes retrorsum, * & scientiam eorum stultam faciens,*

*Suscitans verbum servi sui, * & consilium nuntiorum suorum complens;*

*Qui dico Jerusalem, Habitaberis; & civitatibus Juda, Ædificabimini: * & deserta ejus suscitabo.*

Gloria Patri.

Ant. *Gloria in excelsis* ad Benedictus Festi. Versiculus, *Notum fecit Dominus*: Oratio Festi.

Die 26 Decembris.

In Festo S. Stephani protomartyris.

Lectio prævia de Actibus Apostolorum ex 1°. nocturno Festi. *In diebus illis.* ℟. *Intendens* quartum Festi, Psalmus 20. *Domine in virtute tua.* de 4. in a. Hymn. *Deus tuorum* & Canticum *Laudabit.* ut in Com. unius Mart. de 4. in *A.* Ant. *Ecce video* quarta de Laudibus & Oratio Festi: cætera ut in eodem communi.

Die 27 Decembris.

In Festo S. Joannis Apostoli & Evangelistæ.

Lectio prævia de S. Hieronymo ex 2°. Nocturno Festi *Joannes Apostolus.* ℟. *Quod vidimus* sextum Festi, Psalmus 18. *Cæli enarrant* de 3. in c. Hymnus *Exultet cælum.* ad Vesp. in Communi Apostolorum.

Digitized by Google

Canticum Isaïæ. Cap. 52. ℣. 7. *Quam* de 4. in E. Antiphona *Joannes.*

*QUam pulcri super montes * pedes annuntiantis & prædicantis pacem :*

*Annuntiantis bonum, prædicantis salutem, * dicentis Sion, Regnabit Deus tuus !*

*Vox speculatorum tuorum : * levaverunt vocem, simul laudabunt :*

*Quia oculo ad oculum videbunt * cùm converterit Dominus Sion.*

*Gaudete, & laudate simul deserta Jerusalem : * quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem.*

*Paravit Dominus brachium sanctum suum * in oculis omnium gentium :*

*Et videbunt omnes fines terræ * salutare Dei nostri.*

*Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere : * exite de medio ejus, mundamini qui fertis vasa Domini :*

*Quoniam non in tumultu exibitis, * nec in fuga properabitis :*

*Præcedet enim vos Dominus, * & congregabit vos Deus Israel.*

*Ecce intelliget servus meus ; * exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde.*

*Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, * & forma ejus inter filios hominum.*

*Iste asperget gentes multas : * super ipsum continebunt reges os suum :*

*Quia quibus non est narratum de eo, viderunt : * & qui non audierunt, contemplati sunt.*

Gloria Patri.

Ant. *Joannes* quarta de Laudibus. Versiculus, *Dominus dabit verbum &c.* Oratio Festi. *&c.*

Die 28. Decembris.

In Festo SS. Innocentium.

Lectio prævia de S. Leone *Herodes.* ex 2.° Nocturno Festi. ℣. *Cantabant* nonum Festi cum Psalmo 78. *Deus venerunt gentes* de 1. nota. Hymnus *Salvete flores martyrum.*

Canticum Sapientiæ. Cap. 10. ℣. 17. *Sapientia* de 3. in à. Antiphona *Effuderunt.*

*SApientia reddidit justis mercedem laborum suorum, * & deduxit illos in via mirabili :*

*Et fuit illis in velamento diei, * & in luce stellarum per noctem.*

*Transtulit illos per mare rubrum, * & transvexit illos per aquam nimiam.*

Digitized by Google

*Inimicos autem illorum demersit in mare, * & ab altitudine inferorum eduxit illos.*

*Ideo justi tulerunt spolia impiorum, * & decantaverunt Domine nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudaverunt pariter:*

*Quoniam sapientia aperuit os mutorum, * & linguas infantium fecit disertas.*

Gloria Patri.

Ant. *Effuderunt* secunda, tertii nocturni Festi, Versiculus *Exultabunt*, &c. Oratio Festi.

Die primâ Januarii.

In Circumcisione Domini:

Lectio prævia de S. Leone *Festivitatis hodiernæ* ex 2°. nocturno Festi. ℟. *Ingrediens*, quartum Festi, cum Psalmo 39. *Expectans expectavi* de 2. Hymnus *A solis.*

Canticum Isaïæ. Cap. 61. ℣. 10. & 62. ℣. 1. *Gaudens* de 7. in a. Antiphona *Vocatum est.*

*GAudens gaudebo in Domino, * & exultabit anima mea in Deo meo:*

*Quia induit me vestimentis salutis; * & indumento justitiæ circundedit me*

*Quasi sponsum decoratum corona * & quasi sponsam ornatam monilibus suis.*

*Sicut enim terra profert germen suum, * & sicut hortus semen suum germinat;*

*Sic Dominus Deus germinabit justitiam * & laudem coram universis gentibus.*

*Propter Sion non tacebo, * & propter Jerusalem non quiescam,*

*Donec egrediatur ut splendor justus ejus, * & salvator ejus ut lampas accendatur.*

*Et videbunt gentes justum tuum, * & cuncti reges inclytum tuum:*

*Et vocabitur tibi nomen novum, * quod os Domini nominabit.*

Gloria Patri.

Ant. *Vocatum est.* ad Magnificat in 2. Vesperis Festi. Versiculus *Notum fecit Dominus.* Oratio Festi ex Dominicâ inter Circumcisionem & Epiphaniam, *Deus qui in unigenito*, &c.

Die tertiâ Januarii.

In Festo sanctæ Genovefæ virginis.

Lectio prævia ex 2°. nocturno Festi. Oratio *Beata Genovefa.* Cætera ut in communi Virginum.

Digitized by Google

Die sextâ Januarii.

In Epiphania Domini.

Lectio prævia de S. Leone *Gaudete in Domino* ex 2°. nocturno Festi. ℟. *Illuminare*, *illuminare* primum de Festo, cum Psalmo 46. *Omnes gentes* de 5. in a. Prosa *Ad Jesum accurrite* ex Missa Festi.

Canticum Tobiæ. Cap. 13. ℣. 10. *Benedicite* de 1. in D. Antiphona *Vidimus.*

*Benedicite Dominum omnes electi ejus : * agite dies lætitiæ, & confitemini illi.*

*Jerusalem civitas Dei, * castigavit te Dominus in operibus manuum tuarum.*

*Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum sæculorum, * ut reædificet in te tabernaculum suum,*

*Et revocet ad te omnes captivos, * & gaudeas in omnia sæcula sæculorum.*

*Luce splendida fulgebis : * & omnes fines terræ adorabunt te.*

*Nationes ex longinquo ad te venient : * & munera deferentes, adorabunt in te Dominum,*

*Et terram tuam * in sanctificationem habebunt.*

*Nomen enim magnum * invocabunt in te.*

Gloria Patri.

Ant. *Vidimus stellam* &c. ad Benedictus Festi. ℣ *Adorabunt eum omnes reges terræ* Oratio Festi.

Dominicâ Quinquagesimæ.

Lectio prævia ex Isaïa, Cap. 5. 11. *Væ qui consurgitis* ad finem. ℟. *Non avertas* primum ex sabbatis post octavam Epiphaniæ, cum Psalmo 101. *Domine exaudi orationem meam*, de 2.

Canticum Moysis. Exodi 32. ℣. 11. *Cur* de 1. in a. Antiphona *Domine.*

*Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, * quem eduxisti de terra Ægypti,*

*In fortitudine magna, * & in manu robusta?*

*Ne quæso dicant Ægyptii : * Callide eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret è terra.*

*Quiescat ira tua, * & esto placabilis super nequitia populi tui.*

*Recordare Abraham, Isaac & Israel servorum tuorum, * quibus juraisti per temetipsum,*

*Dicens, Multiplicabo semen vestrum * sicut stellas cæli :*

*Et universam terram hanc de qua locutus sum dabo semini vestro, * & possidebitis eam semper.*

Gloria Patri.

Digitized by Google

Ant. *Domine ne avertas aurem tuam à ſingultu meo & clamoribus* ſecunda primi Nocturni Compaſſionis Beatæ Mariæ Virginis: Poſtea dicuntur preces quæ habentur ad Tertiam *Kyrie eleiſon*, &c. Dicto *Pater noſter*, dicitur alternis unus è 7. Pſalmis pœnitentialibus recto vocis tono cum *Gloria Patri* in fine (omiſſo tamen pſalmo 101.) tum celebrans dicit *Domine Deus virtutum converte nos: Exurge Chriſte adjuva nos: Domine ſalvum fac Regem: Domine exaudi orationem meam.* Deinde ſurgens dicit, *Dominus vobiſcum.* Oremus, *Deus qui errantibus* &c. ex Dominica tertia poſt Paſcha. Si SS. Sacramentum ſit expoſitum fiet ut dictum eſt ſuprà monitis 3. & 5.

Feriis 2. & 3. infra Hebdomadam Quinquageſimæ fiunt eædem preces ſerotinæ, ſed ad preces quæ ſuprà flectuntur genua.

In Feſto quinque Plagarum Chriſti.

Lectio prævia de ſancto Bernardo ex 2° nocturno, *Ubi tuta.* ℣. *Vulneratus eſt* primum ſecundi nocturni cum Pſalmo 21. *Deus Deus meus reſpice in me.* de 6. in C. Hymnus *Prome vocem* ex Veſperis.

Canticum Iſaiæ. Cap. 63. ℣. 1. *Quis* de 1. in f. Ant. *Quis* &c.

*Quis eſt iſte, qui venit de Edom, * tinctis veſtibus de Boſra?*

*Iſte formoſus in ſtola ſua, * gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ.*

*Ego, qui loquor juſtitiam, * & propugnator ſum ad ſalvandum.*

*Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, * & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?*

*Torcular calcavi ſolus, * & de gentibus non eſt vir mecum:*

*Calcavi eos in furore meo, * & conculcavi eos in ira mea:*

*Et aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, * & omnia indumenta mea inquinavi.*

Dies enim ultionis in corde meo; annus redemptionis meæ venit.*

*Circunſpexi, & non erat auxiliator: * quæſivi, & non fuit qui adjuvaret:*

*Et ſalvavit mihi brachium meum, * & indignatio mea, ipſa auxiliata eſt mihi.*

Gloria Patri.

Ant. *Quis eſt iſte* prima de Laudibus. ℣. *Foderunt manus meas*, &c. ex ſecundo Nocturno. Oratio Feſti.

Digitized by Google

In compassione Beatæ Mariæ Virginis.

Lectio prævia de S. Bernardo ex secundo Nocturno *Martyrium virginis*. ℟. *Contritione magna* secundum primi Nocturni: Psalm. 45. *Deus noster refugium* de 6. in C. Prosa *Stabat mater dolorosa.*

Canticum Threnorum. Cap. 1. ℣. 20. *Vide* de 4. in *A.*
Antiphona *Quandiu.*

*Vide Domine quoniam tribulor, * conturbatus est venter meus:*

*Subversum est cor meum in memetipsa, * quoniam amaritudine plena sum.*

*Foris interficit gladius, * & domi mors similis est.*

*Audierunt quia ingemisco ego, * & non est qui consoletur me:*

*Omnes inimici mei audierunt malum meum: * & lætati sunt, quoniam tu fecisti:*

*Adduxisti diem consolationis, * & fient similes mei.*

Gloria Patri.

Ant. *Quandiu ponam* prima 1. Nocturni. ℣. *Tuam ipsius animam* ℟. *Doloris gladius pertransivit.* Oratio Festi.

In die sancto Paschæ.

Lectio prævia *Si consurrexistis* Ad Colloss. 3. ℟. *Surrexit pastor bonus*, primum feriæ quartæ infra Hebdomadam Dominicæ primæ post Pascha, cum Psal. ex Psal. 117. *Confitemini.* a versu 21. *Confitebor tibi* usque ad finem de 1. in .a Prosa *O filii & filiæ.*

Canticum Ezechielis. Cap. 34. ℣. 23. *Suscitabo* de 6. in F.
Antiphona *Eduxit Deus.*

*Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, * servum meum David.*

*Ipse pascet eas, * & ipse erit eis in pastorem.*

*Ego autem Dominus ero eis in Deum: * & servus meus David princeps in medio eorum.*

*Ego Dominus locutus sum: * & faciam cum eis pactum pacis:*

*Et cessare faciam bestias pessimas de terra: * & qui habitant in deserto securi dormient in saltibus.*

*Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem: * & deducam imbrem in tempore suo; pluviæ benedictionis erunt.*

*Et dabit lignum agri fructum suum, * & terra dabit germen suum,*

*Et erunt in terra sua absque timore: & scient quia ego Dominus, * cum contrivero catenas jugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi.*

*Et non erunt ultra in rapinam in gentibus, * neque bestia*

Digitized by Google

terræ devorabunt eos:

*Sed habitabunt confidenter * absque ullo terrore.*

*Et suscitabo eis germen nominatum: * & non erunt ultra imminuti fame in terra;*

*Neque portabunt ultra * opprobrium gentium.*

*Et scient quia ego Dominus Deus eorum tum eis, * & ipsi populus meus domus Israel: ait Dominus Deus.*

*Gloria Patri & Filio * & Spiritui sancto, &c.*

Ant. *Eduxit Deus de mortuis*, &c. ad Magnificat feriæ quartæ infra hebdomadam Dom. secundæ post Pascha. Oratio, *Deus pacis qui eduxisti de mortuis*, &c. ex Postcommunione Dominicæ secundæ post Pascha.

Ubi preces serotinæ Vesperis junguntur fit ut notatur in Graduali.

In Ascensione Domini.

Lectio prævia secunda & tertia Nocturni Feriæ sextæ infra Octavam Ascensionis *Post beatam* &c. ℣. *Christus Jesus splendor* ultimum Nocturni ejusdem Feriæ sextæ, cum Psalmo 18. *Cæli enarrant* de 6. in C. Prosa ex Missa Festi, *Solemnis hæc festivitas*, &c.

Canticum, è Cap. 1. ad Ephesios. ℣. 17 *Deus* de 6. in F.

Antiphona, *Assumptus.*

*DEus, Domini nostri Jesu Christi pater gloriæ, * det vobis spiritum sapientiæ & revelationis in agnitione ejus,*

*Illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, * & quæ divitiæ gloriæ hereditatis ejus in sanctis,*

*Et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, * qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus,*

*Quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, * & constituens ad dexteram suam in cœlestibus,*

*Supra omnem principatum, & potestatem, * & virtutem, & dominationem,*

*Et omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, * sed etiam in futuro:*

*Et omnia subjecit sub pedibus ejus: * & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam,*

*Quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus; * qui omnia in omnibus adimpletur.*

*Gloria Patri & Filio * Et Spiritui sancto, &c.*

Ant. *Assumptus est* ultima de Laudibus Festi. ℣. *Ascendens Christus in altum*, &c. Oratio, *Concede, quæsumus*, &c.

In die sancto Pentecostes.

Lectio prævia *Cum complerentur* &c. ex cap. 2°. Actuum

Digitized by Google

Apostolorum. ℟. *Non accepimus Spiritum*, ultimum Feriæ sextæ infra Hebdomadam Pentecostes, cum Psalmo è 103. à versu *Emitte Spiritum tuum* usque ad finem de 2. Prosa *Veni sancte Spiritus*, è Missa diei:

Canticum Isaiæ Cap. 4. ℣. *In die illa* 2. de 8. in G.
Antiphona, *Nisi quis.*

IN die illa, erit germen Domini * *in magnificentia & gloria,*

Et fructus terræ sublimis, * *& exultatio his, qui salvati fuerint de Israel.*

Et erit: Omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, * *omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem.*

Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, * *& sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus,*

In spiritu judicii, * *& spiritu ardoris.*

Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, * *& ubi invocatus est, nubem per diem,*

Et fumum & splendorem ignis flammantis in nocte: * *super omnem enim gloriam protectio.*

Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, * *& in securitatem, & absconsionem à turbine, & à pluvia.*

Gloria Patri.

Ant. *Nisi quis.* ad Benedictus feria secunda infra hebdomadam Pentecostes. ℣. *Emitte Spiritum* &c. Oratio Diei.

Dominicâ SS. Trinitatis.

Lectio prævia ex S. Fulgentio, de 2°. Nocturno Dominicæ Trinitatis, *Fides quam sancti Patriarchæ*, ℟. *Prædicate Evangelium* septimum Festi. Loco psalmi, symbolum *Quicunque.* ad illa verba exclusivè, *Sed necessarium est*, &c. de 1. in a. Hymnus, *O luce quæ tua lates*, cum doxologia nocturnorum, *Da posse quod jubes Pater.*

Canticum Isaiæ. Cap. 66. ℣. 8. *Quis* de 1. in f.
Antiphona, *Nunquid ego.*

QUis audivit unquam tale? * *& quis vidit huic simile?*

Nunquid parturiet terra in die una? aut parietur gens simul, * *quia parturivit & peperit Sion filios suos?*

Nunquid ego qui alios parere facio, * *ipse non pariam, dicit Dominus?*

Si ego qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero, * *ait Dominus Deus tuus?*

Lætamini cum Jerusalem, * *& exultate in ea omnes qui diligitis eam:*

Gaudete cum ea gaudio universi

Digitized by Google

*versi, * qui lugetis super eam,*
*Ut sugatis, * & repleamini ab ubere consolationis ejus:*
*Ut mulgeatis, & deliciis affluatis * ab omnimoda gloria ejus.*
Gloria Patri &c.

Ant. *Nunquid ego.* prima 1. Nocturni. Versiculus, *Benedicamus Patrem & Filium* &c. Oratio Festi.

In Festo Corporis Christi.

Lectio prævia de sancto Gregorio in Evangelium Dominicæ infra Octavam Festi, *Hoc distare &c.* ℟. *Unus panis* nonum de Festo; Psalmus 144. *Exaltabo te Deus meus* de 1. in a. Hymnus *Pange lingua.*

Canticum Proverb. 9. ℣. 1, *Sapientia* de 1. in D.

Antiphona, *Sapientia.*

*SApientia adificavit sibi domum, * excidit columnas septem.*
*Immolavit victimas suas, * miscuit vinum, & proposuit mensam suam;*
*Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, * & ad mœnia civitatis:*
*Si quis est parvulus, veniat ad me; * & insipientibus locuta est;*
*Venite, comedite panem meum, * & bibite vinum quod miscui vobis.*
*Relinquite infantiam, & vivite, * & ambulate per vias prudentiæ.*
*Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui sancto, &c.*

Ant. *Sapientia adificavit.* prima de Laudibus. ℣. *Panem cæli dedit eis.* Oratio Festi.

Dicto *Benedicamus Domino*, celebrans cum stola vadit ad altare, deponit SS. Sacramentum super altare, incensat ante benedictionem, interim cantantur in choro lentè & gravi mensurâ duæ primæ strophæ Rythmi sancti Thomæ *Adoro te.* Ad secundam strophen datur benedictio SS. Sacramenti & statim reconditur, tum submissâ voce fiunt preces ut supra dictum est monito secundo.

Feriâ sextâ infra Octavam Corporis Christi.

Lectio prævia de Sermone sancti Thomæ Aquinatis ex Nocturno secundo Festi, *Immensa.* ℟. *Misit me vivens.* octavum Festi; Psalmus, *Beati omnes* 127. de 8. in G. Hymnus, *Sacris solemniis.*

Canticum Sapientiæ. Cap. 16. ℣. 20. *Angelorum escâ.* de 2. tono.

Antiphona, *Angelorum.*

*ANgelorum escâ nutrivisti populum tuum, * & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore,*

Digitized by Google

*Omne delectamentum in se habentem, * & omnis saporis suavitatem.*

*Substantia enim tua * dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebat;*

*Et deserviens uniuscujusque voluntati, * ad quod quisque volebat, convertebatur.*

*Nix autem & glacies sustinebant vim ignis, * & non tabescebant:*

*Ut scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens * in grandine & pluvia coruscans.*

*Hic autem iterum ut nutrirentur justi, * etiam suæ virtutis oblitus est.*

*Creatura enim tibi factori deserviens, * exardescit in tormentum adversus injustos:*

*Et lenior fit ad benefaciendum * pro his qui in te confidunt.*

*Propter hoc & tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat; * ad voluntatem eorum qui à te desiderabant:*

*Ut scirent filii tui, quos dilexisti Domine, * quoniam non nativitatis fructus pascunt homines,*

*Sed sermo tuus * hos qui in te crediderint conservat.*

*Quod enim ab igne non poterat exterminari, * statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat:*

*Ut notum omnibus esset quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, * & ad ortum lucis te adorare.*

*Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui sancto &c.*

Ant. *Angelorum esca.* secunda de Laudibus Festi. ℣ *Cibavit illos* &c. Oratio Festi. Ad benedictionem SS. Sacramenti, secundæ strophæ Rythmi S. Thomæ, *In cruce latebat. Plagas sicut Thomas.*

Poterunt tamen hodie & reliquis diebus infra Octavam Vesperæ decantari de diebus infra Octavam loco Precum serotinarum in Ecclesiis inquibus Vesperæ non quotidie decantantur, & tunc dicto *Benedicamus Domino*, cantabitur ad benedictionem SS. Sacramenti pars Hymni, Prosæ, aut Rythmi sancti Thomæ Aquinatis ut unoquoque die notatur.

Sabbato infra Octavam Corporis Christi.

Lectio prævia de S. Hilario ex hac die in Officio Nocturno, *Si vere carnem.* ℟ *Qui manducat.* septimum Festi; Psalmus 147. *Lauda Jerusalem Dominum.* de 7. in G. Hymnus, *Verbum supernum.*

Canticum Jeremiæ. Cap. 31. ℣. 10. *Audite.* de 6. in F.

Antiphona, *In voce.*

*Audite verbum Domini gentes, * & annuntiate in insulis quæ procul sunt:*

*Et dicite: Qui dispersit Israel, congregabit eum: * & custodiet eum sicut pastor gregem suum*

Digitized by Google

Redemit enim Dominus Jacob, & liberavit eum de manu potentioris.

Et venient, & laudabunt in monte Sion: & confluent ad bona Domini,

Super frumento, & vino, & oleo, & fœtu pecorum & armentorum:

Eritque anima eorum quasi hortus irriguus, & ultra non esurient.

Tunc lætabitur virgo in choro, juvenes & senes simul: & convertam luctum eorum in gaudium,

Et consolabor eos, & lætificabo à dolore suo:

Et inebriabo animam sacerdotum pinguedine: & populus meus bonis meis adimplebitur: ait Dominus,

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto &c.

Ant. *In voce exultationis.* tertia secundi Nocturni Festi. ℣. *Educas panem de terra.* Oratio Festi. Ad benedictionem SS. Sacramenti 3. strophæ Rythmi sancti Thomæ, *O memoriale. Pie pelicane, Jesu quem velatum.*

Dominicâ infra Octavam Corporis Christi.

Lectio prævia de sancto Augustino è Feria sexta infra Octavam Corporis Christi, *Sacrificium & oblationem.* ℟. *Accepit Jesus calicem.* sextum Festi; Psalmus 80. *Exultate Deo* de. 6. in C. Prosa *Lauda Sion.*

Canticum Malachiæ. Cap. 1. ℣. 7. *Offertis.* de 1. in a. Antiphona, *Magnum est,*

Offertis super altare meum panem pollutum: & dicitis; *In quo polluimus te?*

In eo quod dicitis, Mensa Domini despecta est.

Si offeratis cæcum ad immolandum; nonne malum est? & si offeratis claudum, & languidum; nonne malum est?

Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.

Et nunc deprecamini vultum Dei ut misereatur vestri, de manu enim vestra factum est hoc,

Si quomodo susciplat facies vestras, dicit Dominus exercituum.

Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò?

Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum; & munus non suscipiam de manu vestra:

Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus:

Et in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda;

Digitized by Google

Quia magnum est nomen meum in gentibus, * *dicit Dominus exercituum.*

Gloria Patri, & Filio, * *& Spiritui sancto.*

Sicut erat in principio &c.

Ant. *Magnum est.* Ad Nocturnum infra Octavam Corporis Christi. ℣. *Panem de cælo præstitisti eis.* Oratio Festi. Ad benedictionem SS. Sacramenti, *Ave verum.*

Feriâ secundâ infra Octavam Corporis Christi.

Lectio prævia de S. Cypriano ex hac die *In sacerdote.* ℟. *Cœnantibus illis.* quintum Festi; Psalmus 110. *Confitebor tibi Domine.* de 5. in a. Cætera ut in Festo Corporis Christi. Ad benedictionem SS. Sacramenti, *Panis Angelicus.* cum strophe sequenti.

Feriâ tertiâ infra Octavam Corporis Christi.

Lectio prævia de S. Joanne Chrysostomo ex hac die, *Unicuique Fidelium,* ℟. *Panis quem ego dabo.* quartum Festi; Psalmus 22. *Dominus regit me.* de 4. in a. Cætera ut Feriâ sextâ infra Octavam. Ad benedictionem SS. Sacramenti, *O salutaris hostia.* cum strophe sequenti.

Feriâ quartâ infra Octavam Corporis Christi.

Lectio prævia de S. Ambrosio ex hac die, *Forte dicas.* ℟. *Respexit Elias.* tertium Festi; Psalmus 83. *Quam dilecta.* de 3. in c. Cætera ut sabbato infra Octavam. Ad benedictionem SS. Sacramenti, *Ecce panis Angelorum. Bone pastor.*

Feriâ quintâ in Octava Corporis Christi.

Lectio prævia de S. Cyrillo Hierosolymitano ex secundo Nocturno hujus Feriæ, *Ipsa beati Pauli.* ℟. *Comedetis carnes.* secundum Festi; Psalmus 41. *Quemadmodum desiderat cervus.* de 2. in D. Cætera ut Dominicâ infra Octavam. Ad benedictionem, *Tantum ergo sacramentum.* cum strophe sequenti.

Si fiat Processio, fiet intra septa Ecclesiæ, ut infra dicitur p. 226. Cap. 21. Art. 8. Num. 3.

INDICULUS PRECUM SEROTINARUM de SS. Sacramento, quæ in quibusdam Ecclesiis fiunt singulis Dominicis & Feriis quintis cujusque mensis.

Mense Decembri ante diem decimam-quintam.

Lectio prævia de S. Cyrillo Alexandrino ex Homilia Octavæ Corporis Christi, *Qui manducat me.* ℟. *Immolabit.* ut in Processionali,

Digitized by Google

pag. 175. fine cadentia ad Versum ; Psalmus 62. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* de 1. in D. Cætera ut in Festo Corporis Christi.

Mense Januario post Octavam Epiphaniæ.

Lectio prævia ex Epistola prima ad Corinthios, cap. 11. à versu 23. *Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis.* ad versum 32. inclusivè, *ut non cum hoc mundo damnemur.* ℟. *Homo quidam.* ut in Processionali, pag. 172. fine cadentia ; Psalmus 19. *Exaudiat.* de 6. in C. Cætera ut Feriâ sextâ infra Octavam Corporis Christi. Post Septuagesimam ad Canticum, Antiphona, *Miserator Dominus.* secunda Vesperarum.

Mense Februario.

Lectio prævia de S. Justino ex secundo Nocturno Dominicæ infra Octavam Corporis Christi, *Offertur ei.* ℟. *Melchisedech.* secundum Dominicæ in Quinquagesima; Psalmus 42. *Judica me Deus, & discerne.* de 5. in a. Cætera ut Sabbato infra Octavam Corporis Christi.

Mense Martio.

Lectio prævia de S. Augustino ex tertio Nocturno Festi Corporis Christi, *Qui manducat meam carnem.* ℟. *Mandavit Deus nubibus.* quartum Dominicæ quartæ in Quadragesima, Psalmus 15. *Conserva me Domine.* de 2. in D. Cætera ut Dominicâ infra Octavam Corporis Christi.

Mense Aprili.

Omnia ut in Festo Corporis Christi. Ante Pascha autem, ad Canticum de 1. in D. Ant. *Sacerdos in æternum.* prima Vesperarum.

Mense Maïo.

Omnia ut Feriâ sextâ infra Octavam Corporis Christi.

Mense Junio.

Omnia ut Sabbato infra Octavam Corporis Christi.

Mense Julio.

Omnia ut Dominicâ infra Octavam Corporis Christi.

Mense Augusto.

Lectio prævia, Responsorium, & Psalmus, ut Feria secundâ infra Octavam Corporis Christi. Cætera ut in ejus Festo.

Digitized by Google

Mense Septembri.

Lectio prævia, Responsorium & Psalmus, ut Feriâ tertiâ infra Octavam Corporis Christi. Cætera ut Feriâ sextâ infra eandem Octavam.

Mense Octobri.

Lectio prævia, Responsorium & Psalmus, ut Feriâ quartâ infra Octavam Corporis Christi. Cætera ut Sabbato infra eandem Octavam.

Mense Novembri.

Lectio prævia, Responsorium & Psalmus ut in Octava Corporis Christi. Cætera ut Dominicâ infra eandem Octavam.

*Multæ autem sunt Dominicæ & Feriæ quintæ in quibus preces seroti*næ non totæ sunt de SS. Sacramentum.

Post decimum quartum mensis Decembris in solemnitate majorum antiphonarum fit Dominicis & Feriis quintis occurrentibus ut supra notatum est pro diebus Vigiliam Nativitatis Domini præcedentibus.

Dominicis & Feriis quintis à Nativitate Domini ad Octavam Epiphaniæ inclusivè sic fient illæ preces:

Lectio prævia de S. Ambrosio ex secundo Nocturno Dominicæ inter Circumcisionem & Epiphaniam, *Breviter sanctus Lucas.* ℟. *O beata Infantia.* ultimum Circumcisionis; Psalmus 97. *Cantate Domino, ... quia mirabilia fecit* de 1. in a. Hymnus, *Christe Redemptor omnium.*

Canticum Isaiæ. Cap. 25. ℣. 1. *Domine,* de 8. in G.
Antiphona, *Ecce Deus.*

*DOmine Deus meus es tu, * exaltabo te, & confitebor nomini tuo:*

*Quoniam fecisti mirabilia, * cogitationes antiquas fideles, amen.*

*Quia posuisti civitatem in tumulum, * urbem fortem in ruinam, domum alienorum:*

*Ut non sit civitas, * & in sempiternum non ædificetur.*

*Super hoc laudabit te populus fortis, * civitas gentium robustarum timebit te:*

*Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua; * spes à turbine, umbraculum ab æstu.*

*Spiritus enim robustorum * quasi turbo impellens parietem.*

*Sicut æstus in siti, tumultum alienorum humiliabis: * & quasi calore sub nube torrente, propaginem fortium marcescere facies.*

Et faciet Dominus exercituum

Digitized by Google

*omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, * pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ.*

*Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, * & telam quam ordituſ est super omnes nationes.*

Præcipitabit mortem in sempiternum: & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie.

*Et opprobrium populi sui auferet de universa terra: * quia Dominus locutus est.*

*Et dicet in die illa: Ecce Deus noster iste, * expectavimus eum, & salvabit nos:*

*Iste Dominus; sustinuimus eum, * exultabimus, & lætabimur in salutari ejus.*

*Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui sancto &c.*

Ant. *Ecce Deus noster.* ad Magnificat in primis Vesperis Natalis Domini. ℣ *Verbum caro factum est.* Oratio, *Deus qui in unigenito.* ex Dominica inter Circuncisionem & Epiphaniam.

Feriâ quintâ in Cœna Domini nullæ fiunt serotinæ preces.

Feriis quintis infra hebdomadam Paschæ, in Octava Ascensionis & infra hebdomadam Pentecostes, repeti debent quæ diebus Paschæ, Ascensionis & Pentecostes notatæ sunt serotinæ preces, & addentur in his omnibus precibus serotinis Verficulus & Oratio de SS. Sacramento.

INDICULUS PRECUM SEROTINARUM

Proprii Sanctorum.

NOVEMBER.

Die 30.

In Festo S. Andreæ Apostoli.

Lectio prævia de S. Joanne Chrysostomo, ex secundo Nocturno Communis Apostolorum, *Ostendimus.* ℟ *Invenit Andreas.* 3. 1. Nocturni Festi; Psalm. 43. *Deus auribus nostris.* de 2. Hymn. *Exultet.*

Canticum Jeremiæ. Cap. 16. ℣. 14. *Ecce dies.* de 1. in *D.* Antiphona, *Ambulans Jesus.*

*ECce dies veniunt, dicit Dominus: * & non dicetur ultra, Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti.*

*Sed, Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis, * & de universis terris ad quas ejeci eos.*

*Et reducam eos in terram suam, * quam dedi patribus eorum.*

*Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, * & piscabuntur eos:*

*Et post hoc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, * & de omni colle, &*

Digitized by Google

de cavernis petrarum. *Gloria Patri &c.*

Ant. *Ambulans Jesus.* in primis Vesperis ad Magnificat. ℣ *Annuntiaverunt.* Oratio Festi.

DECEMBER.

Die octava.

In Conceptione beatæ Mariæ Virginis.

Lectio prævia de S. Leone ex secundo Nocturno diei Octavæ, *Semper quidem.* ℟ *Cogitavi.* primum 1. Nocturni Festi; Psalmus 45. *Deus noster.* de 7. in G. Hymnus, *Ave Maris stella.* Canticum Lucæ cap. 1. ℣. 46. *Magnificat* de 1. in g. Antiphona, *Sanctificavit tabernaculum.* prima 2. Nocturni Officii parvi Beatæ Mariæ. Versiculus, *Ave Maria gratia plena.* Oratio de die Octava, *Supplicationem.*

Die 21.

In Festo S. Thomæ Apostoli.

Lectio prævia ex secundo Nocturno Festi. ℟ & Ps. de Communi.

Canticum Isaiæ, Cap. 61. ℣ 6. *Vos sacerdotes.* de 8. in G. Antiphona, *Annuntiaverunt.*

*VOs sacerdotes Domini vocabimini: * ministri Dei nostri, dicetur vobis:*

*Fortitudinem gentium comedetis, * & in gloria earum superbietis.*

*Pro confusione vestra duplici & rubore, * laudabunt partem suam:*

*Propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, * lætitia sempiterna erit eis.*

*Quia ego Dominus diligens judicium, * & odio habens rapinam in holocausto:*

*Et dabo opus eorum in veritate, * & fœdus perpetuum feriam eis.*

*Et scient in gentibus semen eorum, * & germen eorum in medio populorum:*

*Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, * quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.*

Gloria Patri. &c.

Ant. *Annuntiaverunt.* ut in Communi Apostolorum. Oratio Festi.

JANUARIUS.

Die 25.

In Conversione S. Pauli.

Lectio prævia de Actibus Apostolorum ex primo Nocturno Festi, *Saulus adhuc spirans.* ℟ *Mihi creditum est.* nonum Festi; Psalmus 74

Digitized by Google

Confitebimur tibi Deus, de 3. in E. Hymnus, *Pastore percusso.* de 1. Vesperis.

Canticum 2. Regum. Cap. 22. v. 14. *Tonabit.* de 4. in *A.* Antiphona, *Gratia Dei.*

TOnabit de cælo Dominus: * *& excelsus dabit vocem suam.*
Misit sagittas, & dissipavit eos; * *fulgur, & consumpsit eos.*
Et apparuerunt effusiones maris, * *& revelata sunt fundamenta orbis,*
Ab increpatione Domini, * *ab inspiratione spiritus furoris ejus.*
Misit de excelso, & assumpsit me: * *& extraxit me de aquis multis.*
Gloria Patri & Filio * *& Spiritui sancto &c.*

Ant. *Gratia Dei sum.* quarta de Laudibus. Versiculus *Benjamin lupus rapax* &c. ex Versu sacerdotali. Oratio Festi.

FEBRUARIUS.

Die 2.

In Festo Præsentationis Domini & Purificationis beatæ Mariæ Virginis.

Lectio prævia de Libro Exodi quæ est prima Lectio primi Nocturni. ℟. *Hostiam.* tertium 1. Nocturni; Psalmus 39. *Expectans expectavi Dominum.* de 6. in C. Hymnus, *Fumant Sabæis.* Canticum, Luc 2. ℣ 29. ad ℣. 32. inclusivè. *Nunc dimittis.* de 2. ut habetur ad Completorium. Antiphona, *Nunc dimittis &c.* quarta de Laudibus. Versiculus, *Simeon in manibus &c.* Oratio Festi.

Die 24. vel 25.

In Festo S. Mathiæ Apostoli.

Lectio prævia de S. Joanne Chrysostomo ex secundo Nocturno. *In diebus illis.* ℟. ut in Communi Apost. Ps. *Deus laudem meam ne tacueris*, 108. ut in Communi. Canticum, *Ecce dies veniunt*, ut sup. in Festo S. Andreæ. Cætera ut in Communi Apost. Oratio Festi.

MARTIUS.

Die 19.

In Festo S. Joseph sponsi beatæ Mariæ Virginis.

Lectio prævia ex S. Bernardo, *Conjice ex appellatione.* ex 2. Nocturno. ℟. *Fidelis servus.* nonum de Festo; Psalmus 91. *Bonum est*

Digitized by Google

confiteri Domino. de 1. in a. Hymnus, *Matris intactæ.* de Laudibus.

Canticum Sapientiæ. Cap. 8. v. 9. *Proposui.* de 2. Antiphona, *Descendit Jesus.*

*Proposui sapientiam adducere mihi * ad convivendum:*

*Sciens quoniam mecum communicabit de bonis, * & erit allocutio cogitationis & tædii mei.*

*Habebo propter hanc claritatem ad turbas, * & honorem apud seniores juvenis:*

*Et acutus inveniar in judicio, & in conspectu potentium admirabilis ero, * & facies principum mirabuntur me:*

*Tacentem me sustinebunt, * & loquentem me respicient,*

*Et fermocinante me plurâ, * manus ori suo imponent.*

*Præterea habebo per hanc, immortalitatem: * & memoriam æternam his qui post me futuri sunt relinquam.*

*Gloria Patri & Filio * & Spiritui sancto & c.*

Ant. *Descendit Jesus.* ad *Benedictus.* Versiculus, *Constituit eum Dominus,* ex Versu sacerdotali. Oratio Festi.

Die 25.

In Festo Annuntiationis dominicæ.

Lectio prævia ex S. Leone *Deus omnipotens.* ex secundo Nocturno. ℟. *Ingrediens mundum.* quartum Circuncisionis; Psalmus 84. *Benedixisti.* de 2. in A. Prosa, *Humani generis.* ex Missa tempore paschali. Canticum, *Magnificat.* Lucæ 1. ℣. 46. ad ℣. 55. inclusivè de 6. in F. Ant. *Fecit mihi magna.* ad Magn. in 2. Vesp. Versiculus, *Verbum caro factum est.* Oratio Festi.

APRILIS.

Die 25.

In Festo S. Marci Evangelistæ.

Lectio prævia de S. Hieronymo, *Marcus.* secunda & tertia ex Nocturno. ℟. *Collaboravi.* tertium Nocturni; Psalmus 18. *Cæli enarrant.* de 3. in c. Canticum, *Quam pulchri super montes.* ut in Festo S. Joannis Evangelistæ: tonus verò Psalmi de 2. & cætera ut in Communi Apostolorum tempore paschali. Oratio Festi.

Digitized by Google

MAIUS.

Die prima.

In Festo SS. Apostolorum Philippi & Jacobi.

Lectio prævia, secunda & tertia Nocturni. Canticum, *Confitebor tibi pater.* ut in Communi Apostolorum. Oratio Festi. Cætera ut in Communi Apostolorum tempore paschali.

Die tertia.

In Festo Inventionis sanctæ Crucis.

Lectio prævia ex Epistola S. Paulini Episcopi ad Severum, *Hadrianus.* secunda & tertia Nocturni. ℟. *Crucifixus* ex primis Vesperis; Psalmus 21. *Deus Deus meus respice,* de 1. in a. Hymnus, *Crux fidelis,* de Laudibus.

Canticum. 1. Paralip. Cap. 16. ℣. 28. *Afferte* de 4. in A.

Antiphona, *Cum exaltaveritis.*

*Afferte Domino familiæ populorum : * afferte Domino gloriam & imperium.*

*Date Domino gloriam, nomini ejus, levate sacrificium, & venite in conspectu ejus : * & adorate Dominum in decore sancto.*

*Commoveatur à facie ejus omnis terra : * ipse enim fundavit orbem immobilem.*

*Lætentur cæli, & exultet terra : * & dicant in nationibus, Dominus regnavit.*

*Tonet mare, & plenitudo ejus: * exultent agri, & omnia quæ in eis sunt.*

*Tunc laudabunt ligna saltûs coram Domino : * quia venit judicare terram.*

*Confitemini Domino, quoniam bonus : * quoniam in æternum misericordia ejus.*

*Et dicite : Salva nos Deus salvator noster; & congrega nos, & erue de gentibus, * ut confiteamur nomini sancto tuo, & exultemus in carminibus tuis.*

*Benedictus Dominus Deus Israel ab æterno usque in æternum : * & dicat omnis populus : Amen, & hymnum Domino.*

Gloria Patri.

Ant. *Cum exaltaveritis.* ad Magnificat in 1. Vesp. Versiculus, *Dicite in nationibus,* Oratio Festi.

JUNIUS.

Die 24.

In Nativitate S. Joannis Baptistæ.

Lectio prævia de S. Augustino ex secundo Nocturno, *Nativitatis*

Digitized by Google

Joannis. ℟. *Elisabeth impletum est.* secundum 2. Nocturni; Ps. 70. *In te Domine.* è feria quinta in Psalterio usque ad verba, *tota die salutare tuum*, inclusivè, de 6. in C. Hymnus, *Ut queant laxis.* Canticum, Luc. Cap. 1. ℣. 68. ad ℣. 80. inclusivè, *Benedictus Dominus.* de 8. in G. Ant. *Apertum est.* Versiculus, *Puer qui natus est nobis.* Oratio Festi.

Die 29.

In Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Lectio prævia ex secundo Nocturno, *Omnium quidem.* ℟. *Quem dicunt homines esse.* secundum 1. Nocturni. Psalmus 43. *Deus auribus.* de 1. in a. Hymnus, *Aurea luce.*

Canticum Isaiæ. Cap. 66. ℣. 19. *Ponam.* de 8. in c.
Antiphona, *Annuntiabunt.*

*POnam in eis signum, * & mittam ex eis qui salvati fuerint,*

*Ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam * tendentes sagittam,*

*In Italiam & Græciam, * ad insulas longè,*

*Ad eos qui non audierunt de me, * & non viderunt gloriam meam.*

*Et annuntiabunt gloriam meam gentibus, * & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino,*

*In equis, & in quadrigis, & in lectichis, * & in mulis, & in carrucis,*

*Ad montem sanctum meum Jerusalem, * dicit Dominus,*

*Quomodo si inferant filii Israël munus * in vase mundo in domum Domini.*

*Et assumam ex eis in Sacerdotes * & Levitas, dicit Dominus.*

Gloria Patri.

Ant. *Annuntiabunt gloriam meam.* ad Nocturnum infra Octavam in Antiphonario, pag. 250. Versiculus, *Annuntiaverunt.* Oratio Festi.

Die 30.

In Commemoratione sancti Pauli.

Lectio prævia de S. Joanne Chrysostomo ex secundo Nocturno, *Cum beatus Paulus.* ℟. *Spiritus sanctus.* tertium secundi Nocturni; Psalmus 18. *Cæli enarrant.* de 3. in c. Hymnus, *Sat Paule.* Canticum, *Ponam.* ut heri, sed de 2. Ant. *Mihi omnium sanctorum.* prima de Laudibus. Versiculus, *Tu es vas electionis.* Oratio Festi.

Digitized by Google

JULIUS.

Die secundâ.

In Festo Visitationis beatæ Mariæ Virginis.

Lectio prævia de S. Bernardo, ex secundo Nocturno, *Si Mariam diligitis.* ℣. *Ut audivit.* quartum Festi; Psalmus 91. *Bonum est confiteri Domino.* de 3. in c. Hymnus, *Hunc diem Festum.* Canticum Luc. Cap. 1. ℣. 46. ad ℣. 55. inclusivè, *Magnificat* de 8. in G. Ant. *Respexit Deus.* ad Magnificat in 2. Vesp. Versiculus, *Fecit mihi magna qui potens est.* ex Versu sacerdotali. Oratio Festi.

Die 22.

In Festo sanctæ Mariæ Magdalenæ.

Lectio prævia deS. Gregorio, ex secundo Nocturno, *Pensandum est.* ℣. *Congratulamini mihi.* nonum Festi; Psalmus 92. *Quam bonus Israel Deus* de 3. in c. Hymnus, *Plagis magistri saucia.* ex Laudibus.

Canticum. Cantici Cant. c. Cap. 3. ℣. 1. *Quæsivi.* de 5. in C.
Antiphona, *Inveni.*

Quæsivi quem diligit anima mea: * *quæsivi illum, & non inveni.*

Surgam, & circuibo civitatem: * *per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea:*

Quæsivi illum, * *& non inveni.*

Invenerunt me vigiles, * *qui custodiunt civitatem:*

Num quem diligit anima mea, vidistis? * *paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea:*

Tenui eum, * *nec dimittam,*

Gloria Patri & Filio, * *& Spiritui sancto &c.*

Ant. *Inveni.* ad *Magnificat* in 1. Vesp. de Communi Virginum. Versiculus, *Ego dilecto meo.* ex 2. Vesp. Oratio Festi.

Die 25.

In Festo S. Jacobi Apostoli.

Lectio prævia de S. Clem. Alex. ut in secundo Nocturno. Oratio Festi. Cætera ut in Communi Apostolorum.

Digitized by Google

AUGUSTUS.

Dominicâ proximâ post Festum sancti Petri ad Vincula.

In Susceptione sanctæ Crucis.

Lectio prævia de secundo Nocturno. ℣. *Prædicamus Christum.* tertium 1. Nocturni; Psalmus 21. *Deus Deus meus respice.* de 1. in a. Hymnus, *Crux fidelis.* Canticum ut in Inventione sanctæ Crucis, sed de 6. in C. Ant. *Aspicianus.* ad *Benedictus.* Versiculus, *Dicite in nationibus.* ex 2. Vesp. Oratio Festi.

Die sextâ.

In Transfiguratione Domini.

Lectio prævia de S. Leone, ex secundo Nocturno, *Aperit Dominus.* ℣. *Si ministratio mortis.* septimum Festi; Psalmus 75. *Notus in Judæa Deus*, de 3. in c. Hymnus, *Jesu dulcedo cordium.* ex Laudibus.

Canticum. Deuter. Cap. 18. ℣. 15. *Prophetam.* de 1. in a. Antiphona, *Hic est Filius.*

*Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me * suscitabit tibi Dominus Deus tuus:*

*Ipsum audies, * ut petisti à Domino Deo tuo in Horeb,*

*Quando concio congregata est, * atque dixisti:*

*Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, * & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar.*

*Et ait Dominus mihi: * Bene omnia sunt locuti:*

*Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum * similem tui:*

*Et ponam verba mea in ore ejus, * loquetur que ad eos omnia quæ præcepero illi:*

*Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, * ego ultor existam.*

Gloria Patri.

Ant. *Hic est Filius.* prima 1. Nocturni. Versiculus, *Magna est gloria ejus.* Oratio Festi.

Die 10.

In Festo S. Laurentii Martyris.

Lectio prævia de S. Leone, ex secundo Nocturno, *Cum furor Gentilium.* ℣. *Liberasti me.* tertium 3. Nocturni; Psalmus, Hymnus, Canticum, prima Antiphona & Versiculus, ut in Communi unius Martyris. Oratio Festi.

Digitized by Google

Die 11.

In Susceptione sanctæ Coronæ Spineæ.

Lectio prævia de Isaïa cap. 53. integrum, in tres Lectiones Festi distributum, *Quis credidit* &c. ℟. *Dicite filiæ Sion.* secundum secundi Nocturni; Psalmus 8. *Domine Dominus noster.* de 1. in a. Hymn. *Exite filiæ Sion.* de Vesperis.

Canticum. Zach. Cap. 6. ℣. 11. *Sumes aurum.* de 6. in F.
Antiphona, *Ipse portabit.*

*SUmes aurum & argentum : * & facies coronas, & pones in capite Jesu filii Josedec sacerdotis magni :*

*Et loqueris ad eum, dicens : * Hæc ait Dominus exercituum, dicens ; ecce vir Oriens nomen ejus,*

*Et subter eum orietur, * & ædificabit templum Domino.*

*Et ipse extruet templum Domino, * & ipse portabit gloriam,*

*Et sedebit, * & dominabitur super solio suo :*

*Et erit sacerdos super solio suo, * & consilium pacis erit inter illos duos.*

*Et corona erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hem, filio Sophoniæ, * memoriale in templo Domini.*

*Et qui procul sunt, venient, * & ædificabunt in templo Domini :*

*Et scietis * quia Dominus exercituum misit me ad vos.*

*Erit autem hoc, * si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.*

*Gloria Patri & Filio, * & Spiritui sancto &c.*

Ant. *Ipse portabit* &c. secunda tertii Nocturni. ℣ *Corona aurea super caput ejus,* ℟. *Expressa signo sanctitatis & gloriâ honoris.* Oratio Festi.

Die 15.

In Assumptione beatæ Mariæ Virginis.

Lectio prævia de S. Andrea Cretensi, ex tertio Nocturno Commemorationis Victoriæ Philippi Pulchri, *Benedicta tu.* septima & octava. ℟. *En dilectus meus* tertium 1. Nocturni; Psalm. 44. *Eructavit* de 5. in C. Prosa, *Ave virgo virginum.* ex Missa Festi. Canticum Luc. Cap. 1. ℣. 46. ad ℣. 55. inclusivè, *Magnificat* de 1. in g. Ant. *Quæ est ista,* ad Benedictus. ℣ *Assumpta est Maria* &c. Oratio Festi.

Digitized by Google

Die 24.

In Festo sancti Bartholomæi Apostoli.

Omnia ut in Communi Apostolorum. Oratio Festi.

Die 25.

In Festo sancti Ludovici Regis Franciæ.

Lectio prævia de S. Augustino, ex tertio Nocturno, *Christianos imperatores.* ℟. *Postquam sedit.* 2. primi Nocturni; Psalm. 5. *Verba mea.* de 2. Hymnus, *Rex summe Regum.*

Canticum ex Sapientiæ Cap. 9. ℣. 1. *Deus.* de 2. Antiphona, *Judicavit.*

*DEus patrum meorum, & Domine misericordiæ, * qui fecisti omnia verbo tuo,*

*Et sapientiâ tuâ constituisti hominem, * ut dominaretur creaturæ quæ à te facta est,*

*Ut disponat orbem terrarum in æquitate & justitia, * & in directione cordis judicium judicet:*

*Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, * & noli me reprobare à pueris tuis:*

*Quoniam servus tuus sum ego, * & filius ancillæ tuæ,*

*Homo infirmus, & exigui temporis, * & minor ad intellectum judicii & legum.*

*Nam & si quis erit consummatus inter filios hominum, * si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.*

*Tu elegisti me regem populo tuo, * & judicem filiorum tuorum & filiarum:*

*Et dixisti me ædificare templum * in monte sancto tuo,*

*Et in civitate habitationis tuæ altare, * similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio.*

*Et tecum sapientia tua quæ novit opera tua, * quæ & affuit tunc cum orbem terrarum faceres,*

*Et sciebat quid esset placitum oculis tuis, * & quid directum in præceptis tuis:*

*Mitte illam de cælis sanctis tuis, * & à sede magnitudinis tuæ,*

*Ut mecum sit & mecum laboret, * ut sciam quid acceptum sit apud te:*

*Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, * & custodiet me in sua potentia.*

*Et erunt accepta opera mea, & disponam populum tuum justè, * & ero dignus sedium patris mei.*

Gloria Patri.

Ant. *Judicavit.* secunda tertii Nocturni. Versiculus, *Præveniſti eum Domine* &c. Oratio Festi.

Die 29.

Digitized by Google

Die 29.

In Decollatione S. Joannis Baptistæ.

Lectio prævia de S. Ambrosio, ex secundo Nocturno, *Quoniam Joannis.* ℟. *Dico vobis.* tertium 3. Nocturni, ut in primis Vesperis; Psalmus 28. *Afferte.* de 5. in a. Hymnus, *Ecce saltantis,*

Canticum, Isaiæ. Cap. 40. ℣. 3. *Vox.* de 2. Antiphona, *Dicebat.*

VOx clamantis in deserto: * *Parate viam Domini,*

Rectas facite in solitudine * *semitas Dei nostri.*

Omnis vallis exaltabitur, * *& omnis mons & collis humiliabitur,*

Et erunt prava in directa, * *& aspera in vias planas.*

Et revelabitur gloria Domini, * *& videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.*

Vox dicentis, Clama: * *& dixi, Quid clamabo?*

Omnis caro fœnum, * *& omnis gloria ejus quasi flos agri.*

Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, * *quia spiritus Domini sufflavit in eo.*

Vere fœnum est populus: * *exsiccatum est fœnum, & cecidit flos:*

Verbum autem Domini nostri * *manet in æternum.*

Super montem excelsum ascende tu, * *qui evangelizas Sion:*

Exalta in fortitudine vocem tuam, * *qui evangelizas Jerusalem:*

Exalta, noli timere, * *dic civitatibus Juda: Ecce Deus vester:*

Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, * *& brachium ejus dominabitur;*

Ecce merces ejus cum eo, * *& opus illius coram illo.*

Sicut pastor gregem suum pascet; * *in brachio suo congregabit agnos,*

Et in sinu suo levabit; * *fœtas ipse portabit.*

Gloria Patri & Filio, * *& Spiritui sancto &c.*

Ant. *Dicebat.* secunda de Laudibus. Versiculus, *Joannes testimonium perhibuit veritati.* ex Versu sacerdotali. Oratio Festi.

SEPTEMBER.

Die 8.

In Nativitate beatæ Mariæ Virginis.

Lectio prævia ex S. Leone in Officio de Beata in Sabbato mense Septembri, *Humano usu.* Cætera ut habetur supra in ejus Conceptione.

Digitized by Google

Die 14.

In Festo Exaltationis sanctæ Crucis.

Omnia ut in ejus Susceptione exceptis Lectione prævia quæ erit ex Homilia Evangelii Festi, & Oratione.

Die 21.

In Festo S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ.

Lectio prævia, ex secundo Nocturno. Canticum, *Quam pulchri super montes*, ut in Festo S. Joannis Evangelistæ. Oratio Festi. Cætera ut in Communi Apostolorum.

Die 29.

In Festo S. Michaelis & omnium Angelorum.

Lectio prævia ex S. Hilario, ex tertio Nocturno, *Videte.* ℣. *Audivi vocem Angelorum.* tertium tertii Nocturni; Psalmus 102. *Benedic anima mea* de 1. in a. Hymnus, *Christe Sanctorum.* ex Laudibus.

Canticum Danielis, Cap. 12. ℣. 1. *In tempore.* de 8. in c.
Antiphona, *Archangele.*

*IN tempore illo consurget Michael princeps magnus, * qui stat pro filiis populi tui.*

*Et veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt * usque ad tempus illud.*

*Et in tempore illo salvabitur populus tuus, * omnis qui inventus fuerit scriptus in libro.*

*Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, * alii in vitam æternam,*

*Et alii in opprobrium, * ut videant semper.*

*Qui autem docti fuerint, * fulgebunt quasi splendor firmamenti;*

*Et qui ad justitiam erudiunt multos, * quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Gloria Patri.

Ant. *Archangele Michael.* secunda de Laudibus. Versiculus, *Ascendit fumus aromatum.* Oratio Festi.

OCTOBER.

Die secunda.

In Festo SS. Angelorum Custodum.

Lectio prævia de S. Bernardo ex secundo Nocturno, *Angelis*

Digitized by Google

suis. ℟. *Non accedet ad te malum,* tertium 3. Nocturni; Psal. *Qui habitat in adjutorio.* de 1. in a. Hymnus, *Regnator.* de Laudibus.

Canticum Exodi, Cap. 23. ℣. 20. *Ecce,* de 8. in G. Antiphona, *Omnes.*

ECce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te & custodiat in via, * *& introducat in locum quem paravi.*

Observa eum, * *& audi vocem ejus.*

Nec contemnendum putes: * *quia non dimittet cum peccaveris, & est nomen meum in illo.*

Quod si audieris vocem ejus, * *& feceris omnia quæ loquor, Inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te;* * *præcedetque te Angelus meus.*

Gloria Patri & Filio, * *& Spiritui sancto &c.*

Ant. *Omnes sunt administratorii.* prima de Laudibus. Versiculus, *Angelis suis Deus &c.* Oratio Festi.

Die 9.

In Festo SS. Dionysii, Rustici & Elutherii Martyrum.

Lectio prævia ex secundo Nocturno. ℟. *Evangelium nostrum.* secundum 2. Nocturni; Psalmus, *Cantate Domino canticum novum, cantate.* de 5. in a. Prosa Missæ, *Exultet Ecclesia.*

Canticum Zachariæ, Cap. 2. ℣. 10. *Lauda,* de 4. in *E.* Antiphona *Gratias Deo.*

LAuda & lætare filia Sion: * *quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus.*

Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, * *& erunt mihi in populum.*

Et habitabo in medio tui, * *& scies quia Dominus exercituum misit me ad te,*

Et possidebit Dominus Judam partem suam in terra sanctificata: * *& eliget adhuc Jerusalem.*

Sileat omnis caro à facie Domini: * *quia consurrexit de habitaculo sancto suo.*

Gloria Patri.

Ant. *Gratias Deo.* ad Vesp. infra Octavam. Versiculus, *Ascendent salvatores in montem;* ℟. *Et erit Domino regnum.* Oratio Festi.

Die 18.

In Festo S. Lucæ Evangelistæ.

Lectio prævia de S. Hieronymo ex tertio Nocturno, *Plures fuisse.* ℟. *Super montem excelsum.* ut in 1. Vesp. Festi; Psalmus 43. *Deus auribus.* de 3. in c. Canticum, *Quam pulchri super montes, pedes.* ut

Digitized by Google

in Festo S. Joannis Evangelistæ, sed cantatur de 8. in G. Ant. *Annuntiaverunt.* Oratio Festi. Cætera ut in Communi Apostolorum.

Die 28.

In Festo SS. Simonis & Judæ Apostolorum.

Lectio prævia, ex secundo Nocturno. Oratio Festi. Cætera ut in Communi Apostolorum. Canticum, *Vos sacerdotes Domini vocabimini.* ut supra in Festo S. Thomæ.

NOVEMBER.

Die prima.

In Festo Omnium Sanctorum.

Lectio prævia de sancto Bernardo, ex secundo Nocturno, *Festiva nobis est.* ℟. *Concede.* nonum Festi; Psalmus 33. *Benedicam Dominum.* de 1. in a. Prosa Missæ, *Sponsa Christi.*

Canticum Apocal. Cap. 15. ℣. 2. *Vidi* &c. de 6. in F. Antiphona, *O quam.*

*Vidi tanquam mare vitreum mistum igne, * & eos, qui vicerunt bestiam,*

*Et imaginem ejus, & numerum nominis ejus, * stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei:*

*Et cantantes canticum Moysi servi Dei, * & canticum Agni,*

*Dicentes: Magna & mirabilia sunt opera tua, * Domine Deus omnipotens:*

*Justæ & veræ sunt viæ tuæ, * Rex sæculorum.*

*Quis non timebit te Domine & magnificabit nomen tuum? * quia solus pius es:*

*Quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo, * quoniam judicia tua manifesta sunt.*

Gloria Patri.

Ant. *O quam glorioſum est regnum.* Ad Magnificat in 2. Vesp. ℣. *Exultabunt sancti in gloria.* Oratio Festi.

Die 3.

In Festo S. Marcelli.

Lectio prævia ex secundo Nocturno. ℟. *Quasi stella.* nonum Officii Nocturni; Psalmus 42. *Judica me Deus.* de 1. in a. Canticum de Communi Pontificum. de 1. in g. sub Ant. *Hic est sacerdos magnus* primâ Laudum. Oratio Festi.

Digitized by Google

Die 11.

In Festo S. Martini.

Lectio prævia ex secundo Nocturno. ℟. *Martinus.* nonum Officii Nocturni; Psalmus ut in Communi Pontificum, sed de 1. in a. Oratio Festi. Cætera ut in Communi.

INDICULUS PRECUM SEROTINARUM Communis Sanctorum.

In Communi Apostolorum.

Lectio prævia de S. Joanne Chrysostomo ex secundo Nocturno, *Ostendamus.* ℟. *Ostendit nos Deus.* octavum Communis; Psalmus 43. *Deus auribus nostris.* de 5. in a. Hymnus, *Exultet cælum laudibus.*

Canticum. Matthæi Cap. 11. ℣. 25. *Confiteor* &c. de 8. in *G.* Antiphona, *Annuntiaverunt.*

*COnfiteor tibi Pater, * Domine cæli & terræ.*

*Quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, * & revelasti ea parvulis.*

*Ita Pater: * quoniam sic fuit placitum ante te.*

*Omnia mihi tradita sunt * à Patre meo.*

*Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, * & cui voluerit Filius revelare.*

*Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, * & ego reficiam vos.*

*Tollite jugum meum super vos; * & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde:*

*Et invenietis requiem * animabus vestris.*

*Jugum enim meum suave est, * & onus meum leve.*

Gloria Patri.

Ant. *Annuntiaverunt* &c. secunda secundi Nocturni. ℣ *In omnem terram.* ut in 1. Vesp. Oratio conveniens.

In Communi Apostolorum tempore paschali.

Lectio prævia ex Nocturno Festi, ut in Proprio. ℟. *Virtute magna.* tertium Nocturni; Psalmus 63. *Exaudi Deus orationem meam cum deprecor.* de 3. in c. Hymnus, *Jam mortis excussit jugum.* Canticum, ut in Communi Apostolorum extra tempus paschale, de 2. Ant. *Eritis mihi testes.* tertia de Laudibus. Versiculus, *Sicut misit me Pater.* Oratio conveniens.

Digitized by Google

In Communi unius Martyris.

Lectio prævia de S. Cypriano, ex tertio Nocturno, *Gaudere nos.* ℣. *Qui vicerit.* tertium tertii Nocturni; Psalmus 16. *Exaudi Domine justitiam meam.* de 2. Hymnus, *Deus tuorum militum.*

Canticum Ecclesiastici, Cap. 51. ℣. 8. *Confitebor &c.* de 3. in a. Antiphona, *Qui vicerit.*

*Confitebor tibi Domine Rex, * & collaudabo te Deum salvatorem meum.*

*Confitebor nomini tuo: * quoniam adjutor & protector factus es mihi,*

*Et liberasti corpus meum à pertione, * à laqueo linguæ iniquæ,*

*Et à labiis operantium mendacium; * & in conspectu astantium factus es mihi adjutor.*

*Et liberasti me secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui, * à rugientibus præparatis ad escam;*

*De manibus quærentium animam meam, * & de portis tribulationum quæ circundederunt me;*

*A pressura flammæ quæ circundedit me, * & in medio ignis non sum æstuatus;*

*De altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacii, * à rege iniquo, & à lingua injusta.*

*Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, * & vita mea appropinquans erat in inferno deorsum.*

*Circundederunt me undique, * & non erat qui adjuvaret.*

*Respiciens eram ad adjutorium hominum, * & non erat.*

*Memoratus sum misericordiæ tuæ Domine, & operationis tuæ, * quæ à sæculo sunt:*

*Quoniam eruis sustinentes te Domine, * & liberas eos de manibus gentium.*

*Exaltasti super terram habitationem meam, * & pro morte defluente deprecatus sum.*

*Invocavi Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, * & in tempore superborum sine adjutorio.*

*Laudabo nomen tuum assidue, & collaudabo illud in confessione, * & exaudita est oratio mea.*

*Et liberasti me de perditione, * & eripuisti me de tempore iniquo.*

*Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, * & benedicam nomini Domini.*

*Gloria Patri & Filio, * & Spiritui sancto.*

*Sicut erat in principio, & nunc & semper: * & in sæcula &c.*

Ant. *Qui vicerit*, ad Magnificat in 2. Vesp. Versiculus, *Fortitudo mea & laus mea Dominus.* Oratio conveniens.

Digitized by Google

In Communi unius Martyris tempore paſchali.

Lectia prævia de S. Ambroſio, ex Nocturno, *Principes.* ℟. *Filiæ Jeruſalem.* tertium Nocturni; Pſalmus, Hymnus & Canticum, ut in Communi unius Martyris extra tempus paſchale, tonus Pſalmi de [illegible]. in a. Ant. *Gaudete* de 6. in F. in primis Veſperis ad *Magnificat.* Verſiculus, *Pretioſa in conſpectu Domini &c.* Oratio conveniens.

In Communi plurium Martyrum.

Lectio prævia de S. Ambroſio, ex tertio Nocturno. *Non poteſt quis.* ℟. *O conſtantia*, ultimum tertii Nocturni; Pſalmus 78. *Deus venerunt gentes.* de 1. in a. Hymnus, *Sanctorum meritis.*

Canticum. Iſaiæ Cap. 51. ℣. 9. *Conſurge &c.* de 5. in a. Antiphona, *Multæ tribulationes.*

*COnſurge, conſurge, induere fortitudinem * brachium Domini:*

*Conſurge ſicut in diebus antiquis, * in generationibus ſæculorum.*

*Nunquid non tu percuſſiſti ſuperbum, * vulneraſti draconem?*

*Nunquid non tu ſiccaſti mare, aquam abyſſi vehementis: * qui poſuiſti profundum maris viam, ut tranſirent liberati?*

*Et nunc qui redempti ſunt à Domino, * revertentur, & venient in Sion laudantes.*

*Et lætitia ſempiterna ſuper capita eorum; * gaudium & lætitiam tenebunt,*

*Fugiet dolor & gemitus: * ego, ego ipſe conſolabor vos.*

*Quis tu ut timeres ab homine mortali, * & à filio hominis, qui quaſi fœnum ita areſcet?*

Gloria Patri.

Ant. *Multæ tribulationes.* prima ſecundi Nocturni. Verſiculus, *Tradiderunt corpora &c.* ex ℣ *Sacerdotali.* Oratio conveniens.

In Communi plurium Martyrum tempore paſchali.

Lectio prævia de S. Cæſario Arelatenſi, ex Nocturno Communis, *Dignum & congruum eſt.* ℟. *Gloriamur in tribulationibus.* primum Nocturni; Pſalmus 78. *Deus venerunt gentes.* de 1. in f. Hymnus, *Rex glorioſe Martyrum.* Canticum, ut in Communi plurium Martyrum extra tempus paſchale. Ant. *Gaudete & exultate.* de 6. in F. ad Magnificat Communis tempore paſchali. Oratio conveniens.

Digitized by Google

In Communi Pontificum.

Lectio prævia ex S. Gregorio de secundo Nocturno, *Cùm curam* ℟. *Labia.* tertium primi Nocturni; Psalmus 42. *Judica me Deus.* de 1. in *A.* Hymnus, *Jesu Sacerdotum decus.*

Canticum. Ecclesiastici Cap. 50. ℣. 1. *Sacerdos* &c. de 6. in C[illegible]
Antiphona, *Dedit illi Dominus.*

*SAcerdos magnus, qui in vita sua sustulsit domum, * & in diebus suis coroboravit templum!*

*Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, * duplex ædificatio & excelsi parietes templi.*

*In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum, * & quasi mare adimpleti sunt supra modum.*

*Qui curavit gentem suam, * & liberavit eam à perditione.*

*Qui prævaluit amplificare civitatem, qui adeptus est gloriam in conversatione gentis: * & ingressum domus & atrii amplificavit.*

*Quasi stella matutina in medio nebulæ, * & quasi luna plena in diebus suis lucet.*

*Et quasi sol refulgens inter nebulas gloriæ, * & quasi flos rosarum in diebus vernis,*

*Et quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, * & quasi thus redolens in diebus æstatis;*

*Quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne: * quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso:*

*Quasi oliva pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens, * in accipiendo ipsum stolam gloriæ & vestiri eum in consummationem virtutis;*

*In ascensu altaris sancti, * gloriam dedit sanctitatis amictum.*

*In accipiendo autem partes de manu sacerdotum, & ipse stans juxta aram: * & circa illum corona fratrum.*

*Gloria Patri & Filio, * & Spiritui sancto &c.*

Ant. *Dedit illi.* ad *Magnificat* in secundis Vesp. ℣ *Elegit eum Dominus sacerdotem sibi* &c. Oratio Festi.

In Communi Doctorum.

Lectio prævia de S. Augustino, ex secundo Nocturno, *Sanctos & in sancta Ecclesia.* ℟ Psalmus & Hymnus, ut in Communi Pontificum, vel Confessorum.

Canticum. Proverb. Cap. 3. ℣. 13. *Beatus homo.* de 6. in F.
Antiphona, *Qui docti fuerint.*

*BEatus homo, qui invenit sapientiam, * & qui affluit prudentia:*

Melior est acquisitio ejus negotiatione

Digitized by Google

tiatione argenti, * & auri primi & purissimi fructus ejus:

Pretiosior est cunctis opibus: * & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.

Longitudo dierum in dextera ejus, * & in sinistra illius divitiæ & gloria.

Viæ ejus viæ pulchræ, * & omnes semitæ illius pacificæ.

Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam; * & qui tenuerit eam, beatus!

Gloria Patri.

Ant. *Qui docti fuerint.* ad Magnificat in primis Vesp. ℣ ut in Communi Pontificum, vel Confessorum. Oratio conveniens.

In Communi Confessorum.

Lectio prævia de S. Gregorio, ex Nocturno secundo. *Deridetur justi.* ℟. *Quæ mihi fuerunt lucra.* secundum tertii Nocturni; Psal. 25. *Judica me Domine.* de r. in *A.* Hymnus, *Summi pusillus grex patris.*

Canticum Proverb. Cap. 10. ℣. 28. *Expectatio* &c. de 5. in a. Ant. *Gloriabuntur in te omnes.* tertia ex primo Noct.

EXpectatio justorum lætitia: * spes autem impiorum peribit.

Fortitudo simplicis via Domini: * & pavor his, qui operantur malum.

Justus in æternum non commovebitur: * impii autem non habitabunt super terram.

Os justi parturiet sapientiam: * lingua pravorum peribit.

Labia justi considerant placita: * & os impiorum perversa.

Gloria Patri & Filio, * & Spiritui sancto &c.

Pro Abbate.

Canticum. Eccli. Cap. 2. ℣. 8. *Qui timetis* &c. de 5. in a. Antiphona, *Gloriabuntur.*

QUi timetis Dominum, credite illi: * & non evacuabitur merces vestra.

Qui timetis Dominum, sperate in illum: * & in oblectationem veniet vobis misericordia.

Qui timetis Dominum, diligite illum, * & illuminabuntur corda vestra.

Respicite filii nationes hominum: * & scitote quia nullus speravit in Domino, & confusus est.

Quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est? * aut quis invocavit eum, & despexit illum?

Quoniam pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata: * & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.

Gloria Patri.

Ant. *Gloriabuntur.* tertia ex primo Nocturno. ℣ *Justus germinabit sicut lilium.* Oratio conveniens.

Digitized by Google

In Communi Virginum.

Lectio prævia de S. Cypriano, ex secundo Nocturno, *Nunc nobis.* ℟. *Sponsabo te.* primum primi Nocturni; Psalm. 44. *Eructavit cor meum.* de 5. in a. Hymnus, *Non vana dilectum gregem.* vel *Virginis proles* si sit martyr.

Canticum. Ecclesiastici Cap. 39. ℣. 17. *Qbaudite* &c. de 6. in C.

Antiphona, *Concupiscet Rex.*

*O Baudite me divini fructus, * & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate.*

*Quasi libanus * odorem suavitatis habete.*

*Florete flores quasi lilium, * & date odorem,*

*Et frondete in gratiam, & collaudate canticum, * & benedicite Dominum in operibus suis.*

*Date nomini ejus magnificentiam, * & confitemini illi in voce labiorum vestrorum,*

*Et in canticis labiorum, & citharis, * & sic dicetis in confessione:*

*Opera Domini * universa bona valde.*

*Gloria Patri & Filio, * & Spiritui sancto &c.*

Ant. *Concupiscet Rex.* prima secundi Nocturni. ℣. *Indumento justitiæ* &c. Oratio conveniens.

Si sint plures Martyres, ℟. *Sponsabo vos.* secundum primi Nocturni SS. Ursulæ & sociarum ejus; Psalmus de 4. in a. Hymnus; *Non vana dilectum.* Cantici tonus. de 1. in *D.* Ant. *Virgines sunt.* secunda tertii Nocturni Communis. ℣ *Adducentur Regi virgines post eam.* Cætera ut supra.

In Communi SS. Mulierum.

Lectio prævia de S. Ambrosio, ex secundo Nocturno, *Ut ad gratiam.* ℟. *Fallax gratia.* primum primi Nocturni; Psalmus 100. *Misericordiam.* de 8. in *G.* Hymnus, *Fortem virili pectore.*

Canticum Proverb. Cap. 31. ℣. 10. *Mulierem* &c. de 8. in G.

Antiphona, *Manum suam.*

*Mulierem fortem quis inveniet? * procul, & de ultimis finibus pretium ejus.*

*Confidit in ea cor viri sui, * & spoliis non indigebit.*

*Reddet ei bonum, & non malum, * omnibus diebus vitæ suæ.*

*Quæsivit lanam & linum, * & operata est consilio manuum suarum.*

Digitized by Google

*Facta est quasi navis institoris, * de longe portans panem suum:*

*Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, * & cibaria ancillis suis.*

*Considerávit agrum, & emit eum: * de fructu manuum suarum plantavit vineam.*

*Accinxit fortitudine lumbos suos, * & roboravit brachium suum.*

*Gustavit & vidit quia bona est negotiatio ejus: * non extinguetur in nocte lucerna ejus.*

*Manum suam misit ad fortia, * & digiti ejus apprehenderunt fusum.*

*Manum suam aperuit inopi, * & palmas suas extendit ad pauperem.*

*Non timebit domui suæ à frigoribus nivis: * omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus.*

*Stragulatam vestem fecit sibi: * byssus & purpura indumentum ejus.*

*Nobilis in portis vir ejus, * quando sederit cum senatoribus terræ.*

*Sindonem fecit, & vendidit, * & cingulum tradidit Chananæo.*

*Fortitudo & decor indumentum ejus, * & ridebit in die novissimo.*

*Os suum aperuit sapientiæ, * & lex clementiæ in lingua ejus.*

*Considerávit semitas domus suæ, * & panem otiosa non comedit.*

*Surrexerunt filii ejus, & beatissimam prædicaverunt: * vir ejus, & laudavit eam.*

*Multæ filiæ congregaverunt divitias: * tu supergressa es universas.*

*Fallax gratia, & vana est pulchritudo: * mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.*

Date ei de fructu manuum suarum: & laudent eam in portis opera ejus.

*Gloria Patri & Filio, * & Spiritui sancto &c.*

Ant. *Manum suam.* ad Magnificat in secundis Vesp. Versiculus, *Mandata Dei in corde mulieris sanctæ.* Oratio conveniens.

In anniversario Dedicationis Ecclesiæ.

Lectio prævia de S. Bernardo, ex secundo Nocturno, *Festivitas hodierna.* ℟. *Ergone.* tertium primi Nocturni; Psalmus 83. *Quàm dilecta tabernacula.* de 6. in f. Hymnus, *Patris æterni.* Canticum, *Jerusalem* &c. ut in Breviario in Officio Festi ad Laudes. Ant. *Adorabunt nationes.* quarta de Laudibus. Versiculus, *Domum tuam Domine decet sanctitudo.* Oratio Festi.

Digitized by Google

INDICULUS PRECUM SEROTINARUM pro diversis necessitatibus.

Pro quacunque tribulatione.

Lectio prævia ex primæ Joannis Cap. 5. à ℣. 13. ad finem, *Hæc scribo vobis.* ℟. *Nos alium.* ut in Processionali, pag. lxvi. Psalm. 72. *Quam bonus Israel Deus.* de 2. in *A.*

Canticum ex Orat. Jerem. Cap. 5. ℣. 19. *Tu Domine* &c. de 2. in *D.*

Antiphona, *Da nobis.*

*TU Domine in æternum permanebis, * solium tuum in generationem & generationem.*

*Quare in perpetuum oblivisceris nostri? * derelinques nos in longitudine dierum?*

*Converte nos Domine ad te, & convertemur: * innova dies nostros sicut à principio.*

*Sed projiciens repulisti nos: * iratus es contra nos vehementer.*

Gloria Patri.

Ant. *Da nobis* &c. quarta ad Noct. feriæ quartæ. Postea dicuntur flexis genibus preces quæ habentur ad Tertiam, *Kyrie eleison*, &c. Dicto secretò *Pater noster*, dicitur à *fa* in *re* unus è 7. Psalmis pœnitentialibus cum *Gloria Patri* in fine. Deinde Celebrans dicit Versiculos, *Domine Deus virtutum converte nos. Exurge Christe adjuva nos. Domine exaudi orationem meam.* tum surgens dicit, *Dominus vobiscum.* & Orationem, *Deus refugium nostrum* &c. ut in Processionali, pag. lxxxvij. Si sanctissimum Sacramentum sit expositum, fiet ut notatum est suprà, monito tertio. Si sit Dominica, non flectuntur genua ad Preces quæ supra: quod ubique observandum est, & etiam toto tempore paschali.

Tempore Mortalitatis.

Lectio prævia ex 2. Regum Cap. 24. à ℣. 15. ad finem, *Immisit Dominus pestilentiam.* ℟. *Recordare Domine.* ut in Processionali, pag. lxvij. Psalm. 87. *Domine Deus salutis meæ.* de 4. in a.

Canticum. Baruch Cap. 2. ℣. 16. *Respice Domine.* de 1. in a.

Antiphona, *Veniant.*

*RESpice Domine de domo sancta tua in nos, * & inclina aurem tuam, & exaudi nos.*

*Aperi oculos tuos, & vide * quia non mortui, qui sunt in inferno,*

*Quorum spiritus acceptus est à visceribus suis, * dabunt honorem*

Digitized by Google

& justificationem Domino:

Sed anima, quæ tristis est super magnitudine mali, incedit curva, & infirma;*

Et oculi deficientes, & anima esuriens dat tibi gloriam, & justitiam Domino.*

*Quia non secundum justitias patrum nostrorum nos fundimus preces, * & petimus misericordiam ante conspectum tuum, Domine Deus noster:*

*Sed quia misisti iram tuam & furorem tuum super nos, * sicut locutus es in manu puerorum tuorum Prophetarum.*

*Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui sancto &c.*

Ant. *Veniant mihi Domine* &c. ad Tertiam in Feriis per annum. Postea dicuntur Preces flexis genibus, ut supra notatum est pro quacunque tribulatione. Oratio, *Deus qui non mortem* &c. ut in Processionali, pag. lxxxvj.

Contra Infideles.

Lectio prævia ex Esther Cap. 13. à versu 8. *Mardochæus.* ad finem. ℟. *Domine Deus.* ut in Processionali, pag. lxix. Psalm. 78. *Deus venerunt gentes.* de 2. Tempore verò belli, ℟. *Nolite.* contra Infideles.

Canticum. Baruch Cap. 2. ℣. 24. *Ossa* &c. de 6. in F.
Antiphona, *Confundantur.*

*Ossa patrum nostrorum projecta sunt in calore solis, * & in gelu noctis:*

*Et mortui sunt in doloribus pessimis, * infame & in gladio & in emissione.*

*Et posuisti templum, in quo invocatum est nomen tuum in ipso, * sicut hæc dies, propter iniquitatem domus Israel & domus Juda.*

*Et fecisti in nobis Domine Deus noster secundum omnem bonitatem tuam, * & secundum omnem miserationem tuam illam magnam.*

*Gloria Patri & Filio, * & Spiritui sancto &c.*

Ant. *Confundantur omnes qui oderunt Sion.* tertia ad Vesp. Feriæ quartæ. Postea dicuntur Preces flexis genibus, ut supra notatum est pro quacunque tribulatione. Oratio, *Omnipotens sempiterne Deus* &c. ut in Processionali, pag. lxxxv.

Pro Pace.

Lectio prævia ex lib. 2. Mach. Cap. 1. à ℣. 1. *Fratribus.* ad versum 6. inclusivè, *& nunc hic sumus orantes pro vobis.* ℟. *Tua est potentia.* ut in Processionali, pag. lxxij. Psalmus 12, *Latatus sum.* de 2. in *D.*

Digitized by Google

Canticum. Isaiæ Cap. 32. ℣. 16. *Habitabit* &c. de 1. in f. Antiphona, *Da pacem Domine.*

*HAbitabit in solitudine judicium, * & justitia in charmel sedebit.*

*Et erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium, * & securitas usque in sempiternum.*

*Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, * & in requie opulenta.*

*Grando autem in descensione saltûs, * & humilitate humiliabitur civitas.*

*Beati qui seminatis super omnes aquas, * immittentes pedem bovis & asini.*

Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto.

*Sicut in principio, & nunc & semper, * & in sæcula &c.*

Ant. *Da pacem Domine.* ad Laudes Feriæ secundæ. Postea dicuntur Preces flexis genibus, ut supra notatum est pro quacunque tribulatione. Oratio, *Deus à quo sancta desideria.* ut in Processionali, pag. lxxxvj.

Tempore Belli.

Lectio prævia ex Jacobi Cap. 4. ℣. 1. *Unde bella.* ad finem. R. *Tribulationes*, ut in Processionali, pag. lxxiij. Psalmus 75. *Deus noster refugium.* de 7. in *G.*

Canticum. Danielis Cap. 3. ℣. 26. *Benedictus* &c. de 2. in D. Antiphona, *A timore.*

*BEnedictus es Domine Deus patrum nostrorum, * & laudabile & glorioſum nomen tuum in sæcula:*

*Quia justus es in omnibus quæ fecisti nobis, * & universa opera tua vera,*

*Et viæ tuæ rectæ, * & omnia judicia tua vera.*

*Judicia enim vera fecisti, juxta omnia quæ induxisti super nos, * & super civitatem sanctam patrum nostrorum Jerusalem:*

*Quia in veritate & in judicio, * induxisti omnia hæc propter peccata nostra.*

*Peccavimus enim & iniquè egimus recedentes à te: * & deliquimus in omnibus.*

*Et præcepta tua non audivimus nec observavimus; * nec fecimus sicut præceperas nobis ut bene nobis esset.*

*Omnia ergo quæ induxisti super nos * & universa quæ fecisti nobis,*

*In vero judicio fecisti: * & tradidisti nos in manibus inimi-*

Digitized by Google

corum noſtrorum.....

*Ne, quæſumus, tradas, nos in perpetuum * propter nomen tuum,*

*Et ne diſſipes teſtamentum tuum, * neque auferas miſericordiam tuam à nobis.*

*Gloria Patri & Filio, * & Spiritui ſancto & c.*

Ant. *A timore inimici* &c. quinta ad Noct. Feriæ quartæ. Poſtea dicuntur Preces flexis genibus; ut ſupra notatum eſt *pro quacunque tribulatione.* Oratio, *Deus qui conteris bella*, ut in Proceſſionali, pag. lxxxv.

Contra Inundationem Fluminum.

Lectio prævia ex Gen. Cap. 8. à ℣. 1. ad finem. *Recordatus autem Deus Noe.* ℟. *Arcum meum.* ut in Proceſſionali, pag. lxxv. Pſalmus 103. *Benedic anima mea Domino.* de 7. in *G.* ad Verſum *Potabunt* excluſivè. Ant. *Exaudi.*

Canticum Gen. Cap. 9. ℣. 9. *Ecce* &c. de 4. in E.
Antiphona, *Exaudi.*

*ECce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, * & cum ſemine veſtro poſt vos:*

*Et ad omnem animam viventem * quæ eſt vobiſcum,*

*Tam in volucribus quam in jumentis, & pecudibus terræ cunctis, quæ egreſſa ſunt de arca, * & univerſis beſtiis terræ.*

*Statuam pactum meum vobiſcum, * & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii,*

*Neque erit deinceps diluvium * diſſipans terram.*

*Hoc ſignum fœderis quod do inter me & vos, & ad omnem viventem, * quæ eſt vobiſcum in generationes ſempiternas:*

*Arcum meum ponam in nubibus, * & erit ſignum fœderis inter me & inter terram.*

*Cumque obduxero nubibus cælum, * apparebit arcus meus in nubibus:*

*Et recordabor fœderis mei vobiſcum, * & cum omni anima vivente quæ carnem vegetat:*

*Et non erunt ultra aquæ diluvii * ad delendum univerſam carnem.*

*Eritque arcus in nubibus, & videbo illum, * & recordabor fœderis ſempiterni.*

*Quod pactum eſt inter Deum & omnem animam viventem * univerſæ carnis quæ eſt ſuper terram.*

*Dixitque Deus ad Noë: * Hoc erit ſignum fœderis quod conſtitui inter me & omnem carnem ſuper terram.*

Gloria Patri.

Ant. *Exaudi Domine deprecationem meam.* ſecunda ſecundi Nocturni Dominicæ. Poſtea dicuntur Preces flexis genibus, ut ſupra

Digitized by Google

notatum est *pro quacunque tribulatione.* Oratio, *Deus qui in administerio nquarum.* ut in Processionali, pag. lxxxviij.

Pro pluvia postulanda.

Lectio prævia ex Levit. Cap. 26. à ℣. 1. ad 19. inclusivè. ℟. *Si clausero cælum.* ut in Processionali, pag. lxxvj. Psalmus 146, *Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus.* de 1. in a.

Canticum. Isaiæ Cap. 43. ℣. 25. *Ego.* de 8. in C.
Antiphona, *Intellige.*

EGo sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, * *& peccatorum tuorum non recordabor.*

Reduc me in memoriam, & judicemur simul: * *narra si quid habes ut justificeris.*

Pater tuus primus peccavit, * *& interpretes tui prævaricati sunt in me.*

Et contaminavi principes sanctos, * *dedi ad internecionem Jacob, & Israel in blasphemiam.*

Et nunc audi Jacob serve meus, * *& Israel quem elegi:*

Hæc dicit Dominus faciens & formans te, * *ab utero auxiliator tuus:*

Noli timere serve meus Jacob, * *& rectissime, quem elegi.*

Effundam enim aquas super sitientem, * *& fluenta super aridam:*

Effundam spiritum meum super semen tuum, * *& benedictionem meam super stirpem tuam.*

Et germinabunt inter herbas, * *quasi salices juxta prætefluentes aquas.*

Gloria Patri.

Ant. *Intellige clamorem meum Domine.* secunda ad Laudes Feriæ secundæ. Postea dicuntur Preces flexis genibus, ut supra notatum est *pro quacunque tribulatione.* Oratio, *Deus in quo vivimus* &c. ut in Processionali, pag. lxxxviij.

Tempore Famis.

Lectio prævia ex 4. Reg. Cap. 7. à ℣. 1. *Dixit autem Eliseus.* ad finem. ℟. *Fames si oborta fuerit.* ut in Processionali, pag. lxxviij. Psalmus 32, *Exultate justi in Domino.* de 3. in c.

Canticum. Baruch Cap. 4. ℣. 27. *Animæquiores.* de 4. in a.
Antiphona, *Clamor meus.*

ANimæquiores estote filii, * *& proclamate ad Dominum:*

Erit enim memoria vestra * *ab eo qui duxit vos.*

Sicut

Digitized by Google

Sicut enim fuit sensus vester ut erraretis à Deo: * *decies tantum iterum convertentes requiretis eum.*

Qui enim induxit vobis mala, * *ipse rursum adducet vobis sempiternam jucunditatem cum salute vestra.*

Animaquior esto Jerusalem, * *exhortatur enim te, qui te nominavit.*

Nocentes peribunt, qui te vexaverunt: * *& qui gratulati sunt in tua ruina, punientur.*

Gloria Patri.

Ant. *Clamor meus ad te veniat Deus.* tertia ad Noct. Sabbati. Postea dicuntur preces flexis genibus, ut supra notatum est *pro quacunque tribulatione.* Oratio, *Da nobis quæsumus Domine,* ut in Processionali, pag. lxxxvij.

Pro Serenitate aeris.

Lectio prævia ex Gen. Cap. 8. à ℣. 1. ad finem, *Recordatus autem Deus Noe.* ℟. *Clamaverunt ad Dominum.* ut in Processionali, pag. lxxix. Psalm. ex Psalm. 106. à ℣. 21. *Confiteantur Domino* post *interitionibus eorum* usque ad ℣. 31. inclusivè. Canticum, *Ecce ego statuam pactum meum* &c. ut habetur supra contra Inundationes fluminum. Cantus verò erit de 8. in G. Ant. *Deus exaudi orationem meam.* &c. ad Primam in Feriis per annum: postea dicuntur preces flexis genibus, ut supra notatum est, *pro quacunque tribulatione.* Oratio, *Ad te nos Domine clamantes,* ut in Processionali, pag. lxxxviij.

Pro Infirmis.

Lectio prævia, Ecclesiastici Cap. 38. à ℣. 9. *Fili in tua infirmitate.* ad 15. inclusivè. ℟. *Afferebant ad Jesum,* ut in Processionali, pag. lxxxj. Psalm. 40. *Beatus qui intelligit.* de 3. in c.

Canticum Ezechiæ. Isaiæ Cap. 38. ℣. 10. *Ego dixi.* de 3. Antiphona, *Cunctis diebus.*

EGo dixi: In dimidio dierum meorum *vadam ad portas inferi.*

Quæsivi residuum annorum meorum; * *dixi, Non videbo Dominum Deum in terra viventium:*

Non aspiciam hominem ultra, * *& habitatorem quietis.*

Generatio mea ablata est, & convoluta est à me, * *quasi tabernaculum pastorum.*

Præcisa est, velut à texente, vita mea; dum adhuc ordirer, succidit me: * *de mane usque ad vesperam finies me.*

Sperabam usque ad mane: * *quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.*

Digitized by Google

*De manè usque ad vesperam finies me: *sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.*

*Attenuati sunt oculi mei *suspicientes in excelsum.*

*Domine vim patior, responde pro me: * quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?*

*Recogitabo tibi omnes annos meos * in amaritudine animæ meæ.*

*Domine si sic vivitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me & vivificabis me: * ecce in pace amaritudo mea amarissima.*

*Tu autem eruisti animam meam ut non periret, * projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.*

*Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te; * non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam.*

*Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: * pater filiis notam faciet veritatem tuam.*

*Domine salvum me fac: * & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.*

*Gloria Patri & Filio, * & Spiritui sancto.*

Ant. *Cunctis diebus vitæ nostræ psalmos nostros cantabimus in domo Domini.* quarta de Laudibus Feriæ tertiæ. Postea dicuntur preces flexis genibus, ut supra notatum est *pro quacunque tribulatione.* Oratio, *Omnipotens sempiterne Deus.* ut in Processionali, pag. lxxxiij.

Cæterùm hujus Cæremonialis lectores S. E. vult monitos,

1. Hasce Preces serotinas, quæ vulgò appellantur *Saluts*, extrà officium cursûs Canonici esse censendas.

2. Errore, illarum precum regulas junctas esse capiti prævio, quæ melius fortè erant ad calcem Cæremonialis rejiciendæ.

3. Liberum omnino esse Ecclesiarum Præpositis ex triplici illarum precum genere pag. xxi. & xxii. illud seligere, quod propriis Ecclesiis aut Festis convenientiùs esse judicaverint.

4. Decere tamen, ut ad datas hîc regulas prudenter, & quantùm fieri poterit, sine ullius offensione preces istæ vespertinæ adducantur.

5. Denique, si quæ oriantur difficultates in exequendo præsenti Cæremoniali, eas ad deputatos pro Ritibus esse referendas, quas illi de mandato S. E. enodabunt & explicabunt.

Digitized by Google

CÆREMONIALIS PARISIENSIS

PARS PRIMA.

DE CÆREMONIIS COMMUNIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Vestibus.

1. CUM per decentiam habitus extrinseci, morum honestas intrinseca ostendatur, omnes & singuli sacris Ecclesiæ ministeriis addicti, Tonsuras habeant suis ordinibus congruentes, & capillos ex sacrorum Canonum disciplina tonsos: Vestes etiam deferant talares, nigras, & modestas, in quibus non fastus, vel mentis levitas, sed Clericalis Ordinis honestas, & modestia deprehendantur.

2. Quotiès intererunt Officio divino, super vestem talarem deferent Superpelliceа munda & modesta, ex tela linea candida.

3. Ab Officio Completorii Sabbati in Vigilia Paschæ, usque ad Completorium Octavæ S. Dionysii & Sociorum inclusivè, utentur habitu Chori æstivali, hoc est Superpelliceo, Bireto, & Almutiâ in Ecclesia Metropolitana, & Collegiatis: in aliis Ecclesiis Superpelliceo, & Bireto.

4. A Crastino Octavæ S. Dionysii & Sociorum, usque ad Completorium Sabbati in Vigilia Paschæ exclusivè, induent habitum Chori hyemalem, hoc est, Rochetum sine manicis, Cappam & Capitium longum ex lana in Ecclesia Metropolitana & Collegiatis: in aliis Ecclesiis, Superpelliceum, & Capitium breve absque Cappa.

5. Pueri sint raso capite, nec quicquam è capillis appareat:

Digitized by Google

præter tenuiſſimum circulum, qui coronæ inſtar caput totum cingat, & ductus à media fronte, qua deſinunt capilli, verticem totum per ipſam cervicem ambiat. Super veſtes talares induunt Albas Æſtate, Hyemali verò tempore ſuper veſtes talares & Albas, induunt Cappas & Capitia longa ex lana in Eccleſia Metropolitana & Collegiatis; in aliis verò minora Capitia ex lana.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

6. *Æſtivo tempore ad Officium Nocturnum, quando noctu celebratur, omnes capitia minora deferunt ſine almutiis.*

7. *Canonici in* minoribus *quovis tempore ſuper Rochetum lineum deferunt Cappas laneas, ac Capitia longa cum Biretis, detecto ſemper capite.*

8. *Æſtivo tempore Pueri veſtes hyemales nudo capite deferunt ad quodcunque Officium Defunctorum; & quoties extrà Octavas Vigilia Defunctorum cantantur poſt Veſperas, ad ipſas Veſperas veſtes hyemales deferunt nudo capite; Hyemali verò tempore non licet illis veſtes hyemales ad curſum Canonicum deferre, niſi prius accepta licentia, quæ illis hoc ritu conceditur. Poſt Octavam S. Dionyſii Præcentor, vel illo abſente dignior chori, dum cantatur Graduale unius è Miſſis Defunctorum, quam pro ſua prudentia elegerit, ad Specem puerorum mittit oſtiarium, qui renuntiet illi, Pueris concedi licentiam caput operiendi. Cum pervenerit oſtiarius ad Specem, Pueri omnes ſurgunt, accepta licentia poplites flectunt, caput operiunt, ſedent, & poſtmodum veſtes hyemales tecto capite deferunt ad quodcunque Officium, exceptis Solemnibus-minoribus & ſuprà, in quibus ſuper veſtes talares Albas tantùm induunt, niſi propter frigoris aſperitatem veſtes hyemales deferendi facultas illis concedatur.*

CAPUT II.

De Ingreſſu in Chorum & Egreſſu.

1. DUm ultimum Divini Officii ſignum pulſari incipit, omnes illicò modeſtè accedent ad Eccleſiam.

2. In ingreſſu Eccleſiæ, quilibet aquâ benedictâ ſe tinget, deinde genibus flexis aliquandiù orabit.

3. Omnes in ingreſſu Chori, & egreſſu, verſa facie ad Altare, nudo capite Æſtate; Hyeme verò, in Eccleſia Metropolitana & in Eccleſiis Collegiatis, demiſſa Cappa lanea, profundè ante Altare ſe inclinabunt. Si Sanctiſſimum Sacramentum publicæ fidelium venerationi ſit expoſitum, omnes genuflectent nudo omninò capite, etiam Hyeme.

Digitized by Google

4. Ascendent Sacerdotes & Diaconi ad superiora Stalla per gradus, qui sunt è regione Aquilæ, vel per alium locum commodiorem pro situ loci, & pervenientes ad Sedes suas stabunt in Stallis.

5. Ubi commodè fieri poterit, omnes convenient in locum destinatum, in quo stabunt suo quisque ordine: sicque disponentur, ut juniores sint primi, & in eadem parte hinc indè se sistent, quam in Choro tenere debent, expectantes signum discedendi: quo dato, unus ex uno latere, & alter ex altero, præcedentibus junioribus, bini & bini procedent ad Chorum æqualem servantes inter se distantiam. Incessus autem erit modestus & æqualis, non festinus vel præceps neque lentus. In ingressu Ecclesiæ aquâ benedictâ se tingent, deinde Chorum ingressi, ante Altare, bini & bini, nudo capite profundè inclinabunt, ut suprà.

6. Nullus, nisi necessitate ductus Officii, Chorum ingredi, vel ab eo egredi præsumat, quando Clerus stat conversus ad Altare, vel astat in genua; dum fit Confessio ad Primam & Completorium; dum cantatur Epistola & Evangelium, & administratur SS. Eucharistia; dum datur Benedictio Pontificalis, & cantantur Lectiones, Capitula, & Collectæ.

7. Qui, Officio jam inchoato, venerit in Chorum, profundè inclinabit ante Altare, ut suprà; deinde modestè incedens, perget ad Stallum suum. Advertat ne unquam per eam partem Stallorum transeat, in qua erit dignior: transiens coram aliis per superiora Stalla, modestè incedet, & eos salutabit minima inclinatione; non tamen se convertet ad illos, sed rectà perget ad Stallum suum, moxque cæteris de Choro se conformabit in omnibus.

8. Nullus unquam transeat ante faciem illius, qui solus cantat aliquid: ante faciem Choristæ, qui aliquid imponit aut annuntiat.

9. Item quoties Choristæ per Chorum deambulant, nullus inter ipsos & Stalla transeat, sed inter illos & Aquilam.

10. Absoluto Officio, qui juxtà se libros chorales habent, illos diligenter componant & claudant absque strepitu.

11. Post absolutum Officium, omnes egredientur è Choro & Ecclesia, eodem ordine & modo, quo ingressi sunt.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

12. *Dominus Archiepiscopus ascendit, & descendit semper per gradus contiguos Sedi Pontificali.*

13. *Quando Dignitates stant in Stallis honoris sui propriis, Decanus & Præcentor ascendunt & descendunt ad quodcunque Officium per gradus contiguos utrique posti majoris portæ Chori, sive per Bar-*

Digitized by Google

ras ſuas: Archidiaconi, & Succentor aſcendunt & deſcendunt per gradus, qui ſunt in inferiori parte Chori; Cancellarius verò & Pœnitentiarius aſcendunt & deſcendunt per gradus, qui ſunt in ſuperiori parte Chori versùs Altare.

14. *In Feſtis Duplicibus & infrà, Decanus & Præcentor aſcendunt & deſcendunt ad quodcunque Officium per gradus, qui ſunt in inferiori parte Chori. Archidiaconus, Succentor & Seniores Canonici Sacerdotes, qui ſtant in inferiori parte Chori versùs Ambonem, aſcendunt per eoſdem gradus, ſi Dignior vel Senior de ſua parte abfuerit, aliàs aſcendunt per gradus, qui ſunt è regione Aquilæ. Cancellarius, & Pœnitentiarius aſcendunt per gradus, qui ſunt in Superiori parte Chori versùs Altare: abſentibus Cancellario & Pœnitentiario, Canonici Sacerdotes, qui ſtant versùs Altare, aſcendunt per eoſdem gradus, ſi Senior de ſua parte abfuerit; aliàs aſcendunt per gradus adverſos Aquilæ.*

15. *Præſente Domino Archiepiſcopo & ſtante infrà Sedem Pontificalem, Pœnitentiarius aſcendit & deſcendit per gradus adverſos Aquilæ.*

16. *Cæteri omnes Sacerdotes, & Diaconi, ſive Canonici, ſive Beneficiati aſcendunt per eoſdem gradus, qui ſunt è regione Aquilæ.*

17. *In eiſdem Duplicibus & infra, omnes exceptis Decano, & Præcentore, quoties è Stallis procedunt ad Aquilam, ad Ambonem, aut in Veſtiarium, ſivè pro legendis Lectionibus, aut alio quocunque munere obeundo, deſcendunt per gradus, qui ſunt è regione Aquilæ, & per eoſdem ad Stalla ſua redeunt, antequam quidquam aliud aggrediantur.*

18. *Epiſcopi extranei Rochetto & Moſetta vel habitu Chori veſtiti, aſcendunt & deſcendunt per gradus, qui ſunt in ſuperiori parte Chori versùs Altare; & in ſolemnibus & ſupra, locum accipiunt inter Cancellarium & Seniorem Canonicum; in aliis feſtis locum accipiunt inter Cancellarium & ultimum Stallum versùs Altare. Ante illos Clericus fabricæ extendit tapetia cum pulvinaribus.*

CAPUT III.

De Modeſtia ſervanda in Choro.

1. TEmpore divini Officii, ſtent omnes erecto corpore, cum ſumma modeſtia, intentis mentibus ad præſentiam divinæ majeſtatis; abſtineant ab indecoris quibuſcunque membrorum compoſitionibus, ab omni levitate, riſu, & indecoro geſtu, manuum & pedum inepto motu, atque à ſomno & dormitatione; oculos huc illúcvè divertent nuſquam, niſi ex neceſſitate: qua quidem in-

Digitized by Google

ſtante, id omninò modeſtè facient. Qui pluvialibus aut aliis paramentis induti ſunt, caveant húc illúcvè diſcurrere; & per alios potiùs, quam per ſe faciant, ſi quid agendum occurrat, quod ipſis non incumbit ex Officio.

2. Non ſtabunt capite in cubitum nixo, vel in alterum latus inflexo, ſivè etiam divaricatis, vel ſuper inferiora Stalla elevatis pedibus, aut manibus diſſolutis. Omni ſtudio vitabunt de loco in locum divagationes, oſcitationes, brachiorum extenſiones, cancellationes tibiarum inter ſedendum aut ſtandum, & ejuſmodi alia.

3. Nullus librum teneat præ manibus, ut privatim, vel lectioni, vel Orationi vacet. Quoties incedendum erit, id modeſto greſſu, & nuſquam præcipiti fiat. Si genuflectendum, vel ſedendum ſit, id modeſtè fiat. Sedilia verò quoties erit opus attollere, vel demittere, id fiat manu admota, & ſine ſtrepitu. Nullus cum altero colloquatur. Quòd ſi res aliqua neceſſariò ſignificanda ſit, quæ ſigno, vel nutu exprimi nequeat, paucis dicatur.

CAPUT IV.

De Ordine Standi in Choro.

1. STet quilibet in Stallo ſui Ordinis, videlicet Sacerdotes, & Diaconi in ſuperioribus Stallis, habitâ inter eos dignitatis, antiquitatis, & Ordinis ratione; in inferioribus Stallis Subdiaconi; Acolythi autem, & inferiores Clerici, aut in iiſdem Stallis inferioribus poſt Subdiaconos, aut cum Pueris Chori ad ſcamna infrà Stalla poſita juxta conſuetudinem locorum.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

2. *D. Archiepiſcopus, quando celebrat in Pontificalibus, ad Veſperas, & Officium Nocturnum ſtat in Throno, ſeu Sede Pontificali, qua ſita eſt à parte dextra ad oram ſuperiorem Stallorum versùs Altare, eaque ornata panno & Umbella coloris Officio diei convenientis, cum tapetibus & pulvinaribus. Quando non eſt in Pontificalibus, ſtat in uno è Stallis ſuperioribus prope eandem Sedem, & ante illum extenditur tapes cum pulvinaribus.*

3. *In Solemnibus-minoribus & ſuprà, & in Triduo poſt Feſta Nativitatis Domini, Paſcha & Pentecoſtes, Dignitates ſtant in ſuperioribus Stallis honoris ſui propriis ad Veſperas, Officium Nocturnum & Miſſam. Præterea ad Veſperas à die 15. Decembris uſque ad Vigiliam Natalis Domini; ad Miſſam Feria quinta in Cœna Domini, & ad Tertiam in Feſto Pentecoſtes ſtant in eiſdem Stallis, videlicet à parte dextra in primo Stallo contiguo majori porta Chori Deca-*

Digitized by Google

nus: In ſecundo Archidiaconus de Joſaio: In tertio Archidiaconus Briæ: In ſecundo Stallo infrà Sedem Pontificalem Pœnitentiarius. Ab altera parte chori in primo Stallo contiguo majori porta chori Præcentor: In ſecundo Archidiaconus Pariſienſis: In tertio Succentor. In primo Stallo verſus Altare Cancellarius: ab utraque parte Chori, poſt Cancellarium & Pœnitentiarium ſtat Canonicus Sacerdos Senior à ſua parte. Poſt illum ſtant Canonici Sacerdotes, habita inter eos ratione antiquitatis Ordinis. Poſt Archidiaconum Briæ & Succentorem ſtant ab utraque parte Chori aliqui ex Canonicis Sacerdotibus, deinde omnes Canonici Diaconi habita inter eos ratione antiquitatis ordinis. In mediis Stallis, è regione Aquilæ verſus Altare ſtant Vicarii perpetui. His ſuccedunt Beneficiati Sacerdotes, & poſt illos Beneficiati Diaconi, quorum Junior ſtat propè Juniorem Canonicum Diaconum.

4. *In inferioribus Stallis, ab utraque parte Chori infra Ambonem ſtant Canonici Subdiaconi; habita inter eos ratione antiquitatis Ordinis: poſt illos ſtant Seniores Capellani: In Stallis, quæ contigua ſunt gradibus adverſis Aquilæ versùs Ambonem, ſtant duo, vel tres Beneficiati Subdiaconi. In primo Stallo, contiguo iiſdem gradibus, versùs Altare, ſtat Beneficiatus Subdiaconus: Poſt illum ſtant Clerici Matutinarum, & Macicoti. In reliquis ſtant Capellani.*

5. *In Plano Pueri & Canonici in minoribus ſtant ad Scamna, quæ ſunt in tertio ordine, ſex videlicet ab una parte chori, & ſex ab altera hoc ordine. Prima Sedes Puerorum, à dextra parte chori, finitima eſt gradibus Sedis Pontificalis; Secunda duobus, vel tribus paſſibus diſtat à prima; Tertia totidem paſſibus à ſecunda diſtans, contigua eſt gradibus, qui ſunt è regione Aquilæ: Quarta ſubeſt iiſdem gradibus, versùs Ambonem; Quinta totidem paſſibus diſtat à Quarta; Sexta totidem paſſibus diſtans à Quinta, non multum diſtat à gradibus, qui ſunt in infima parte chori. Illis è regione reſpondent ſex Sedes ab altera parte chori. In prima, ab utraque parte Chori, ſtant Ceroferarii: In tertia ſtant qui cantant Verſiculos & Antiphonas: In Sexta, à parte dextra, ſtat Major Puerorum, qui dicitur Spex. Iſte ſuper Albam induit ſemper Cappam & Capitium, ex lana Hyeme & Æſtate: In Sexta Sede ab altera parte ſtat Minimus Puerorum.*

6. *Infrà Sedem Sextam Puerorum versùs Ambonem, ſtant ab utraque parte Chori Canonici* in minoribus *induti, ut ſupra cap. 1. num. 7. eaſdemque obſervant Cæremonias quas Major Puerorum.*

7. *Quando Dignitates non ſtant in Stallis honoris ſui propriis: Decanus ſtat à parte dextra chori in primo vel ſecundo Stallo poſt*

Digitized by Google

angulum, qui est infra Ambonem, & post illum Archidiaconi de Josaio & Bria. Pœnitentiarius stat in Stallo quarto vel quinto infrà Sedem Pontificalem; Præcentor stat ab altera parte chori in primo vel secundo Stallo post angulum ab eadem parte & post illum Archidiaconus Parisiensis & Succentor. Cancellarius verò stat in quarto vel quinto versùs Altare. Cæteri stant ut suprà.

8. *Sacerdos Hebdomadarius, modò non sit Canonicus Parisiensis, locum accipit à parte sua in Stallo superiori medio inter Juniorem Sacerdotem Beneficiatum & Seniorem Diaconum Beneficiatum è regione Aquilæ.*

9. *In Festis Simplicibus & Feriis Macicotus Hebdomadarius eodem modo locum accipit in Stallo inferiori contiguo gradibus, qui sunt è regione Aquilæ, versùs Ambonem.*

CAPUT V.

Quando standum in Choro super Stalla erecta.

1. CUm frequentior, & diuturnior situs corporis, & dispositio in Officiis Ecclesiasticis sit Statio; Stalla, ad faciliorem hujusmodi situs, & dispositionis observationem, erecta sunt in Choro, in quibus, qui sacro ministerio sunt addicti, Stantes inniti possint erectis Sedilibus, seu elevatis Subselliorum assulis, quas plerique vocant Misericordias, pro temporis, & Officii ratione, & opportunitate.

2. Hoc modo stant omnes in Choro, nisi aliter notetur, præterquam ad ea omnia, ad quæ sedendum est Sedibus demissis, genuflectendum, standum in pedes, aut convertendum se ad Altare.

CAPUT VI.

Quando sedendum est in Choro, sedibus demissis.

1. SEdent omnes in Choro, Sedibus demissis, in primis Vesperis Festorum Duplicium-minorum, & suprà, dum cantatur Versus Responsorii, & per Reclamationem usque ad Versum *Gloria Patri* exclusivè, nisi aliter notetur.

2. Sedent in Officio Nocturno ad Lectiones, exceptis Lectionibus Evangelii. Item ad Responsoria, usque ad ℣. *Gloria Patri* Tertii, Sexti, & Noni Responsorii exclusivè, nisi aliter in propriis locis notetur.

3. In Officio Capituli, ad Lectionem Martyrologii, Necrologii & Canonum. Item ad Defunctorum Commendationes.

4. In Missa, ad Prophetias quascunque, Epistolam, Graduale

Digitized by Google

cum Verſu, *Alleluia* cum Verſu, Tractum, & Proſam. Ubi autem Diaconus ſolenniter per Chorum procedit, Codicem Evangeliorum deferens, ſurgunt omnes, non amplius ſeſſuri.

5. Item in die, & per Hebdomadam Paſchæ, ſedent in Veſperis, poſt *Hæc dies*, ab initio Verſus uſque ad finem Proſæ.

CAPUT VII.

Quando ſtandum in pedes vel facie ad Altare converſa.

1. OMnes ſtant in pedes, non innixi Stallis, & facie ad Diaconum converſa, dum legitur Evangelium in Miſſa. Eodem modo ſtant converſi ad Lectorem quoties in Officio Nocturno legitur Evangelium pro ſeptima, octava & nona Lectione, vel pro prima & tertia Lectione tempore Paſchali; uſque ad verba *Et reliqua*. Stant etiam in pedes facie ad alterum Chorum versâ dum cantatur Symbolum in Miſſa.

2. Item ſtant in pedes non innixi Stallis omnes & ſinguli, qui imponunt Antiphonas & Pſalmos, qui cantant Lectiones, Reſponſoria, & Verſiculos. Item Choriſtæ quoties aliquid aliis præintonant, aut aliquid ſoli, ſivè bini, terni, quaterni, vel ſeni cantant. Illi etiam ſtare debent, quibus aliquid præintonatur, aut annuntiatur à Choralibus.

3. Stant omnes facie ad Altare converſa, dum in Hymno *Te Deum* cantatur Verſus TE ERGO QUÆSUMUS, FAMULIS TUIS SUBVENI, QUOS PRETIOSO SANGUINE REDEMISTI. Ad Strophen TE MATREM RIETATIS, in Hymno *Virgo Dei genitrix*. Ad verſum ADESTO NOBIS DOMINE, in Hymno *Chriſte, qui lux es, & dies*. Ad Strophen O CRUX AVE, in Hymno *Vexilla*. Ad Strophen O VERE DIGNA HOSTIA, in Hymno *Ad cœnam Agni providi*. Ad Hymnum VENI CREATOR SPIRITUS, à principio ad finem. Ad Strophen TANTUM ERGO SACRAMENTUM, in Hymno *Pange lingua glorioſi Corporis myſterium*. Ad Strophen O SALUTARIS HOSTIA, in Hymno *Verbum ſupernum prodiens*. Ad verba RESURGENTEM DE MORTE ADORATE, in Reſponſorio *Sedit Angelus*. Ad Hymn. AVE MARIS STELLA, à principio uſque ad finem. Ad verba AVE MARIA, GRATIA PLENA, DOMINUS TECUM, quotiès cantatur pro Invitatorio, & Verſu Reſponſorii. Ad verba ORA PRO NOBIS DEUM, in Antiphona *Regina cœli* quando cantatur ad *Magnificat* in Officio de Beata Maria Tempore Paſchali. Quoties cantatur O BENIGNA, in Proſa *Inviolata*. Ad Antiphonas de Beata Maria poſt Officium Tempore

Paſchali & à Veſperis Sabbati uſque ad Completorium Dominicæ per annum, quando & ubi cantantur. Item & ad Strophen HOC IN TEMPLO SUMME DEUS, in Hymno *Angularis fundamentum.*

4. In Miſſa ſtant etiam omnes converſi ad Altare dum cantatur SUSCIPE DEPRECATIONEM NOSTRAM, in Hymno *Gloria in excelſis Deo.* Ad verba GLORIA TIBI DOMINE ante *Evangelium.* Ad verba ET INCARNATUS EST uſque ad *Crucifixus* excluſivè in Symbolo quando, & quoties dicitur. Ad verba DIGNUM ET JUSTUM EST ad Præfationem. Ad ſecundam elevationem Corporis Chriſti ante Orationem Dominicam, idque nudo omninò capite. Item ad Verſum VERBUM CARO FACTUM EST, &c. poſt *Alleluia* in Miſſis Natalis & Circunciſionis Domini; Ad verba *Evangelii* ET VERBUM CARO FACTUM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS, in eadem Miſſa Natalis Domini. Ad verba Evangelii ET PROCIDENTES ADORAVERUNT EUM, in Miſſa Epiphaniæ Domini. Ad verba *Evangelii* ET PROCIDENS ADORAVIT EUM, in Miſſa Feriæ quartæ infrà Hebdomadam quartam Quadrageſimæ. Ad ℣. ADJUVA NOS DEUS, &c. in Tractu *Domine non ſecundum peccata noſtra.* In Proſa Aſcenſionis Domini, ad Strophas QUOS HIC ORPHANOS DESERIS, & TIBI DEVOTIS MENTIBUS. Ad ℣. VENI SANCTE SPIRITUS, in Miſſis de Sancto Spiritu. Ad Strophas ECCE PANIS ANGELORUM: BONE PASTOR PANIS VERE; & TU QUE CUNCTA SCIS ET VALES, in Proſa SS. Sacramenti. Ad verba AVE MARIA, GRATIA PLENA, DOMINUS TECUM, quoties dicitur in Evangelio *Miſſus eſt*, vel pro Offertorio. In Miſſa Annuntiationis Dominicæ ad Strophas O VERITAS LATENS, ac ET TU PRO MISERIS, in Proſa *Humani generis*, & ad Communionem VERBUM CARO FACTUM EST, &c. Ad Strophen CÆLITES Ô VOS BEATI Proſæ Omnium Sanctorum. Ad Strophen O SOLEMNIS FESTUM LÆTITIÆ Proſæ Dedicationis Eccleſiæ. Ad Strophen PIE JESU DOMINE Proſæ Defunctorum *Dies iræ dies illa.* Et in aliis Proſis ad Strophas, in quibus ſunt Preces, quæ diriguntur ad Deum vel ad Sanctos.

5. Celebrans convertit ſe ad altare, quoties imponit ℣℣. *Domine labia mea aperies. Deus in adjutorium meum intende.* & *Converte nos Deus ſalutaris noſter*, quando cantat Capitula, Collectas & Verſus Sacerdotales.

6. Convertunt ſe omnes verſus D. Archiepiſcopum, ubicunque adſit, ad Solemnem Benedictionem, quæ datur in Miſſa Ponti-

Digitized by Google

ficali, ante *Agnus Dei*, & ad aliam communem, quoties datur.

7. Item convertunt se omnes nudo omnino capite ad altare, quoties sacra Pyxis à suspensione demittitur vel ad illam elevatur; quoties è tabernaculo extrahitur vel in illo reconditur; quando SS. Hostiæ renovantur, & quoties sacra communio datur.

8. Stant etiam omnes conversi ad Altare, ad Antiphonas B. Mariæ in fine Officii, quando, & ubi dicuntur, toto Tempore Paschali, & à Vesperis Sabbati inclusivè usque ad Completorium Dominicæ inclusivè, ac etiam in Festis Domini à primis Vesperis usque ad Completorium diei Festi. Item ad Preces publicas Pronai.

9. Ubi propter numerosiorem Clerum, Stallis inferioribus subsunt in Plano Chori Scamna sine Misericordiis destinata Clericorum Sessionibus, iidem Clerici stabunt in pedes saltem ad ℣℣. *Domine labia mea aperies. Deus in adjutorium meum intende.* & *Converte nos Deus salutaris noster.* Ad ℣. Sacerdotalem, & Versiculos; ad Absolutiones; Ad Cantica *Te Deum laudamus. Benedictus. Magnificat.* & *Nunc dimittis*: Ad Antiphonas post eadem Cantica: Ad Capitula, Hymnos & Collectas: Ad Commemorationes; Ad Preces, quando non dicuntur flexis genibus; Ad Ps. *De profundis*, & ad alias Preces Officii Capituli. Eodem modo stabunt in Missa ad Introitum, Collectas & *Credo*: à Præfatione usque ad Elevationem, & ab Elevatione usque ad finem Missæ, quando non sunt flectenda genua. Iidem stabunt etiam in pedes, & convertent se ad Altare ad ea omnia quæ dicta sunt suprà, sicut cæteri de Choro.

10. Ubi Stallorum defectu, Scamna sine Misericordiis disposita sunt, ad quæ stet Clerus, omnes itidem stabunt in pedes ad supradicta omnia.

CAPUT VIII.

Quando genua flectenda, ubi & de prostrationibus.

1. OMnes genua flectunt conversi ad altare & nudo omninò capite ad primam elevationem SS. Sacramenti in Missa; & quotiès datur benedictio cum SS. Sactamento. Item genua flectunt nudo omninò capite & facie ad Chorum versa quoties SS. Sacramentum defertur per Chorum.

2. Quotiès in Missa, aut alio Officio, Diaconus cantat *Flectamus genua*, omnes, excepto Celebrante, genua flectunt per moram, quam Diaconus interponit inter *Flectamus genua* & *Levate*.

3. In Missis Ferialibus Quadragesimæ, genua flectunt ab *Elevatione SS. Sacramenti*, usque ad *Pax Domini* inclusivè, modo Vesperæ sequentes sint de Feria.

Digitized by Google

4. Item ad Preces Feriales, quæ dicuntur ad omnes Horas in *Feriis Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum & Vigiliarum*, Celebrans quidem converſus ad Chorum uſque ad *Dominus vobiſcum* ante primam Orationem Officii, cæteri verò uſque ad finem Orationis Officii, & converſi ad Altare.

5. Ad Antiphonas B. Mariæ in fine Officii, quando & ubi dicuntur, omnes diſcedunt è Stallis, & genua flectunt in Plano ante Altare; præterquam à primis Veſperis Feſtorum Domini uſque ad Completorium diei Feſti & à Veſperis Sabbati uſque ad Completorium Dominicæ incluſivè, & per totum Tempus Paſchale; tunc enim dicuntur ſtando.

6. Item ad *Septem Pſalmos Pœnitentiales*, qui dicuntur Feriâ IV. Cinerum, & Feriâ V. in Cœna Domini, uſque ad finem Abſolutionis incluſivè, ſed facie ad ſe invicem converſa. Item ad eoſdem Pſalmos, ubi dicuntur in exequiis Defunctorum.

7. Item in fine Laudum Tridui ante Paſcha, ad Verſus & Preces, ſicut & in fine Horarum ad Pſal. *Miſerere*, & Orat. *Reſpice*.

8. Proſtratio fit quando genibus flexis corpus incurvatur verſus terram. Proſternunt ſe omnes hoc modo, & terram deoſculantur ad verba Paſſionum *Emiſit ſpiritum*, *Expiravit* & *Tradidit ſpiritum*.

CAPUT IX.

Quando caput detegendum aut operiendum.

1. QUovis Tempore detegunt omnes caput, quandiu Sanctiſſimum Sacramentum eſt expoſitum in Altari, & quando per Chorum defertur.

2. Quovis etiam Tempore, quilibet caput omninò detegit, quotiès ſolus, vel cum altero cantat aliquid; thurificat, & thurificatur; aſpergit, & aſpergitur; Codicem Evangeliorum & Inſtrumentum Pacis offert, & oſculatur; ſuſcipit cineres, & Crucem adorat; Communionem dat, & recipit; & in aliquo alio officio miniſtrans, Benedictionem D. Archiepiſcopi, aut Celebrantis recipit.

3. Item quotiès aliquis præmonitus à Choriſtis ad Intonationem Antiphonarum, vel ad aliquid aliud dicendum vel præſtandum, quod ad publicum Officium pertinet, ſtatim in primo illorum acceſſu caput omninò detegit, & in Eccleſia Metropolitana ac Collegiatis Hyemali tempore, utraſque partes anteriores Hyemalis Cappæ demittit.

4. Item quotiès aliquis è loco ſuo procedit ad Roſtrum Aquilæ, ad Aquilam, vel ad Ambonem, pro legenda Lectione, Ora-

Digitized by Google

tione dicenda, vel quovis alio munere exercendo, caput ſimiliter omninò detegit, & Hyeme in Eccleſia Metropolitana ac Collegiatis anteriores partes hyemalis Cappæ demittit, antequam de loco ſuo diſcedat, deindè poſtquam locum ſuum repetiit, & aſtantes vicinos hinc & indè à dextris & ſiniſtris ſalutavit, caput operit. Attendant omnes, in ſimili caſu, ut poſt peractum quodcunque Officium ipſis incumbens, quovis tempore loca ſua ſemper repetant priuſquam aliud quidquam adoriantur.

5. Hyemali tempore, ſemper caput coopertum eſt, præterquam ad Elevationem Corporis & Sanguinis Chriſti, ad ſecundam Elevationem ante Orationem Dominicam; ad Oſculum Codicis Evangeliorum, in Miſſa Feſtorum Solemnium majorum & ſupra: ad Oſculum quotidianum Inſtrumenti Pacis in Miſſa, ad Communionem Cleri & Populi, ad Benedictionem Pontificalem, & ad Abſolutionem, quæ datur in fine ſeptem Pſalmorum Feriâ IV. Cinerum, & Feriâ V. in Cœna Domini. Item quando ſacra Pyxis è ſuſpenſione demittitur vel ad eam elevatur: è tabernaculo extrahitur, vel in illo reconditur; & quando renovantur ſacræ Hoſtiæ.

6. Æſtate, caput cooperitur, ſemper quidem quando Chorus ſedet demiſſis Sedibus, præterquam ad *Gloria Patri* in fine Reſponſoriorum. Item dum ſtat Chorus ſuper Stalla erecta, ad Pſalmos quoſcunque ut dicetur infrà, excepto Pſalmo *Venite* initio Officii Nocturni. Item ad Cantica non Evangelica, & ad Symbolum *Quicunque*; Item in Proceſſionibus extrà Eccleſiam, quando non defertur SS. Sacramentum, & in Exequiis Defunctorum extrà Eccleſiam. Item in Miſſa quoties chorus ſedet demiſſis ſedibus.

7. Æſtivo tempore; in Feſtis Semiduplicibus & ſuprà, ad primum Pſalmum Veſperarum & Laudum omnes operiunt caput poſt factas à Choriſtis Salutationes in Superiori & in Inferiori parte Chori; ad alios Pſalmos tegunt caput poſt primum Verſum cujuſlibet Pſalmi. Idem obſervatur in Officio Nocturno, ad ſecundum verſum cujuſlibet Pſalmi, quando dicuntur plures Antiphonæ.

8. Quando, in eiſdem Feſtis Pſalmi Veſperarum, Officii Nocturni, & Laudum Matutinarum, dicuntur ſub una Antiphona, caput tegunt ad primum Pſalmum, poſt factas à Choriſtis ſolitas inclinationes ut ſuprà, deinde ad alios Pſalmos caput tegunt, ab initio cujuſlibet Pſalmi uſque ad ℣. *Gloria Patri*. Idem obſervatur ad Horas & ad Completorium.

9. In Simplicibus & Feriis, quando dicuntur plures Antiphonæ, tegunt caput, videlicet in Veſperis, & Laudibus, ad ſecun-

Digitized by Google

dum Versum cujuslibet Psalmi: In Officio Nocturno ad secundum Versum 1. 3. 5. 7. 9. & 11. Psalmi, & ad alios ab initio Psalmi usque ad ℣. *Gloria Patri.* Quando verò Psalmi dicuntur sub una Antiphona, caput tegunt à secundo Versu primi Psalmi, usque ad *Gloria Patri*, & ad alios Psalmos ab initio Psalmi, usque ad *Gloria Patri*, &c. ut suprâ num. 8.

10. Ad reliquas partes Officii caput detegitur, ac etiam in Psalmodia ad ℣℣. *Sit nomen Domini benedictum*, *In manus*, *Non nobis Domine*, & *Sed nos qui vivimus*, & *Deus misereatur nostri*, &c. *Benedicat nos Deus*, & ℣. *Gloria Patri*, in fine Psalmorum, & Canticorum, ad ℣℣. *Benedicamus Patrem*, &c. & *Benedictus es*, in fine Cantici *Benedicite*, & quotiès pronuntiantur Nomina *Jesu*, & *Mariæ*. Item dum fit thurificatio SS. Sacramenti, SS. Reliquiarum & Chori.

11. Caput etiam detegitur quando Diaconus, Subdiaconus, & alii Pluvialibus aut Albis induti procedunt ad Ambonem vel Aquilam, & solitas faciunt inclinationes.

CAPUT X.

De Inclinationibus.

1. TRiplex sit inclinatio, videlicet Minor, Mediocris, ac Profunda. Minor dicitur, quando caput & humeri pauliſper inclinantur: Mediocris, cum flexo paulò plus corpore, caput cum humeris inclinatur: Profunda, quando flexis renibus corpus ita inclinatur, ut palmis utriusque manus facile sit genua contingere.

2. Minor fit inclinatio quotiès pronuntiantur Nomina JESU & MARIÆ, sed paulo profundior ad SS. Nomen JESU.

3. Item in Hymno *Gloria in excelsis*, ad verba *Adoramus te. Gratias agimus tibi. Suscipe deprecationem nostram.* In Symbolo, ad verba ET HOMO FACTUS EST, *Simul adoratur*: in Hymno Te Deum, ad ℣. *Te ergo quæsumus.*

4. Item quoties aliquis, inchoato Officio, Chorum ingreditur, vel ab eo egreditur, postquam pervenit ad Stallum suum, & antequam ab eo egrediatur astantes vicinos à dextris & à sinistris minori inclinatione salutat & salutatur. Qui transit coram aliis per Stalla Superiora, capite aliquantulum inclinato incedit, & cum pervenit ad Stallum suum, vicinos eodem modo salutat, & ab illis salutatur.

5. Mediocrem facit inclinationem quilibet, postquam aliquid solus, vel cum socio cantaverit. Item qui annuntiat Antiphonam, Psalmum, Responsorium, Versiculum, Lectionem, ante & post in-

Digitized by Google

tonat onem, & cui intonatur: ante & poſt Thurificationem & Aſperſionem; Qui thurificat, & thuſificatur; Qui aſpergit & aſpergitur; Qui ſacrum Codicem Evangeliorum & Pacis Inſtrumentum deoſculatur, & qui offert poſt deoſculationem tantum. Item quotiès aliquis ad Aquilam accedit, vel recedit ab ea, mediocriter inclinat, primò in Stallo ſuo, antequam diſcedat, 2. ante Aquilam, cum ad eam pervenit, 3. ante eandem Aquilam, priuſquam ab ea diſcedat, demùm in Stallo ſuo, quando illud repetit, & quotiès Majorem ſalutat.

6. Profundè ſe inclinant omnes ante Altare, quotiès Chorum ingrediuntur, & ab illo egrediuntur, ad Altare accedunt, ab eo recedunt, & ante illud tranſeunt.

7. Præterea profunda fit inclinatio inter Altare & Aquilam; primo verſus Altare, deinde verſus Chorum, ab omnibus, qui Pluvialibus, Tunicis, vel Albis induti, ad Roſtrum Aquilæ, ad Aquilam, vel ad Bancam accedunt; ut aliquid legant vel cantent, in acceſſu & receſſu. Si pergant ad Ambonem, eadem inclinatio fit pone Bancam; primo verſus Altare; deinde verſus majorem portam Chori, in acceſſu & receſſu.

8. Quando Choriſtæ Chorum ingrediuntur, & ab illo egrediuntur, profundè inclinant ſimul verſus Altare, deinde adverſa inter ſe facie, vertunt ſe ad Chorum, quem ſimili modo ſalutant. Si fuerint quatuor, vel ſex; omnes ſimul profundè inclinantes ſalutant Altare; Tum omnes ſimul, bini tamen, alter ad alterum propiorem adverſa facie ſe vertentes, pari modo Chorum ſalutant.

9. Quotiès aliquis ab una parte Chori tranſit ad aliam, alicujus miniſterii cauſâ, totiès ponè Bancam profundè inclinat verſus Altare idque demiſſis anterioribus partibus Cappæ Hyeme in Metropolitana & Collegiatis.

10. Quando ad Primam & Completorium Confeſſio dicitur ab Hebdomadario, ſolus profundè ſe inclinat donec Chorus abſolverit *Miſereatur*, ſimiliter Choro faciente Confeſſionem omnes profundè ſe inclinant donec Hebdomadarius abſolverit *Miſereatur*, &c.

CAPUT XI.

De modo, ac tempore formandi ſignum Crucis.

1. QUotiès aliquis munit ſe Signo Crucis, Siniſtram infrà pectus tenet, Dextrâ verò digitis junctis & extenſis à fronte ad pectus, & ab humero ſiniſtro ad dextrum Crucis ſignum format.

Digitized by Google

2. Signant ſe omnes initio Horarum, ad ℣. *Deus in adjutorium: Adjutorium noſtrum in nomine Domini* in precibus, & dum Celebrans dicit *Indulgentiam.*

3. Signatur os tantùm pollice dextræ manus, in Officio Nocturno, ad ℣. *Domine labia*, &c.

4. Eodem pollice dextræ manus ſignantur frons, os, & pectus, quando Diaconus dicit *Initium*, vel *Sequentia S. Evangelii.*

5. Ad Completorium autem pectus ſignatur, dum dicitur *Converte nos.*

CAPUT XII.

De pectoris Tunſionibus.

1. TUnditur pectus extremis digitis dextræ manus ſimul junctis, & ſiniſtrâ infrà pectus admotâ.

2. Fit autem Tunſio pectoris ter in Confeſſione, ad *Mea culpa*, item ad *Agnus Dei*, & ad *Domine non ſum dignus.*

CAPUT XIII.

De Cantu ac de pauſis.

1. IN Choro ad Pſallendum inſtituto, omnes Hymnis, & Canticis Dei Nomen reverenter, diſtinctè devoteque laudare ſatagant, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra tranſilientes, ſed virili, ut dignum eſt, ſonitu & affectu voce Spiritus ſancti depromentes. Alta igitur Pſallatur voce, ſonora, pari & nuſquam confuſa & præcipiti. In fine cujuſque verſus, & ante pauſas in medio, penultima, vel (ſi penultima ſit brevis) antepenultima ſyllaba modicè pertrahenda, ne ſyllaba ultima, vel affectato ſtudio brevietur, vel inconcinnè protrahatur. Verſus pariter, & eodem tempore ac tono ab omnibus incipiantur & terminentur; & concinentium voces ita conſonent, ut quaſi vox una & eadem omnium audiatur. Omnes ſyllabæ ſervato accentu planè, diſtinctè, & uniformitèr cum cordis compunctione pronuntientur, ut & pſallentium mens Pſalmorum dulcedine paſcatur, & convenienti modulatione animus audientium ad affectum pietatis incitetur.

2. Omnes ſimul pauſando reſpirent iis in locis, in quibus ſunt virgulæ, niſi frequentiùs occurrant, puncta, & aſteriſci. Ad aſteriſcos potiſſimum advertant omnes, an tonum concordem ſequantur, an verò diſcordem. Uno choro pſallente, alter omninò attentus ſileat.

3. Triplex debet obſervari Pauſa. Prima eſt levis reſpiratio;

Digitized by Google

Secunda minor, Tertia major. Major fit in medio Verſuum Pſalmorum, & Canticorum, ita ut omninò ſilente Choro fiat ſilentium per aliquam moram; & in fine fiat minor; ita ut Cantus ſit planè abſolutus; & factum ſilentium per morulam, in una parte Chori, priuſquam alia pars incipiat, & reſumat ſequentem Verſum. Prima pauſa ſeu levis reſpiratio fiet ad virgulas, & puncta. Eadem fiat in Hymnis, poſt ſingula carmina.

4. Diebus Dominicis & Feſtis Pauſæ fieri debent longiores, & Officium cantari lentiùs, & quò fuerint ſolemniora Feſta; eò magis produc convenit. Protrahenda magis etiam Pſalmodia, quando Sanctiſſimum Sacramentum eſt expoſitum. Item lentiùs cantari debent *Deus in adjutorium*, Hymnus *Te Deum*, præcipuè ℣. TE ERGO QUÆSUMUS, & Cantica *Magnificat*; *Benedictus*, & *Nunc dimittis*. Cantica verò *Benedictus* & *Magnificat*, cum eorum Antiphonis, quando Chorus incenſatur, ſic protrahenda ſunt, ut incenſatio Chori (quantum fieri poterit) ſemper tota compleatur ante finem Antiphonæ; Item ſtrophæ Hymnorum, ad quas convertendum ſe ad Altare.

5. Quotieſcunque duò cantant aliquid ſoli, ſtudeant ita invicem concordare, ut qui peritior eſt, ſocium regat, alter verò ad eum attendens, nunquam illum præveniat: & ubi pauſandum erit; aliquo ſigno, vel nutu, qui ab aliis non percipiatur, eidem indicet. Verbum autem ultimum, ſeu illud, in quo unus aut plures cantantes debent ſubſiſtere ut ſtatim Chorus proſequatur, tardè penitùs & protrahendo cantabunt, ut hoc, velut indicio, adverti poſſit, ubi Cantus à Choro ſit reſumendus.

6. Sic vocem ſuam, & tonum moderentur qui aliquid incipiunt, ut voce, neque nimis elata, neque nimis depreſſa, ſed æquali & temperata perſolvatur Officium.

7. Qui Collectam, Capitulum, vel Lectionem cantat, ſingula verba clarè & diſtinctè pronuntiet, ſyllabarum quantitate & accentu ſervatis, ita ut ab omnibus audiatur, & ſenſus verborum rectè percipiatur; in ſingulis virgulis, niſi frequentiùs occurrant, in commatibus pauſet: in punctis paulò plus ſiſtat.

8. Prævideat quilibet ſeriò, ac præmeditetur omnia, quæ canenda publicè habuerit, vel legenda, ne in ipſo cantu erret, vel cunctetur; & qui memoriæ diffidit, librum præ manibus habeat.

9. Cæterum, ut vitetur omnis inter Cantantes diſcordia; & ſi quæ forſitan oriatur, poſſit faciliùs ad concentum debitum revocari; omnes id obſervent, ut ſi caſu quiſquam Officii ſui oblitus hæſitaverit, vel erraverit, ejus error tegatur modeſto ſilentio, niſi

forte

Digitized by Google

fortè qui præest Choro prudenter censeret admonendum. Si quis verò Psalmum aliquem imponat pro altero Psalmo, non interrumpetur, sed Chorus ab illius parte cantabit Psalmum convenientem, incipiendo post mediationem primi versûs, ac si neutiquam fuisset erratum. Cùm verò quis unam Antiphonam pro alia imposuerit, non interrumpetur, sed error admissus ex toto dissimulabitur: Sr unum Responsorium pro alio inceperit, Chorus præeunte aliquo peritiori, conveniens Responsorium ex integro cantabit eodem tenore, ac si continuaret inceptum. Quod si contingat aliquando totum ex unâ parte Chorum in errorem labi, si error admissus tolerari & dissimulari queat, quando Chorus ille absolverit cantum, alter prosequendo corriget errorem; Si verò dissimulari nequeat, qui præest cantui, revocabit errantem Chorum ad concentum meliorem. Tandem, si utroque Choro simul cantante tonus sit depressior, aut altior, vel oriatur discordia in Cantu, qui præest cantui, vel aliquis peritior, captato tempore, dum aliqua pausa fiet, prudenter imponet tonum convenientem, quem alii sequentur.

CAPUT XIV.

De Thurificatione.

ARTICULUS PRIMUS.

De Thurificatione in Vesperis.

1. IN Festis Duplicibus-minoribus & supra ad Vesperas, Thurificatio fit à duobus Sacerdotibus hoc ordine. In Ecclesiis in quibus major est amplitudo Chori, & Clerus numerosior, ut in Ecclesia Metropolitana, quando post Vesperas fit Statio, Cerofe-rarii, in primis Vesperis circa finem Responsorii, in secundis verò dum cantatur ultima Antiphona, pergunt in Vestiarium sequentibus Thuriferariis.

2. Ad antepenultimam Hymni Strophen Celebrans & Sacerdos Adjutor, qui cum illo thurificaturus est, è Choro vadunt in Vestiarium, Cappas induunt, accedunt ad Altare præcedentibus Thuriferariis & Ceroferariis qui Cereos ardentes in candelabris deferunt.

3. Pervenientes ante Altare sistunt se omnes in recta linea in plano infra gradum infimum Altaris: Celebrans & Adjutor profundè inclinant, Thuriferarii verò & Ceroferarii poplites flectunt, deinde Celebrans & Adjutor genua flectunt in infimo gradu Altaris, Ceroferariis interim stantibus in plano ad utrumque cor-

Digitized by Google

nu infimi gradûs facie ad se invicem conversâ.

4. Thuriferarii à dextris ipsorum Sacerdotum genua flectunt in eodem gradu, Naviculas & Thuribula in eodem gradu deponunt, Cochlearibus Thus immittunt in Thuribula, & ad Celebrantem ac ejus Adjutorem conversi respectivè dicunt *Benedic Pater.* Tum Celebrans & Adjutor super Incensum formant signum Crucis, & dicunt, *Ab illo benedicaris in cujus honore cremaberis.*

5. Thure benedicto, primus Thuriferarius manu dextrâ accipit summitatem catenularum, illas osculatur, & imponit sinistræ Celebrantis, inferiorem verò partem catenularum propè vas Thuribuli sinistrâ complectens, ponit in dextra Celebrantis quam osculatur: Eodem modo secundus Thuriferarius Thuribulum tradit Sacerdoti Adjutori.

6. Celebrans & Adjutor, post accepta Thuribula, SS. Sacramentum trino ductu thurificant inclinantes profundè ante & post, Thuriferariis anteriores partes Pluvialium interim à dextris sublevantibus. Deinde Thuriferarii incedentes per planum accedunt ad utrumque latus Altaris, poplites flectunt, Naviculas super utrumque latus deponunt, vel servandas tradunt Apparitoribus, & Pallium Altaris revolvunt. Celebrans & Adjutor ascendunt ad Altare, illud osculantur, & profundè inclinant, dum Thuriferarii Pallium Altaris extendunt, & poplites flectunt. Tum Celebrans & Adjutor adversâ inter se facie vertunt se ad Chorum, per anteriorem partem Suppedanei descendunt in Planum, Celebrans per latus Epistolæ præcedente primo Ceroferario, & Adjutor per latus Evangelii præcedente secundo Ceroferario, sequentibus Thuriferariis, procedunt ad Reliquias Sanctorum, quæ ponè majus Altare, vel sub illo asservantur, illas trino ductu thurificant, profundè inclinantes antè & post, Thuriferariis anteriores partes Pluvialium à dextris sublevantibus, & Ceroferariis hinc & inde stantibus facie ad se invicem conversâ.

7. Dum inchoatur *Magnificat*, eodem ordine descendunt in Chorum, in ejus introitu Altari & Choro profundè inclinant. Thuriferarii ipsos sequentes, ita tempestivè Altari profundè inclinant, ut Celebrante & Adjutore versùs Altare inclinantibus, ipsi facie ad illos conversâ, & ab illis aliquot passibus distantes, eodem momento versùs Chorum inclinent profundè. Ceroferarii verò pervenientes ad utrumque cornu infimi Gradûs Altaris gradum sistunt, poplites flectunt, & facie ad se invicem versâ iterùm poplites flectunt, & ibidem Candelabra sustinentes perseverant usque ad ℣. *Gloria Patri.* Ubi altare inter chorum & navim situm

Digitized by Google

est, Celebrans post Altaris thurificationem, per latus Epistolæ procedit ad Reliquias Sanctorum ponè vel sub Altari collocatas, transit ad partem Evangelii; Adjutor verò locum Superiorem cedens transeunti Celebranti transit ad partem Epistolæ. Idem inter se observant Thuriferarii. Tum Celebrans & Adjutor Reliquias Sanctorum incensant, & cætera ut suprà.

8. Celebrans & Adjutor Chorum ingressi ad utrumque latus Aquilæ se sistunt, Choristas triplici ductu respectivè thurificant, mediocriter illis inclinantes ante & post, Thuribula reddunt Thuriferariis. Tum Celebrans & Adjutor in eodem loco consistentes, & facie ad se invicem versâ convertunt se ad Altare. Mox Thuriferarii parum ab illis recedunt & illos trino ductu thurificant hoc modo: Sinistrâ manu tenent supremam partem catenularum, quas cum in medio dextrâ apprehenderint, Thuribulum, quantum fert tota catenularum longitudo, eâdem manu dextrâ in altum ter jactant, & poplites flectunt ante & post. Tum Celebrans transit ante primum Choristam, sistit se ante Aquilam in medio Choristarum; Adjutor verò pergit ad superiorem partem Chori, in medio illius profundè inclinat Altari & Choro, & in Vestiarium revertitur.

9. Interim Thuriferarii per Gradus, qui sunt è regione Aquilæ, vel per alios secundum situm locorum, ascendunt ad superiora stalla, ante illum, qui ab utraque parte Chori primus stat in ordine versùs Ambonem, respectivè se sistunt, poplites flectunt, tum procedendo usque ad illum, qui ultimus stat versùs Altare continuè incensant, Thurificatione finita poplites flectunt, tum facie ad suam quisque Chori partem versâ, convertunt se ad Ambonem. Deinde per gradus, qui sunt è regione Aquilæ, descendunt in planum, ante stantes in inferioribus stallis eodem modo incensant à primo versùs Ambonem usque ad ultimum versus Altare, & redeunt in Vestiarum.

10. Dum cantatur Antiphona post *Magnificat*, Ceroferarii sese invicem poplitibus flexis salutare, descendunt infrà Sanctuarium, in infimo gradu illius candelabra deponunt ante medium Altaris, poplites flectunt, ibique stantes facie versâ ad Altare & complicatis ante pectus brachiis expectant donec procedatur ad Stationem.

11. In Ecclesiis, in quibus Reliquiæ Sanctorum asservantur extra Chorum, Celebrans & Adjutor post factam Thurificationem SS. Sacramenti, illas adeo tempestivè thurificant, ut in Chorum intrent, dum inchoatur Canticum *Magnificat*, cætera perficiunt ut suprà.

Digitized by Google

12. Ubi angustior est ambitus Chori, & minor Cleri numerus; Celebrans, postquam imposuit Antiphonam ad *Magnificat*, in Vestiarium pergit unà cum Adjutore: ambo Cappas induunt, accedunt ad Altare, & SS. Sacramentum thurificant ut suprà; deinde in Parochialibus Ecclesiis, si talis sit consuetudo loci, & populi multitudo non impediat, præcedentibus Ceroferariis, & sequentibus Thuriferariis descendunt in Navim, ubi majorem Crucem, quæ super Ambonem, vel Cancellos Chori erecta est, triplici ductu ambo incensant profundè inclinantes antè & post: Deinde, si quæ Reliquiæ vel Imagines Sanctorum super mensam Fabricæ sint expositæ, illas eodem modo thurificant, in Chorum redeunt per majorem portam Chori, infrà Bancam profundè inclinant versùs Altare, deinde versùs majorem portam Chori, ad utrumque latus Aquilæ accedunt, Choristas incensant, & cætera ut suprà.

13. Quando post Vesperas non fit Statio, sine ceroferariis fit Thurificatio.

14. In Semiduplicibus, eadem Thurificatio fit à solo Celebrante, tuncque Celebrans post Thurificationem SS. Sacramenti, & osculum Altaris, ad Reliquias Sanctorum procedit per latus Epistolæ, & per latus Evangelii descendit in Chorum, ut suprà; stans ad latus dextrum Aquilæ primum Choristam trino ductu incensat, deinde ad secundum aliquantulum conversus eumdem similiter incensat, moxque thurificatur ipse à Thuriferario, qui posteà ab utraque parte Chori incensat, ut suprà. Advertat Thuriferarius ut transiens à parte dextra ad partem sinistram, ponè Bancam profundè inclinet Altari.

15. Si præ stallorum angustia, sufficiens non pateat spatium ad Thurificationem in superioribus stallis commodè faciendam, Thurificatio fiet in plano tantùm.

16. In minoribus Ecclesiis Thurificatio fit à solo Celebrante & unico Thuriferario, tam in Semiduplicibus quam in Duplicibus & suprà.

17. Si in Altari non sit SS. Sacramentum, Crux Altaris à stantibus infrà gradum ultimum trino ductu thurificatur.

18. Si Vesperis interfit D. Archiepiscopus indutus Rochetto & Mozzetta vel Veste Chori, Celebrans & Adjutor post Incensationem SS. Reliquiarum, & factas Altari & Choro solitas inclinationes se sistunt ante D. Archiepiscopum, stantes illum trino ductu thurificant, inclinantes ante & post; Deinde si quis Episcopus, vel plures eodem modo vestiti interfint, Quemlibet illorum eodem modo ambo incensant incipiendo à Digniori. Postea Choristas thu-

Digitized by Google

rificant & cætera ut ſuprà. Abſente D. Archiepiſcopo, Epiſcopi ſimiliter incenſantur ante Choriſtas modo ſint induti ut ſuprà. Si verò ſint veſte communi induti, non incenſantur.

19. Cæterum ad munia Thuriferariorum & aliorum Acolythorum decentiùs obeunda, convenit ut exemplo Eccleſiæ Metropolitanæ, Clerici, qui Puèrorum defectu muniis hiſce funguntur, Albis induti miniſtrent, & poplites flectant quotiès poplitum flexio præſcribitur in hoc Cæremoniali. Ubi verò Albarum defectu, aut aliis legitimis de cauſis, iidem Clerici Albas induere non poterunt, loco flexionis poplitum profundè inclinabunt, exceptis Crucifero & Ceroferariis, qui caput tantùm inclinabunt, quando Crucem & Candelabra deferent.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

20. *In Solemnibus-minoribus & ſupra Celebrans & Canonicus ad Thuribulum electus thurificant eodem ritu quo ſupra numeris* 1. 2. 3. 4. 5. 6. *&* 8.

21. *Præterea in eiſdem Solemnibus-minoribus, & quoties Dignitates ſtant in ſtallis honoris ſui propriis, poſt incenſatos Choriſtas, ſi qui ſtent infrà Ambonem, qui Dignitates obtineant, ad illos accedunt, & ſtantes in plano, quemlibet illorum trino ductu reſpectivè incenſant, convertunt ſe ad Altare, incenſantur à Thuriferariis; qui ſecedunt, & ſiſtunt ſe ad Tumba aneæ latera, & converſi ad ſuam quiſque Chori partem locum cedunt, & poplites flectunt Celebranti & Adjutori tranſeuntibus, aſcendunt ad ſuperiora ſtalla, per gradus, qui ſunt è regione Aquilæ & incenſant ut ſuprà.*

22. *In Feſtis Cantoralibus Thuriferarii poſt incenſatos, qui ſtant in ſuperioribus & inferioribus ſtallis, quemlibet ex Canonicis* in minoribus *& Pueris trino ductu reſpectivè incenſant & poplites flectunt ante & poſt, deinde revertuntur in veſtiarium.*

23. *In Duplicibus, Hebdomadarius & Beneficiatus Sacerdos ad Thuribulum invitatus thurificant ut ſupra, num.* 1. *& ſequentibus pag.* 17.

24. *In Dominicis, licet Officium ſit Semiduplex, Thurificatio tamen ſit ad Veſperas Sabbati & Dominica ut in Duplicibus.*

25. *In Semiduplicibus Thurificatio ſit à ſolo Celebrante, & unico Thuriferario, ut ſuprà art.* 1. *num.* 14. *pag.* 20.

26. *Quoties* Magnificat *cantatur muſicè vel in falſ. burd. Ceroferarii poſt Thurificationem Reliquiarum in utroque cornu infimi gradûs Altaris Candelabra deponunt & loca ſua repetunt. Finito* Magnificat, *redeunt ad Altare poplites flectunt, Candelabra aſſumunt,*

Digitized by Google

descendunt infrà Sanctuarium & cætera perficiunt, ut sup. num. 10.

Quando D. Archiepiscopus celebrat in Pontificalibus.

27. *Duo Canonici Sacerdotes ad Thuribula invitati, Altare & Reliquias incensant ut suprà, num.* 3. 4. 5. *&* 6. *& post factas ab ipsis Altari & Choro inclinationes, D. Archiepiscopum stantes incensant ut suprà, & ab ipso benedictionem stantes recipiunt, deinde cætera perficiunt, ut suprà, & postquam à Thuriferariis incensati fuerint, redeunt in Vestiarium, factis in superiori parte Chori profundis inclinationibus versùs Altare & Chorum.*

ARTICULUS II.

De Thurificatione in Officio Nocturno, & Laudibus Matutinis.

1. IN Officio Nocturno dum cantatur primus Psalmus cujuslibet Nocturni, Thurificatio fit ut suprà in Vesperis, sed sine Ceroferariis, & Reliquiæ Sanctorum ponè majus Altare in primo Nocturno tantùm thurificantur.

2. In Parochialibus Ecclesiis Crux majori portæ Chori superposita, & Reliquiæ Sanctorum in mensa Fabricæ expositæ non incensantur.

3. In Laudibus Matutinis, dum cantatur Canticum *Benedictus*, eadem thurificantur, quæ supra in Vesperis, & eodem ritu.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

4. *In Festis Cantoralibus Canonici in minoribus & Pueri incensantur in primo Nocturno tantùm, & Laudibus Matutinis.*

ARTICULUS III.

De Thurificatione in Missa Solemni.

§. I.

De Benedictione incensi ante Missam.

1. IN Solemnibus-minoribus & suprà, Celebrans, ornamentis sacris indutus in Vestiario, convertit se ad Diaconum; Diaconus autem, acceptam de manu Thuriferarii Naviculam, per pedem tenet sinistrâ manu, & partem illius apertam convertit ad Celebrantem versùs illum se inclinans, dextrâ accipit cochlear vacuum, osculatur illud in summitate, & tradit Celebranti, cujus manum dextram osculatur, & dicit *Benedic Pater Rever.*

2. Celebrans accepto cochleari, sinistram tenens infrà pectus, ter è Navicula thus accipit eodem cochleari, & immittit in Thu-

Digitized by Google

ribulum, cochlear reddit Diacono, & super incensum in Thuribulo format signum Crucis dicens, *Ab illo benedicaris in cujus honore cremaberis. Amen.*

3. Incenso in Thuribulum immisso, Diaconus osculatur dextram Celebrantis, recipit manu dextrâ cochlear, illud osculatur, & reponit in Naviculam, quam claudit, & reddit Thuriferario, deinde proceditur ad Altare, ut dicetur infra suo loco.

§. II.

De Thurificatione ante introitum Missæ.

1. POstquam Celebrans ascendit ad Altare, illud osculatur, & stans in medio convertit faciem ad cornu Epistolæ, thus imponit & benedicit, ut suprà.

2. Thure benedicto, Diaconus manu dextrâ Thuribulum clausum accipit à Thuriferario circa summitatem catenularum, sinistrâ verò easdem catenulas propè operculum. Tum Celebrans descendit in planum, medius inter Diaconum & Subdiaconum genua flectit in ora infimi gradûs, deinde Diaconus â dextris Celebrantis genuflexus summitatem earumdem catenularum Thuribuli osculatur, & deponit in sinistra Celebrantis, inferiorem verò in dextra, quam osculatur.

3. Celebrans sinistrâ inter indicem & pollicem complectens summitatem catenularum, illam ad pectus admovet, dextrâ verò easdem catenulas simul junctas versus operculum, inter indicem & medium digitos immittens, sic tenet Thuribulum, ut illud commodè ducere possit ad res thurificandas, & ad se reducere: deinde sanctissimum Sacramentum triplici ductu incensat, nihil dicens, interpositâ inter quemlibet ductum brevi morulâ; & ante ac post Incensationem corpus inclinat profundè: Tunc surgens, cum Thuribulo ascendit ad Altare, profundè inclinat, & procedens ad latus Epistolæ ter ducit thuribulum versùs posteriorem Altaris partem in æquali distantia à medio Altaris ad partem Epistolæ.

4. Si in Altari non asservetur sanctissimum Sacramentum, Thure benedicto Celebrans convertit se ad Altare, profundè inclinat versùs Crucem, illam stans trino ductu incensat in medio tantùm æquali ductu, nihil dicens, deinde procedit ad latus Epistolæ ut suprà.

5. Perveniens Celebrans ad cornu Epistolæ, demissâ manu aliquantulùm inclinatus thurificat latus illius, primùm in parte inferiori, deinde in superiori, bis ducto Thuribulo; Tum conversus ad medium Altaris, elevat manum, incensat superficiem mensæ Alta-

Digitized by Google

ris ter ducens Thuribulum, velut in semicirculum, à dextra sua ad sinistram, & in æquali distantia procedendo ad medium Altaris. Ut pervenit ad medium, inclinat profundè, & posteriorem Altaris partem thurificat à latere Evangelii procedendo usque ad cornu illius, ter interim ducens Thuribulum in æquali distantia eodem modo quo à latere Epistolæ; Tum parum inclinatus, latus Evangelii incensat in inferiori & superiori parte bis ducto Thuribulo. Deinde elevans Thuribulum, incensat superficiem mensæ Altaris à parte Evangelii, ter ducens Thuribulum quasi in semicirculum à sinistra ad dextram; & statim quasi retrogreditur ad cornu Evangelii, ubi manu aliquantulùm demissâ, incensat partem anteriorem Altaris, ter ducens Thuribulum à cornu Evangelii usque ad medium; ad quod interim progreditur. Quando pervenit ad medium, profundè inclinat, & pariter incensat triplici ductu partem anteriorem Altaris à medio usque ad cornu Epistolæ, ubi reddit utrâque manu Thuribulum Diacono, & ibidem, conversâ facie ad cornu Evangelii, stans junctis manibus ante pectus incensatur à Diacono.

6. Diaconus autem recipit hoc modo Thuribulum: supponit ambas manus manibus Celebrantis, dextram illius quasi parumper sublevans osculatur in exteriori parte, tum dextrâ manu accipit Thuribuli, sinistrâ verò superiorem infrà sinistram Celebrantis, cui profundè inclinat, deinde pergens ad medium Altaris, profundè inclinat, in infimo gradu genua flectit, & triplici ductu Celebrantem thurificat cum profunda inclinatione ante & post, sinistrâ interim ad pectus admotâ tenens summitatem catenularum inter indicem & pollicem; dextrâ verò eadem catenulas, juxta medium illarum: eodem modo Celebrans, sive sit Episcopus, sive simplex Sacerdos, quando stat ad Altare, semper thurificatur à Diacono genuflexo.

7. Si in Altari fuerint Reliquiæ vel Imagines Sanctorum hinc & inde à lateribus Crucis positæ, non thurificantur separatim, sed unà cum posteriori parte Altaris.

Digitized by Google

TABELLA INCENSATIONIS ALTARIS. *in Missa solemni.*



Digitized by Google

Ordo Incensationis Altaris in Missa solemni.

NUmeri hoc in Altari descripti significant quoties **Thuribulum** duci debeat in Incensatione Altaris, quæ fit in Missa solemni. Celebrans igitur in ora infimi gradûs genuflexus SS. Sacramentum ter (1. 2. 3.) incensat. Tum surgit, ascendit ad Altare, profundè inclinat, procedens ad cornu Epistolæ ter (4. 5. 6.) ducit Thuribulum versùs posteriorem partem Altaris in æquali distantia à medio Altaris usque ad cornu Epistolæ: ubi demissâ manu thurificat lateralem partem illius semel (7.) in inferiori parte & semel (8.) in superiori. Tum conversus ad Altare, elevans manum incensat superficiem mensæ Altaris ter (9. 10. 11.) ducens Thuribulum velut in semicirculum, à dextra sua ad sinistram, & in æquali distantia procedendo ad medium Altaris, ubi factâ profundâ inclinatione, posteriorem partem Altaris procedendo ad cornu incensat ter (12. 13. 14.) ducens Thuribulum in æquali distantia: deinde lateralem partem cornu Evangelii demissâ manu semel (15.) in inferiori parte & semel (16.) in superiori incensat. Deinde elevans Thuribulum, incensat superficiem mensæ Altaris ter (17. 18. 19.) ducens Thuribulum velut in semicirculum à sinistra ad dextram, procedendo versùs medium Altaris, & statim quasi retrogreditur ad cornu Evangelii, manu aliquantulum demissâ incensat partem anteriorem Altaris ter (20. 21. 22.) ducens Thuribulum à cornu Evangelii usque ad medium Altaris, ubi profundè inclinat. Demum similiter triplici ductu (23. 24. 25.) reliquam partem anteriorem Altaris incensat procedendo ad cornu Epistolæ, ubi Thuribulum reddit Diacono. Si verò SS. Sacramentum non sit in Altari, Celebrans Crucem stans incensat triplici ductu, & Incensationem Altaris prosequitur ut suprà.

Digitized by Google

§. III.

De Thurificatione ad Evangelium.

1. Circa finem Gradualis, vel quando cantatur Prosa, circa finem *Alleluia*, dum Diaconus dicit *Munda cor meum*, Thuriferarius accedit ad Altare; deinde dum Diaconus petit benedictionem, à dextris illius genua flectit, & post benedictionem Diaconi, aliquot grana incensi in Navicula Celebranti præsentat dicens *Benedic Pater*, moxque Celebrans more solito benedicit incensum dicens *Ab illo benedicaris*, &c.

2. Diacono cantante *Initium*, vel *Sequentia sancti Evangelii*, Thuriferarius aliquot ex granis incensi, prius ad Altare in Navicula benedictis, mittit in Thuribulum: Deinde dum Chorus respondet *Gloria tibi Domine*, idem Thuriferarius Diaconum thurificat triplici ductu poplites flectens ante & post.

3. In Solemnibus-minoribus & supra, postquam Celebrans porrectum à Subdiacono Librum Evangeliorum osculatus est, Diaconus, in ora infimi gradûs genuflexus, Celebrantem trino ductu incensat, profundè inclinans ante & post, Thuriferario paulò infrà dextram ejusdem Diaconi stante.

4. Si Dominus Archiepiscopus Missæ interfit, Thuriferarius benedictionem incensi non petit à Celebrante, sed procedens ad Ambonem vel Aquilam gradum sistit ante stallum D. Archiepiscopi, à dextris Diaconi genua flectit in gradu stalli inferioris, & post benedictionem Diaconi, incensum in Navicula D. Archiepiscopo præsentat dicens *Benedic Pater Reverendissime*; moxque D. Archiepiscopus illud benedicit ut suprà, &c.

5. Absente D. Archiepiscopo, si aliquis Episcopus, Rochetto & Mozzetta, vel habitu chori vestitus, Missæ interfit, incensum ab illo benedicitur eodem ritu: si plures interfint, eodem modo benedicitur à digniori.

6. Lecto Evangelio, postquam D. Archiepiscopus codicem Evangeliorum osculatus est, Diaconus stans in plano illum trino ductu thurificat, profundè inclinas ante & post. Deinde Episcopum, vel si plures interfint quemlibet illorum eodem ritu incensat. Posteà reversus ad Altare, in Solemnibus-minoribus & suprà, genuflexus in ora infimi gradûs Celebrantem trino ductu incensat.

7. Quando D. Archiepiscopus, vel alius Episcopus celebrat in Pontificalibus, Diaconus, posito libro super Altare, accedit ad Pontificem viâ breviori, & coram illo genua flectit; Thuriferarius eodem tempore à dextris Diaconi similiter genua flectit; Diaconus

Digitized by Google

Naviculam accipit à Thuriferario, cochlear cum thure ministrat Pontifici, & dicit *Benedic Pater Reverendissime*, more solito, moxque Pontifex, accepto cochleari, incensum ter mittit in Thuribulum & benedicit dicens *Ab illo benedicaris &c.* Deinde Diaconus surgit & redit ante Altare, & dicit *Munda cor meum*, &c. ut suprà.

8. Evangelio lecto, Diaconus revertitur ad Altare, Pontificem genibus flexis triplici ductu incensat; deinde si Episcopus, vel plures Episcopi Missæ interfint, illum, & quemlibet illorum trino ductu stans incensat ut suprà, & revertitur ad Altare.

§. IV.

De Thurificatione Chori post Evangelium in solemnibus-majoribus & suprà.

1. IN Solemnibus-majoribus & suprà, cantato ET HOMO FACTUS EST, Thuriferarius præcedens Subdiaconum descendit in Chorum, ad dextram Aquilæ se sistit, primum Choristam incensat triplici ductu, poplites flectens ante & post; In eodem loco stans, eodem modo incensat secundum Choristam, facie ad illum versâ: deinde per gradus contiguos majori portæ Chori, ascendit ad superiora stalla: tum poplites ter tantùm flectit ante primum stantem in stallo, deinde ad ultimum versùs Altare incedens continuatè incensat, & poplites flectit ut suprà articulo 1. num. 9. pagina 19. descendit in planum per gradus, qui sunt è regione Aquilæ, ante stantes in inferioribus stallis incensat eodem ritu quo supra. Redit ad gradus adversos Aquilæ, ante stallum inferius quod est contiguum iisdem gradibus versùs Ambonem se sistit, & facie ad Aquilam versâ expectat donec Subdiaconus librum osculandum omnibus obtulerit. Tum Subdiaconum præcedens, transit ad alteram partem Chori, infra Bancam profundè inclinat Altari, ante superiora & inferiora Stalla ab eadem parte incensat ut suprà, & stans in Plano ante ultimum Stallum versùs Altare, expectat Subdiaconum, deinde, illum præcedens, redit ad Altare. In eisdem Festis Chorus non thurificatur post oblata.

2. D. Archiepiscopo vel alio Celebrante in Pontificalibus, si quis Episcopus vel plures Episcopi Missæ interfint, post incensatum Pontificem celebrantem, Diaconus sequens Subdiaconum accedit ad Episcopum. Postquam Episcopus librum Evangeliorum deosculatus est, Diaconus stans illum triplici ductu incensat inclinans profundè ante & post, & redit ad Altare: continuò Thuriferarius

Digitized by Google

præcedens subdiaconum choristas & alios incensat ut suprà. Si plures fuerint episcopi, diaconus quemlibet illorum triplici ductu incensat.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

3. *In festis cantoralibus præcentor stans ad bancam ab utroque thuriferario incensatur ante beneficiatos choristas.*

4. *Thuriferarius ad superiora stalla à parte epistolæ ascendit per barram decani, & descendit per gradûs, qui sunt è regione aquilæ: post thurificationem factam ante stantes in stallis inferioribus sistit se inter eosdem gradus & quartam sedem puerorum, ubi expectat subdiaconum: transiens ad partem evangelii, inter bancam & tumbam æneam profundè inclinat altari: ascendit ad superiora stalla per barram præcentoris & cætera perficit ut suprà.*

5. *Non fit thurificatio canonicorum* in minoribus *nec puerorum.*

§. V.

De thurificatione post oblata.

1. IN solemnibus-minoribus & suprà: celebrans dicto, *Veni sanctificator &c.* imponit incensum, & benedicit dicens, *Ab illo benedicaris*, ut suprà, §. 1.

2. Accepto de manu diaconi thuribulo, & nullâ factâ inclinatione, incensat oblata hoc ritu. Ducit thuribulum ter super calicem & hostiam in modum crucis, incipiens à parte crucis altaris: hinc aliquantulùm demittens thuribulum, illud ter ducit in circulum circum calicem & hostiam, scilicet bis à dextra ad sinistram, transiens inter calicem & crucem, & posteà semel à sinistrâ ad dextram dicens interim, *Incensum istud à te benedictum &c.* tum factâ de more profundâ inclinatione, descendit in planum, genua flectit in ora infimi gradus, SS. Sacramentum trino ductu incensat, profundè inclinans ante & post: redit ad altare, deinde illud thurificat ut suprà initio missæ, dicens, *Dirigatur, Domine, oratio mea &c.*

3. Si Sanctissimum Sacramentum non asservetur in altari, celebrans, post thurificationem oblatorum, crucem stans trino ductu incensat, profundè inclinans ante & post; deinde altare thurificat, ut suprà.

4. Finitâ incensatione altaris, celebrans reddit thuribulum diacono dicens: *Accendat in nobis &c.* & à diacono incensatur ut suprà §. 3, num 3. Deinde diaconus præcedente thuriferario per

Digitized by Google

latus epistolæ procedit primò ad SS. reliquias, quæ ponè majus altare, vel sub illo, aut in alio loco asservantur, illas trino ductu incensat profundè inclinans ante & post, thuriferario paulo infrà dextram ipsius stante: secundò procedit ad locum, in quo servantur olea sacra, si commodè fieri possit, & illa trino ductu incensat ut suprà: thuribulum reddit thuriferario, qui illum stantem in loco, in quo ultimò incensavit, trino ductu thurificat poplites flectens ante & post, tumque diaconus redit ad altare, & thuriferarius in vestiarium.

5. In solemnibus-minoribus & infrà, ad verba *Verè dignum & justum est*, thuriferarius intrat in chorum, altari poplites flectit, choristas successivè incensat, ut suprà; ascendit ad superiora stalla per gradus contiguos utrique posti majoris portæ chori, ante stantes in superioribus & inferioribus stallis, ab utraque parte chori incensat, ut suprà, §. 4. num. 1. & redit ad altare.

6. In missis festorum duplicium-majorum & infrâ, non fit thurificatio ante introitum missæ. Post orationem *Veni sanctificator &c.* celebrans descendit in planum, in ora infimi gradûs genua flectit inter diaconum & subdiaconum. Thuriferarius genibus flexis ad dextram diaconi thuribulum tradit diacono, & diaconus dat illud celebranti. Celebrans SS. Sacramentum trino ductu thurificat inclinans profundè antè & post, redit ad altare, sistit se inter medium altaris & cornu evangelii, convertit se ad diaconum, qui illum genibus flexis trino ductu incensat, deinde Sanctorum reliquias, & cætera ut suprà. Ad verba, *Dignum & justum est*, thuriferarius chorum intrat, choristas incensat, ad superiora stalla ascendit per gradus adversos aquilæ, & incensat ut suprà num. 5.

7. Si in altari non sit SS. Sacramentum, celebrans stans crucem & oblata trino ductu simul incensat, inclinans profundè ante & post: cætera fiunt ut suprà.

8. Quando missa celebratur ad altare, quod est ponè majus altare, celebrans non incensat nec incensatur, sed diaconus lecto evangelio rectà procedit ad majus altare, in ora infimi gradûs altaris genuflexus SS. Sacramentum trino ductu thurificat, thuriferario à dextris illius genuflexo, deinde SS. reliquias, & cætera ut supra.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

9. *Post incensatas SS. reliquias diaconus per portam septentrionalem chori pergit ad capellam, in qua servantur olea sacra, illa trino ductu thurificat: postea stans ante eandem capel-*

Digitized by Google

lam facie ad ſeptentrionem versâ incenſatur ut ſuprà, per portam meridionalem redit ad altare, & thuriferarius rectà revertitur in veſtiarium.

§. VI.

De thurificatione SS. Sacramenti ad elevationem hoſtiæ & calicis.

CUm elevatur SS. hoſtia, thuriferarius genuflexus in cornu infimi gradûs ſuppedanei à parte epiſtolæ, ſine intermiſſione incenſat, profundè inclinans antè & poſt: Idem facit cum elevatur calix.

§. VII.

De thurificatione chori ad oſculum inſtrumenti pacis.

1. DUm celebrans dicit orationem *Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti*, thuriferarii accedunt ad altare, in plano ſanctuarii ſe ſiſtunt è regione utriuſque cornu infimi gradûs, poplites flectunt, facie ad ſe invicem conversâ iterum poplites flectunt, & expectant donec pax deferatur in chorum.

2. Poſtquam ceroferarii porrecta à diacono pacis inſtrumenta oſculati ſunt, thuriferarii incenſum mittunt in thuribula, ſibi invicem poplites flectunt, deinde ſequentes ceroferarios deſcendunt in chorum, ubi choriſtas & alios ab utraque parte chori ſtantes in ſuperioribus & inferioribus ſtallis reſpectivè incenſant ut ſuprà art. 1. num. 9.

3. Domino Archiepiſcopo præſente, & non celebrante, poſt datam pacem ſubdiacono, diaconus pacem defert ad D. Archiepiſcopum, moxque thuriferarii dominum Archiepiſcopum trino ductu ſtantes thurificant. Si unus vel plures epiſcopi miſſæ interſint, eodem modo, poſt datam illis pacem à diacono, thuriferarii ſtantes quemlibet illorum trino ductu thurificant, incipiendo à digniori, deinde choriſtas & chorum, ut ſuprà.

4. Abſente D. Archiepiſcopo, ſi unus vel plures epiſcopi miſſæ interſint, eodem ritu incenſantur à thuriferariis ſtantibus.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

5. *In feſtis cantoralibus ambo thuriferarii præcentorem ſtantem ad bancam ſimul thurificant; deindè quilibet à parte ſua beneficiatum choriſtam reſpectivè incenſat, & cætera ut ſuprà. In ſimplicibus & feriis ambo choriſtam ſimiliter incenſant, & cætera ut ſuprà.*

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

De thurificatione SS. Sacramenti in altari expositi.

1. QUando SS. Sacramentum in altari est expositum, thurificatio fit more solito, ad vesperas, officium nocturnum, & matutinas laudes, sed sine osculis cochlearis, catenularum thuribuli, & manus celebrantis.

2. In missa, altare semper thurificari debet ante introitum, & post oblationem hostiæ & calicis. Ante introitum quidem hoc modo: celebrans, facta confessione, ascendit ad altare, illud osculetur, genuflectit, secedit tantillum versus cornu evangelii (ne sit directè ante SS. Sacramentum) quasi convertens faciem ad cornu epistolæ, ibi benedicit de more incensum, diacono ministrante naviculam, sine osculis; impositoque ac benedicto thure, genuflectit in medio, & statim descendit cum ministris in planum, advertens ne terga vertat SS. Sacramento, (quod semper observabit in omni thurificatione, sive actione facienda coram SS. Sacramento patenter exposito) & ibi, in ora infimi gradûs genuflexus, cum diacono à dextris & subdiacono à sinistris, accipit à diacono thuribulum, & statim SS. Sacramentum triplici ductu incensat, interpositâ inter quemlibet ductum brevi morulâ, & ante ac post incensationem corpus profundè inclinat summa cum veneratione; tunc surgens cum thuribulo, ascendit ad medium, genuflectit ut suprà, ac deinde thurificat altare, ut suprà, §. 11. num. 3. pag. 23.

3. Advertant celebrans, & ministri, ut genuflectant quoties ad medium altaris accedunt, vel ab eo recedunt, & ab unâ altaris parte ad aliam se transferunt. Completâ incensatione altaris & reddito thuribulo, celebrans stans ad cornu epistolæ incensatur à diacono genuflexo, ut suprà §. 11. num. 6. pag. 24.

4. Ante evangelium celebrans more solito incensum benedicit, post evangelium librum osculatur, & thurificatur à diacono genuflexo.

5. Post oblationem hostiæ & calicis, celebrans benedicit incensum de more dicens, *Ab illo benedicaris &c.* deinde sine prævia genuflexione, thurificat oblata more solito, posteà genuflectit, descendit in planum, & in ora infimi gradûs genuflexus incensat ter SS. Sacramentum, redit ad altare, genuflectit, & thurificat altare dicens *Dirigatur Domine &c.* Finita incensatione thurificatur ut suprà num. 3.

CÆREMO-

Digitized by Google

CÆREMONIALIS PARISIENSIS

PARS SECUNDA,

DE VESPERIS ET ALIIS OFFICIIS Nocturnis & Diurnis.

CAPUT PRIMUM.

De Vesperis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Vesperis Festorum Annualium & Solemnium-majorum.

1. CIrca finem ultimi signi ad vesperas, duo choristæ cappis induti, præcedentibus apparitoribus, qui populum submoveant, chorum ingrediuntur nudo capite; sistunt se ante medium altaris in superiori parte chori, profundè inclinantes salutant altare, deinde chorum: ad bancam seu sedem choristarum accedunt, primus scilicet ad dextram partem chori, & secundus ad lævam, mediocriter inclinantes se invicem salutant, deinde altare. Tum sedent, si necesse sit, & caput tegunt.

2. Post brevem moram, choristæ à parte celebrantis caput detegit, surgit, inclinat altari, accedit ad celebrantem, nihil dicens annuit illi ut incipiat officium inclinans ante & post, & redit ad bancam.

3. Celebrans, dictis secretò *Pater* & *Ave*, nudo capite, & conversus ad altare, cantat *Deus in adjutorium*, &c.

4. Ad verbum *Sicut erat*, primus choristæ, nudo capite, accedit ad unum è sacerdotibus à parte dextra; illi annuntiat primum psalmum vesperarum, sub tono convenienti, inclinans mediocriter ante & post, & redit ad bancam.

5. Finito *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine*, primus choristæ,

Digitized by Google

nudo capite, convertit se ad dextram partem chori, imponit primam antiphonam in tono convenienti, cui succinens sacerdos inchoat psalmum usque ad mediationem in eodem tono, & inclinat.

6. Post primum versum psalmi decantatum, choristæ nudo capite, ab utraque parte chori, modesto & lento gressu, deambulantes, chorum moderantur; in superiori parte chori profundè inclinant, primò versùs altare, secundò versùs chorum; deinde in infima parte chori, sacerdotes, & alios, qui infra ambonem vel cancellos, chori, stant, & chorum eodem modo salutant, caput tegunt, & deambulant, & paulo ante *Gloria Patri* accedunt ad bancam, & æstate caput detegunt. Eodem modo redeunt ad bancam paulò ante *Gloria Patri* cujuslibet psalmi.

7. Cantatâ post primum psalmum antiphonâ, pulsatur organum ad neuma antiphonæ; eodem modo pulsatur ad neuma cujuslibet antiphonæ, nisi aliter notetur.

8. Ad neuma primæ antiphonæ secundus choristæ accedit ad unum è sacerdotibus à læva parte chori, illi annuntiat secundam antiphonam, & redit ad bancam eodem ritu quo supra num. 4.

9. Impositâ secundâ antiphonâ, secundus choristæ facie ad lævam chori versâ, inchoat secundum psalmum, sicque vicissim alios psalmos hinc & inde choristæ incipiunt, & alias antiphonas annuntiant sacerdotibus, incipiendo à junioribus.

10. Interim unus ex pueris, vel acolythus è choro egreditur, ut librum collectarum præparet, capitulum, collectam, & alia, quæ à celebrante cantanda sunt perquirat, & signacula suis quæque locis aptet.

11. In primis vesperis, circa initium penultimi psalmi, quatuor cantores, vel alii de choro secundum consuetudinem locorum, è choro procedunt in vestiarium, ut cappas induant. Interim puer, vel clericus librum collectarum utraque manu ante pectus inclinatum gestans, chorum ingreditur, ante altare poplites flectit, ad celebrantem ascendit, librum ante illum deponit & aperit; capitulum, collectam, & alia quæ ab ipso cantanda sunt indicat, poplites flectens ante & post, & redit ad locum suum.

12. Dum fit neuma ultimæ antiphonæ, iidem quatuor, cappis induti, chorum intrant, profundè inclinantes altare & chorum salutant, & ad rostrum aquilæ se sistunt; ubi verò cantorum numerus non suppetit, se sistunt ante aquilam.

13. Post neuma ultimæ antiphonæ, celebrans caput detegit, surgit, & conversus ad altare, cantat capitulum ex libro, quem tenet præ manibus.

Digitized by Google

14. Statim ut chorus respondit *Deo gratias*, iidem quatuor imponunt responsorium, quod prosequitur chorus usque ad versum; si suppetat numerus cantorum, inchoato responsorio choristæ hinc & inde deambulant, secus, ante aquilam responsorium prosequuntur cum cæteris de choro.

15. Post decantatum responsorium, sedent omnes sedibus demissis, iidem autem quatuor stantes concinunt versum responsorii, quod prosequitur organum ab asteriſco ad finem, eoque finito similiter cantant *Gloria Patri* ejusdem responsorii, surgentibus omnibus, moxque iidem quatuor factis ad altare & chorum inclinationibus, in vestiarium revertuntur, dum chorus prosequitur responsorium ab asteriſco * ad finem.

61. In primis vesperis, circa finem responsorii, & in secundis dum cantatur ultima antiphona, thuriferarii è choro procedunt in vestiarium, ut thuribula præparent.

17. Si post veſperas fiat statio, ceroferarii, eodem modo procedunt in vestiarium sequentibus thuriferariis, ut candelabra & cereos præparent.

18. In utrisque vesperis pulsatur organum ad primam hymni strophen in cantu convenienti; deinde ad tertiam, quintam, &c. Ubi non est organorum usus, primus choristа conversus ad suam chori partem inchoat hymnum in cantu convenienti.

19. Ad antepenultimam hymni strophen, celebrans & sacerdos adjutor, qui cum illo thurificaturus est, pergunt in vestiarium, ut cappas induant.

20. Dum cantatur ultima strophe, duo pueri, vel clerici accedunt ad rostrum aquilæ, & facie versâ ad altare poplites flectunt; Secundus choristа accedit ad illos, annuntiat ipsis versiculum post hymnum inclinans mediocriter ante & post, & redit ad bancam. Si celebrans stet à læva parte chori, primus choristа eodem modo annuntiat illis versiculum.

21. Interim choristа à parte celebrantis accedit ad sacerdotem, qui dignior est post celebrantem illi annuntiat antiphonam ad *Magnificat*, inclinans mediocriter ante & post & ad bancam redit.

22. Post hymnum decantatum, pueri ad rostrum aquilæ, concinunt versiculum: deinde sacerdos sibi impositam antiphonam ad *Magnificat* inchoat, moxque pulsatur organum ad primum versum cantici *Magnificat*, deinde ad 3. 5. 7. 9. & 11. vel ubi solet cantari sine organo, choristа à parte celebrantis, inchoat *Magnificat*.

Digitized by Google

13. Ad ultimam strophen hymni, celebrans & adjutor cappis induti, præcedentibus thuriferariis, ad altare accedunt, SS. Sacramentum, &c. incensant, & incensantur ritu qui dictus est suprà parte 1. cap. 14. de Thurificatione art. 1. n. 3. & sequentibus.

14. In ecclesiis, ubi minor est ambitus chori, ad ultimam strophen hymni, primus vel secundus choristа accedit ad celebrantem, ut suprà numero 11. & annuntiat illi antiphonam ad *Magnificat*. Versiculo à pueris decantato, celebrans imponit antiphonam ad *Magnificat*, & post impositum à choristа vel inceptum ab organo canticum, cum sacerdote adjutore vadit in vestiarium, ubi ambo cappas induunt, deinde sanctissimum Sacramentum &c. incensant & incensantur ut supra eadem parte 1. cap. 14. de Thurificatione. art. 1. num. 3. & sequentibus.

15. Ad *Sicut erat* cantici *magnificat*, acolythus de collectario accedit ad stallum celebrantis, sumit librum collectarum & delatum super aquilam, aperit, & à dextris se sistit, ut collectam & cætera indicet celebranti, & folia vertat, ubi opus fuerit.

16. Decantatâ post *Magnificat* antiphonâ, celebrans ad aquilam, cantat *Dominus vobiscum*, collectam, & iterum *Dominus vobiscum*. Posthæc ad *Benedicamus* pulsatur organum in cantu convenienti: ubi verò non est organorum usus, choristæ cantant *Benedicamus* in cantu convenienti.

17. Si facienda sit commemoratio, duo pueri vel clerici ponè celebrantem cantant *Benedicamus* in tono celebrantis, deinde choristæ imponunt antiphonam commemorationis, primus choristа annuntiat versiculum puero à parte sua stanti, & conversо ad altare; si fiant plures commemorationes, secundus choristа eodem modo annuntiat versiculum secundæ commemorationis, puero stanti à parte sua, & sic vicissim annuntiant versiculos, quando fiunt plures commemorationes; collectas verò cantat celebrans cum minori conclusione, & in ultima subdit majorem conclusionem & *Dominus vobiscum*. Ad ultimum *Benedicamus* pulsatur organum, cui chorus respondet, *Deo dicamus gratias* in cantu convenienti: ubi non est organorum usus, choristæ concinunt *Benedicamus* in cantu convenienti.

18. Post *Deo dicamus gratias*, celebrans descendit ad bancam, ubi medius inter choristas dicit sine cantu: *Fidelium anima &c.* deinde in superiori parte chori profundè inclinans, una cum adstantibus hinc & inde choristis, altare & chorum salutat, & præeunte solo clerico de collectario, redit in vestiarium sequentibus choristis.

Digitized by Google

29. Si post vesperas fiat statio, ceroferarii candelabra deferunt ad thurificationem, ut dictum est suprà, parte 1. cap. 14. articulo 1. Præterea post *Benedicamus*, vel ultimam collectam, quæ dicitur cum minori conclusione, choristæ imponunt responsorium, vel antiphonam, secundum consuetudinem locorum; moxque procedunt in navim, hoc ordine: 1. thuriferarius solus thuribulum deferens: 2. ceroferarii: 3. puer, vel clericus collectarium deferens, solus: 4. pueri, bini & bini: 5. celebrans; 6. choristæ, postremò cæteri de clero ordine suo, videlicet clerici majores, subdiaconi, diaconi, & sacerdotes. In ecclesiis parochialibus, ubi cantores incedunt inter postremos ordines processionis, choristæ ultimi procedunt, & post illos celebrans. In navi stant omnes ab utraque parte, in duos choros divisi, sibi invicem collaterales in rectâ linea, & facie ad se invicem versâ, ita tamen ut juniores stent infrà ambonem seu propè cancellos chori: & inter utramque lineam stent in medio navis, facie ad altare versâ; 1. thuriferarius, sex vel octo passibus distans à janua chori; 2. ceroferarii; 3. puer, vel clericus, librum collectarum deferens. solus; 4. pueri, bini & bini; 5. celebrans; denique choristæ, omnes à se invicem plus minùsve distantes secundum situm locorum. In parochialibus ecclesiis, choristæ stant post pueros, & post choristas celebrans.

30. Cum pervenit celebrans ante crucem, vel imaginem, ad quam fit statio, sistit gradum, & accepto thuribulo illam trino ductu incensat, inclinans ante & post.

31. Circa finem responsorii, vel antiphonæ, primus choristæ annuntiat ceroferariis versiculum.

32. Finito responsorio vel antiphonâ, ceroferarii versiculum cantant, deinde celebrans cantat collectam ex libro, quem puer, vel clericus ante illum sustinet, cum majori conclusione, deinde *Dominus vobiscum*.

33. Posteà pulsatur organum ad *Benedicamus Domino*. Interim omnes revertuntur in chorum ordine quo suprà exierunt num. 29. & cantant *Deo dicamus gratias*, deinde celebrans, stans ad bancam, medius inter choristas dicit sine cantu ℣. *Fidelium animæ*, & redit in vestiarium, præcedentibus thuriferario, ceroferariis, & clerico qui defert librum collectarum.

34. In minoribus ecclesiis collectarium non defertur ad celebrantem: responsorium in primis vesperis cantatur ad aquilam à choristis cum duobus è clero in cappis, in minimis verò cantatur à solis choristis, thurificatio fit à solo celebrante. Idem observatur in festis solemnibus & infrà.

Digitized by Google

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

35. *In festis cantoralibus, ante vesperas, capicerius, cappâ coloris convenientis indutus, chorum intrat per portam meridionalem, baculum præcentoris dexterâ, & cappam illius plicatam brachiis impositam deferens: infra tumbam æneam profundè inclinat primò versus altare, deinde versus majorem portam chori, baculum in stallo præcentoris deponit, & cappam ante stallum ipsius extendit, moxque revertitur in vestiarium eâdem viâ.*

36. *Circa finem ultimi signi vesperarum, præcentor, cum superpelliceo & bireto æstate, hyeme verò cum brevi capitio, & quovis tempore almutiam sinistro brachio impositam deferens, chorum intrat per majorem portam, infrà tumbam æneam cappam induit, ministrantibus duobus clericis, & baculum dextrâ accipit à suo clerico; ibidem versus altare & majorem portam chori profundè inclinat nudo omninò capite, deinde ad medium bancæ ante aquilam accedit.*

37. *Post brevem moram, præcentor nudo omninò capite accedit ad celebrantem, mediocriter inclinans, & nihil dicens annuit illi ut incipiat: primum psalmum annuntiat uni ex canonicis sacerdotibus à dextrâ parte chori, deinde primam antiphonam imponit eodem ritu quo suprà, num. 2. 4. & 5.*

38. *Post decantatum primum versum primi psalmi, præcentor deambulat à dextrâ parte chori, in ejus superiori parte profundè inclinat, primo versùs altare, secundò versùs chorum, deinde in inferiori parte dignitates stantes infra ambonem, & reliquos de choro bis profundè inclinans salutat; ad medium bancæ accedit, versùs altare profundè inclinat; & transit ad lævam partem chori, in cujus parte superiori primò profundè inclinans salutat altare, deinde conversus ad ambonem, episcopos, si qui adsint, & chorum semel tantum profundè inclinans salutat: post hæc in inferiori parte, dignitates stantes infra ambonem, & reliquos de choro eodem modo salutat, demum redit ad medium bancæ, ibique stat ad* Gloria Patri.

39. *Dum cantatur* Sicut erat, *accedit ad unum ex canonicis sacerdotibus, ipsum invitat ad cappam, cum inclinatione ante & post, & redit ad dextram partem bancæ, & hyeme caput tegit.*

40. *Canonicus à præcentore invitatus descendit ad bancam: hyeme majus capitium, & cappam laneam superpelliceo & minori capitio superpositam ab illo detrahit clericus præcentoris, alio clerico adjuvante; illa deponit super brachia unius è pueris chori, qui factis reverentiis defert in vestiarium: æstate verò almutiam deponit: cappam, quæ ante vesperas super partem sinistram ban-*

Digitized by Google

ta extensa fuerat, induit, ministrantibus iisdem clericis qui suprà numero 36. accedit ad lævam partem bancæ, præcentorem salutat, & ab illo salutatur, tumque clericus præcentoris almutiam ejusdem accipit, & illam hyeme extendit in medio bancæ, æstate vero almutiam præcentoris extendit in dextra parte bancæ, deinde almutiam canonici choristæ in sinistra.

41. *Ad neumata antiphonarum, ad responsorium, & ad* Magnificat *non pulsantur organa: dum fit neuma primæ antiphonæ, canonicus choristæ uni ex sacerdotibus canonicis à læva parte chori annuntiat secundam antiphonam, eâque impositâ, inchoat secundum psalmum eodem ritu quo suprà, num. 8. & 9. paginâ 36.*

42. *Post decantatum primum versum secundi psalmi, præcentor caput tegit & à dextra parte chori deambulat: canonicus verò choristæ nudo capite à sinistra, in superiori parte chori, altare, & chorum salutat inclinans, licet ab eadem parte stent Episcopi; tum in inferiori parte, dignitates stantes infra ambonem, & reliquos de choro eodem modo inclinans salutat: mox caput tegit, sicque vicissim præcentor, & canonicus choristæ, alios psalmos hinc & inde incipiunt, & alias antiphonas annuntiant canonicis sacerdotibus, incipiendo à junioribus, ritu qui dictus est suprà, numero 9.*

43. *Inchoato penultimo psalmo, puer librum collectarum deferens, ut suprà num. 11. chorum ingreditur; si decanus celebret, ad illum ascendit per gradus barræ decani, librum ante illum deponit, & cætera perficit ut suprà eodem num. 11. si verò alius celebret, ad illum ascendit per gradus, qui sunt è regione aquilæ, & cætera perficit ut suprà, num. 11.*

44. *Ad primas vesperas, responsorium cantatur à quatuor beneficiatis in cappis, quorum duo sunt diaconi, & duo subdiaconi, ritu qui dictus est suprà, numeris 11. 12. 14. & 15.*

45. *In primis vesperis, circa finem responsorii, in secundis verò, dum cantatur ultima antiphona, unus è pueris à dextra parte chori ascendit ad decanum per gradus barræ ipsius; ab illo petit quemvam è canonicis eligat, ut thurificet cum celebrante, poplites flectens ante & post. Accepto responso, per eamdem barram descendit, deinde si designatus ad thuribulum stet à parte decani, puer per gradus adversos aquilæ ab eadem parte accedit ad canonicum, qui designatus est, ipsum invitat ad thuribulum dicens:* Ad thuribulum Domine, *si placet, & poplites flectit ante & post, deinde descendit per eosdem gradus, redit ad decanum, & ante illum stans in plano chori profundè inclinat, & locum suum repetit. Si verò canonicus designatus*

Digitized by Google

stet à læva parte chori, puer responso accepto, transit ad eandem partem, inter tumbam æneam & bancam, profundè inclinat altari, ad canonicum accedit & cætera ut suprà: per eandem viam redit, infra bancam iterum inclinat & cætera perficit ut suprà. Decano absente puer accedit ad præcentorem stantem ad bancam & cætera perficit ut suprà: absentibus decano & præcentore, dignior post illos eligit ad thuribulum, tuncque unus è pueris à parte eligentis accedit ad illum per gradus, qui sunt è regione aquilæ, ab illo petit quemnam eligat ad thuribulum, &c. si canonicus electus stet ab eadem parte, puer responso accepto recta pergit ad electum, illum invitat ut supra, descendit per gradus adversos aquilæ, & cætera perficit ut suprà.

46. *Advertat puer, & quivis alius, ut quoties ex una parte chori transit ad alteram, toties versus altare profundè inclinet inter bancam & tumbam æneam.*

47. *Dum cantatur ultima strophe hymni, canonicus choristæ annuntiat pueris stantibus ad rostrum aquilæ versiculum, & ad bancam redit; moxque præcentor almutiam accipit à clerico & accedit ad illum, qui dignior post celebrantem stat in parte illius; stansque illi annuntiat antiphonam ad* Magnificat *ut suprà. Si celebrans stet à læva parte chori; præcentor, vel ille absens, qui gestat baculum cantoralem, jure speciali, transit ante canonicum choristam, accedit ad digniorem post celebrantem ab eadem parte læva, annuntiat illi antiphonam ad* Magnificat, *ut suprà, & redit ad bancam.*

48. *Ad ultimam strophen hymni, celebrans & canonicus ad thuribulum electus accedunt ad altare, sanctissimum Sacramentum incensant & incensantur ut suprà parte* 1. *cap.* 14. *art.* 1. *Thurificatus à celebrante præcentor almutiam reddit clerico, & hyeme caput tegit.*

49. *Circa finem* Magnificat, *si celebrans sit à dextra parte chori, puer de collectario accedit ad stallum ejusdem, librum sumit, & cætera perficit ut suprà num.* 25. *si verò sit à læva, puer ejusdem partis ascendit ad stallum illius, librum collectarum defert ad aquilam, ut suprà, poplites flectit & locum suum repetit, tumque puer de collectario accedit ad aquilam, sistit se ad dextram celebrantis, & cætera perficit ut suprà.*

50. *Dicto* Benedicamus, *celebrans descendit ad bancam, altari profundè inclinat, præcentorem, & canonicum choristam salutat, mediocriter inclinans. Post salutationes mutuas, præcentor accedit ad tumbam æneam, infra illam altare & chorum salutat, profundè inclinans, convertit se ad aquilam, baculum reddit clerico,*

Digitized by Google

cappam exuit, assumptáque almutiâ egreditur è choro. Interim celebrans & canonicus choristæ pergunt ad superiorem partem chori, collaterales, altare & chorum salutant de more, & præcedentibus apparitoribus in vestiarium revertuntur. Clericus verò præcentoris baculum dextrâ, & cappam brachio sinistro impositam defert in vestiarium.

51. Quando post vesperas fit statio, ceroferarii candelabra deferunt ad thurificationem, & cætera perficiunt ut suprà parte 1. cap. 14. de thurificatione art. 1.

52. Post Benedicamus, vel ultimam commemorationem, præcentor & canonicus choristæ imponunt responsorium: thuriferarius thuribulum deferens, è vestiario accedit ad cornu altaris à parte epistolæ, navicularn ex illo sumit, thus mittit in thuribulum, descendit infra gradus presbyterii, moxque proceditur in navim hoc ordine. 1. thuriferarius solus naviculam & thuribulum deferens: 2. ceroferarii: 3. pueri & canonici in minoribus bini & bini: 4. celebrans solus: 5. præcentor, & canonicus choristæ: 6. succentor: 7. canonici subdiaconi: 8. beneficiati subdiaconi: 9. clerici matutinarum: 10. macicoti: 11. capellani: 12. diaconi & sacerdotes beneficiati: 13. canonici diaconi & sacerdotes: 14. dignitates.

53. In navi stant omnes, in duos choros divisi, facie ad se invicem versâ, ita tamen ut succentor solus infra ambonem stet à parte evangelii, facie ad majorem portam ecclesiæ versâ; & inter utramque lineam stent; 1. thuriferarius solus, depositis humi ante pedes naviculâ & thuribulo, facie versâ ad latus epistolæ: 2. Duo ceroferarii: 3. pueri, & canonici in minoribus bini & bini: 4. celebrans solus; denique præcentor, & canonicus choristæ, omnes stantes facie versâ ad majus altare.

54. Cum pervenit celebrans ante Imaginem B. Mariæ, gradum sistit, accepto thuribulo, illam trino ductu stans incensat, profundè inclinans ante & post.

55. Finito responsorio, præcentor, & canonicus choristæ incheant versum responsorii prosequente choro, deinde post completum omnino responsorium, organa pulsantur ad prosam Immaculata. Tumque præcentor & canonicus choristæ deambulant.

56. Ad verba Quæ sola, &c. præcentor versiculum annuntiat ceroferariis, qui post decantatam prosam illum concinunt.

57. Post versiculum, celebrans cantat orationem, ut suprà num. 32.

58. Deinde resonantibus organis redeunt omnes in chorum eodem ordine quo suprà numero 33.

Digitized by Google

59. *Reversus in chorum celebrans, sistit se ad bancam, medius inter præcentorem & canonicum choristam ad altare profundè inclinat, præcentorem, & canonicum choristam, salutat mediocriter inclinans, & post salutationes mutuas, præcentor cappam exuit infra tumbam aneam, ut suprà num. 50. celebrans & canonicus choristæ redeunt in vestiarium, ut suprà eodem num. 50. præcedentibus apparitoribus, thuriferario, & ceroferariis.*

60. *Cætera fiunt eodem ritu quo suprà.*

Quando D. Archiepiscopus celebrat.

61. *Dum præcentor cappam induit, Dominus Archiepiscopus rochetto, cruce pectorali, stolâ, chirotecis, pluviali & mitrâ pretiosâ ornatus, chorum ingreditur per portam meridionalem chori hoc ordine. Procedunt* 1. *apparitores:* 2. *unus è capellanis D. Archiepiscopi in cappa, qui defert Crucem archiepiscopalem:* 3. *alius capellanus in cappa, qui defert pedum pastorale:* 4. *duo pueri, qui deferunt candelabra cum cereis ardentibus: denique D. Archiepiscopus medius inter duos è capellanis suis in cappis, qui partes anteriores pluvialis ab utraque parte sublevant, sequentibus aliis capellanis suis in cappis, qui mitram & candelam deferunt.*

62. *Perveniens D. Archiepiscopus ante medium altaris, profundè inclinat; collocatis per capellanos ad cancellos sedis pontificalis, cruce in parte dextra, & pedo in sinistrâ, D. Archiepiscopus ascendit in sedem pontificalem, chorum salutat facie ad illum versâ, & salutatur; deinde sedet. Primus è capellanis ipsius sistit se infra suppedaneum sedis archiepiscopalis, in loco convenienti facie ad medium chori versâ: alii verò locum accipiunt in stallis inferioribus chori versùs altare.*

63. *Interim pueri humi deponunt candelabra ante sedem archiepiscopalem, poplites flectunt, & loca sua petunt.*

64. *Post aliquam moram, præcentor nudo capite accedit ad sedem pontificalem, stans in plano D. Archiepiscopo annuit ut incipiat, eodem ritu quo supra num.* 37. *D. Archiepiscopus accedenti caput inclinat, deinde illum benedicit.*

65. *D. Archiepiscopus, depositâ mitrâ, surgit, conversus ad altare cantat* Deus in adjutorium. *deinde convertit se ad septentrionem, & cantato* Alleluia *sedet, & mitram accipit.*

66. *Post decantatum primum versum primi psalmi, præcentor deambulat, à dextra parte chori, chorum moderans, & in superiori parte profundè inclinat,* 1. *versùs altare:* 2. *Versùs D. Archie-*

Digitized by Google

piscopum : 3. versùs chorum , deinde procedit ad partem inferiorem chori , & cætera perficit ut suprà , num. 38.

67. Decantato primo versu secundi psalmi , ubi canonicus chorista pervenit ad superiorem partem chori versùs altare , profundè inclinat : 1. versùs altare : 2. versùs Dominum Archiepiscopum : 3. facie ad suam chori partem versâ convertit se & inclinat versùs chorum , & cætera prosequitur ut suprà , num. 41.

68. Post inchoatum penultimum psalmum , puer collectarum librum deferens , chorum ingreditur , ascendit in sedem archiepiscopalem , librum deponit ante D. Archiepiscopum , eodem ritu quo suprà , num. 43. & locùm suum repetit.

69. Dum cantatur neuma ultimæ antiphonæ , D. Archiepiscopus mitram deponit , finito cantu surgit , & conversus ad altare capitulum cantat ex libro , quem capellanus ante illum sustinet , moxque , in primis vesperis , sedet , & mitram assumit.

70. In primis vesperis , quatuor beneficiati , post cantatum Gloria Patri responsorii , pergunt ad superiorem partem chori , collaterales in recta linea genua flectunt ante sedem pontificalem , D. Archiepiscopus illos benedicit nihil dicens , moxque iidem beneficiati surgunt , altare & chorum inclinantes , salutant ; & revertuntur in vestiarium.

71. Ad easdem vesperas , circa finem responsorii , & ad secundas vesperas , dum cantatur ultima antiphona , unus è pueris accedit ad decanum , vel alium ut suprà ; num. 45. ab illo petit quosnam è canonicis eligat ad thuribula , accepto responso , pergit ad antiquiorem , deinde ad alterum , ipsos invitat ad thuribula , postea sistit se in plano ante decanum , vel alium qui elegit ad thuribula , ritu qui dictus est suprà , num. 45.

72. Dum cantatur hymnus , D. Archiepiscopus sedet cum mitra.

73. Ad ultimam strophen hymni , præcentor nudo capite , acceptâ almutiâ , accedit ad D. Archiepiscopum , & genibus flexis in infimo gradu sedis archiepiscopalis , annuntiat illi antiphonam ad Magnificat , & ab illo benedicitur : Tum surgit , & redit ad bancam. Accedenti præcentori D. Archiepiscopus assurgit , caput inclinat , pedum sinistrâ sumit , & post annuntiatam antiphonam , præcentorem benedicit nihil dicens , reddit baculum , sedet , & dum cantatur versiculus , mitram deponit.

74. Post cantatum à pueris versiculum , D. Archiepiscopus stans sine mitra imponit antiphonam ad Magnificat ex libro , quem capellanus ante illum sustinet , moxque sedet , & mitram assumit.

75. Dum cantatur ultima strophe hymni , canonici ad thuribu-

Digitized by Google

la electi chorum intrant, SS. Sacramentum, & reliquias sanctorum thurificant more solito, deinde impositâ à D. Archiepiscopo antiphonâ ad Magnificat, *descendunt in chorum, altare & chorum inclinantes salutant, collaterales se sistunt ante sedem archiepiscopalem. Interim D. Archiepiscopus surgit, manu sinistrâ pedum accipit, & dextram ponit infra pectus. Canonici ad thuribula electi ante illum profundè inclinant, & trino ductu stantes illum thurificant. Tunc D. Archiepiscopus super illos stantes & inclinatos, dextrâ format signum crucis nihil dicens. Postea iidem canonici episcopo, si qui adsint, ambo simul incensant, deinde præcentorem, canonicum choristam, & dignitates stantes infra ambonem respectivè incensant, demum à thuriferariis incensantur more solito; in superiori parte chori, altare, & chorum bis tantum inclinantes salutant & redeunt in vestiarium.*

76. *Thurificatus à canonicis D. Archiepiscopus, pedum reddit capellano, mitram deponit, moxque surgit, & receptum ab eodem capellano pedum inter manus junctas tenens, conversus ad medium chori stat sine mitra; usque ad finem* Gloria Patri, *eoque cantato, baculum reddit capellano, sedet, & mitram assumit.*

77. *Ad Neuma antiphonæ post* Magnificat, *ceroferarii, qui candelabra detulerunt ante canonicos thurificantes quando post vesperas fit statio, ad sedem archiepiscopalem accedunt, è regione graduum sedis pontificalis se sistunt in plano, facie ad altare versâ.*

78. *Finitâ antiphonâ, D. Archiepiscopus mitram deponit, surgit, & collectam cantat ex libro, quem capellanus sustinet ante illum, deinde,* Dominus vobiscum.

79. *Postquam chorus respondit* Et cum spiritu tuo, *pueri stantes infra sedem archiepiscopalem ut suprà, num. 77. concinunt* Benedicamus Domino.

80. *Circa finem collecta, quando post vesperas fit statio, vel quando fit commemoratio, dum dicitur illius collecta, pueri qui cantaverunt versiculum post hymnum, ascendunt ad altare, assumunt candelabra, ad utrumque cornu infimi gradûs altaris se sistunt in plano, & in eodem stant facie ad D. Archiepiscopum versâ dum ab illo datur benedictio solemnis. Quando verò non fit statio, stant in suis locis ad benedictionem pontificalem.*

81. *Si facienda sit commemoratio, D. Archiepiscopus eodem ritu collectas illarum cantat, cum minori conclusione.*

82. *Dum dicitur collecta vesperarum, vel collecta ultimæ commemorationis, puer de collectario accedit ad sedem archiepiscopalem; dum dicitur conclusio, scandit gradus illius, & finitâ conclu-*

Digitized by Google

sione librum collectarum recipit de manu capellani, poplites flectens ante & post, descendit, sistit se ponè ceroferarios pontificis, & poplites flectit, ibique conversus ad altare stat, dum solemnis benedictio datur à D. Archiepiscopo.

83. Cantato per chorum Deo gratias post ultimum Benedicamus, D. Archiepiscopus stans sine mitra, & conversus ad septentrionem, pollice dextræ manus format sibi signum crucis in pectore, cantans versum Sit nomen Domini benedictum, sinistrâ infra pectus positâ: deinde cantans versum Adjutorium &c... signat se à fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum: postea caput inclinat cruci, ● cantans Benedicat vos omnipotens Deus, oculos simul & manus elevat ad cœlum; manus ante faciem jungit, sinistrâ baculum accipit, clerum & populum benedicit ter formans signum crucis, 1. Ad verbum Pater versùs latus suum sinistrum, 2. Ad verbum Filius directè ante faciem suam, 3. ad verba Spiritus sanctus versùs latus suum dextrum, moxque reddit baculum, manus jungit, & mitram assumit.

84. Datâ benedictione, D. Archiepiscopus, descendit de sede, ante altare profundè inclinat, & revertitur in vestiarium eodem ordine quo accessit ad chorum. Præcentor baculum deponit, & cappam exùit ut supra, canonicus choristæ redit in vestiarium, ut suprà, præcedentibus apparitoribus.

85. Si post vesperas fiat statio, tunc post benedictionem pontificalem præcentor & canonicus choristæ imponunt responsorium, moxque procedunt omnes in navim ut suprà. num. 51. Post canonicos in minoribus procedunt præcentor, & canonicus choristæ; post dignitates procedùnt; 1. capellanus qui defert crucem archiepiscopalem solus; 2. capellanus, qui defert pedum pastorale, solus; 3. pueri qui candelabra deferunt ante D. Archiepiscopum, demum D. Archiepiscopus medius inter capellanos, qui partes anteriores pluvialis hinc & inde sublevant, sequentibus aliis capellanis binis & binis.

86. Cum pervenit D. Archiepiscopus ante Imaginem B. Mariæ virginis, gradum sistit, ad illam se convertit, mitram deponit, accipit thuribulum, Imaginem trino ductu thurificat, inclinans ante & post, thuribulum reddit, mitram assumit, & pergit ad locum suum.

87. In navi stant omnes, more solito. Præterea ponè præcentorem, & canonicum choristam stant, 1. capellanus de cruce archiepiscopali, solus; 2. capellanus de pedo pastorali, solus; 3. pueri qui candelabra deferunt ante D. Archiepiscopum; demum D.

Digitized by Google

Archiepiscopus medius inter duos capellanos, ut suprà, & ponè illum alii capellani bini & bini.

88. *Dum pueri cantant versiculum post prosam* Inviolata, *D. Archiepiscopus mitram deponit, finito versiculo, collectam cum majori conclusione cantat ex libro, quem puer sustinet ante illum, deinde* Dominus vobiscum, *& post* Benedicamus, *mitram assumit, moxque redeunt omnes in chorum eodem ordine quo suprà exierunt num. 52.*

89. *Perveniens in superiorem partem chori D. Archiepiscopus, infra gradus presbyterii gradum sistit, ante medium altaris profundè inclinat, & redit in vestiarium eodem ordine quo venit.*

90. *Reversi in chorum præcentor & canonici choristæ, ad bancam se sistunt, transeunti D. Archiepiscopo inclinant; tum se invicem salutant: præcentor accedit ad caput tumbæ aneæ, ubi cappam exuit ut suprà, num. 50. Canonicus choristæ in superiori parte chori, altare & chorum salutat duplici inclinatione, & præcedentibus thuriferario & ceroferariis in vestiarium revertitur. Cætera fiunt eodem ritu quo suprà.*

Articulus II.

De Vesperis Festorum Solemnium-minorum.

1. IN primis vesperis, responsorium cantatur à choristis, & duobus è choro, qui dicuntur adjutores hoc ordine.

2. Ad neuma ultimæ antiphonæ, duo cantores, vel alii de choro, qui dicuntur adjutores, cappis induti, chorum intrant, altare & chorum salutant, accedunt ad bancam, & in medio choristarum se sistunt.

3. Finito capitulo, stantes ad bancam imponunt responsorium, moxque choristæ pergunt ad inferiorem partem chori, & ab illa deambulant usque ad gradus qui sunt è regione aquilæ, adjutores verò pergunt ad superiorem partem chori, ubi profundè inclinantes, altare & chorum salutant: deinde ab eadem parte usque ad eosdem gradus deambulant, ita tempestivè, ut è regione prædictorum graduum sibi invicem occurrant. Ubi non suppetit cantorum numerus, choristæ & adjutores stantes ad bancam ante aquilam, inceptum responsorium cum reliquis de choro prosequuntur.

4. Paulo ante finem responsorii, accedunt ad bancam, ubi stantes concinunt versum, & *Gloria Patri*, moxque adjutores, factis de more altari & choro inclinationibus, in vestiarium revertuntur.

5. In reliquis iidem ritus observantur, qui in vesperis festorum annualium & solemnium-majorum.

IN

Digitized by Google

6. *In illis iidem ritus servantur qui suprà in festis cantoralibus; exceptis quæ sequuntur: duo beneficiati, quorum unus diaconus, & alter subdiaconus, in cappis moderantur chorum.*

7. *Ad* Sicut erat *primi psalmi, secundus choristа altari inclinat, è banca procedens sistit se in plano chori ante præcentorem, vel, illo absente, ante succentorem, inclinat illi, & ad bancam redit; deinde secundam antiphonam annuntiat canonico sacerdoti & cætera. ut suprà; num. 8. & 9. pag. 36. Eodem modo ante præcentorem, vel succentorem inclinat, dum cantatur tertia antiphona.*

8. *Ad* Sicut erat *secundi psalmi, primus choristа è banca per partem dextram chori procedit ad tumbam æneam, infra illam profundè inclinat versus altare, accedit ad lævam partem chori, in plano se sistit ante præcentorem, vel succentorem, inclinat ut suprà num. 7. deinde infra eandem tumbam æneam inclinat & redit ad bancam; tertiam antiphonam annuntiat uni ex sacerdotibus canonicis à dextra parte chori. Eodem modo inclinat ante præcentorem, vel succentorem dum cantatur* Sicut erat *&c. quarti psalmi.*

9. *In primis vesperis, responsorium cantatur à choristis, & ab aliis duobus beneficiatis in cappis ad bancam, eodem ritu quo suprà num. 2. 3. & 4. pag. 48. sed ad illud non pulsantur organa.*

10. *In primis vesperis, ad* Gloria Patri *responsorii, & in secundis ad ultimam antiphonam, puer à læva parte chori accedit ad præcentorem, per aditum barræ præcentoris; vel, illo absente, puer à dextra parte chori accedit ad decanum, per barram ipsius; aut, utroque absente, puer à parte dignioris post illos, accedit ad eumdem digniorem per gradus, qui sunt è regione aquilæ, ab illo petit quos, vel quem eligat ad thuribula. Cætera, ut suprà art. 1. num. 45. pag. 41.*

11. *Ad penultimam strophen hymni, choristæ accedunt ad bancam, deinde ad præcentorem, primus quidem per viam quæ dicta est suprà num. 8. secundus verò ita opportunè procedit, ut simul, & eodem momento, ambo se sistant ante præcentorem, & inclinent, posteà revertuntur ad bancam eodem ordine.*

12. *Eadem inclinationes fiunt in vesperis & laudibus, ante præcentorem, vel, illo absente, ante succentorem, quoties stant in stallis honoris sui propriis.*

13. *Canonici* in minoribus. *& pueri non thurificantur.*

14. *Quando post vesperas non fit statio, dicto* Benedicamus, *ce-*

Digitized by Google

lebrans descendit ad bancam, choristas salutat & ab illis salutatur, moxque pergit ad superiorem partem chori, ubi medius inter eosdem choristas altare & chorum salutat, profundè inclinans, & revertitur in vestiarium, præcedentibus apparitoribus, & choristis sequentibus.

15. Quando post vesperas fit statio, post Benedicamus, vel collectam ultimæ commemorationis & impositum responsorium, celebrans solus procedit post canonicos in minoribus, & choristæ post celebrantem, deinde præcentor & succentor, postea cæteri, ut suprà pag. 43. n. 52.

16. In navi, stant infra ambonem, præcentor à parte epistolæ, & succentor à parte evangelii facie ad majorem portam ecclesiæ versâ, & alii ut suprà n. 53.

17. Finitâ statione, celebrans & choristæ redeunt ad bancam, & post salutationes mutuas revertuntur in vestiarium, præcedentibus thuriferario, & ceroferariis.

Quando celebrat D. Archiepiscopus.

18. Post cantatum primum versum primi psalmi, choristæ mudo capite procedunt ad superiorem partem chori, ubi profundè inclinant, primò versus altare, 2. versus D. Archiepiscopum, 3. facie ad suam quisque chori partem versâ convertunt se ad chorum, & inclinant ut suprà art. 1. num. 66. pag. 44. & 45.

19. In primis vesperis, post ℣. Gloria Patri responsorii, beneficiati adjutores, genibus flexis, benedictionem accipiunt à D. Archiepiscopo, & in vestiarium revertuntur, ut suprà pag. 45. n. 70.

20. Ad penultimam strophen hymni, choristæ inclinant ante præcentorem, ut suprà, deinde primus choristæ accedit ad D. Archiepiscopum, & genibus flexis annuntiat illi antiphonam ad Magnificat.

21. Quando post vesperas non fit statio, post benedictionem archiepiscopalem, choristæ redeunt in vestiarium more solito, præcedentibus apparitoribus.

22. Quando verò fit statio, ad illam procedunt post canonicos in minoribus, & in navi stant inter eosdem canonicos, & capellanum, qui defert crucem archiepiscopalem.

23. Finitâ statione, redeunt in chorum ad bancam, transeuntem D. Archiepiscopum inclinantes salutant, deinde in vestiarium revertuntur, ut suprà, præcedentibus apparitoribus, thuriferario & ceroferariis.

Digitized by Google

Articulus III.

De Vesperis Festorum duplicium-majorum & minorum.

1. PRimus psalmus annuntiatur uni ex sacerdotibus presbyteris, antiphonæ verò secunda & tertia subdiaconis, quarta diacono, & quinta sacerdoti annuntiantur; ubi verò non suppetit numerus ejusmodi ordinum, annuntiantur aliis de choro secundum consuetudinem locorum incipiendo à junioti.

2. In primis vesperis, responsorium cantatur à duobus choristis & duobus adjutoribus in cappis, ut suprà articulo 2. num. 2. 3. & 4. pag. 48.

3. In reliquis iidem ritus servantur, qui in vesperis solemnium-minorum; sed in duplicibus-majoribus organa pulsantur ad responsorium, hymnum, & *Magnificat*, & *Benedicamus*; at in duplicibus-minoribus non pulsantur, nisi aliter notetur.

4. Ubi non deferuntur cappæ, choristæ hebdomadarii eadem perficiunt quæ suprà num. 1. In primis vesperis iidem responsorium cantant ad aquilam, celebrans stans ad aquilam cantat collectam & orationes commemorationum. Cætera fiunt ut suprà.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

5. *In illis antiphonæ imponuntur hoc ordine : prima à choristâ qui est à dextra parte chori, secunda & tertia à beneficiatis subdiaconis, quarta à beneficiato diacono, quinta à beneficiato sacerdote.*

6. *Primum psalmum inchoat beneficiatus sacerdos à dextra parte chori. Puer, à parte eligentis ad thuribulum, accedit ad præcentorem, vel decanum, aut alium per gradus, qui sunt è regione aquilæ, ut quærat ab illo quem ex beneficiatis sacerdotibus eligat ad thuribulum, ut cum celebrante incenset, eodem ritu quo suprà art. 2. n. 11.*

7. *Hymnum imponit primus choristæ.*

8. *Antiphonam ad* Magnificat *imponit beneficiatus sacerdos à parte celebrantis. In cæteris iidem ritus observantur qui sup. num. 2. & 3. & non pulsatur organum ad responsorium & ad* Magnificat.

Articulus IV.

De Vesperis Festorum semiduplicium.

1. IN illis antiphonæ imponuntur hoc ordine, prima à primo choristâ, secunda à clerico, tertia à subdiacono, quarta à diacono, quinta à sacerdote, vel ubi non suppetit horum ordinum numerus, incipiuntur ab aliis de choro secundùm consuetu-

Digitized by Google

dinem locorum. Primus pſalmus imponitur à ſacerdote à parte dextra chori.

2. Verſiculum, poſt hymnum, & *Benedicamus* cantat puer in loco ſuo.

3. Quando fiunt commemorationes, antiphonas illarum imponunt choriſtæ, ſed verſiculos illarum cantat primus choriſta.

4. In Dominicis & infra octavas primi & ſecundi ordinis, duo pueri cantant verſiculum poſt hymnum, & *Benedicamus*.

5. Infra octavas ſecundi ordinis, quando pſalmi veſperarum cantantur ſub una antiphona, illam imponit primus choriſta, moxque ſuccinens unus ſacerdos ab eadem parte, inchoat primum pſalmum.

6. Ad *Gloria Patri* primi, ſecundi, tertii & quarti pſalmi, choriſtæ non accedunt ad bancam, ſed deambulantes moderantur chorum, æſtate verò caput detegunt.

7. In reliquis iidem ritus ſervantur qui in duplicibus.

8. Ubi non deferuntur cappæ, eadem ſervantur quæ ſuprà in feſtis duplicibus num. 4. dempto reſponſorio.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

9. *Cappas deferunt duo macicoti, quorum unus diaconus, & alter ſubdiaconus.*

10. *Antiphonæ imponuntur hoc ordine, prima à primo choriſta, ſecunda à clerico matutinarum, tertia à beneficiato ſubdiacono, quarta à beneficiato diacono, quinta à beneficiato ſacerdote.*

11. *Primum pſalmum imponit beneficiatus ſacerdos à dextra parte chori, verſiculum poſt hymnum puer ab altera parte celebrantis, &* Benedicamus *cantat unus puer, ſtans in loco ſuo à parte celebrantis.*

12. *Antiphonam ad* Magnificat *imponit beneficiatus ſacerdos à parte celebrantis.*

ARTICULUS V.

De Veſperis Feſtorum ſimplicium & feriarum.

1. IN illis, non deferuntur cappæ; poſt *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine*, choriſta tenens chorum ſtans in ſtallo ſuo, uni ex ſacerdotibus vicinis annuntiat primum pſalmum de 1. vel alio tono; deinde converſus ad chorum, imponit primam antiphonam, moxque ſacerdos vicinus imponit primum pſalmum: idem ſacerdos poſteà imponit tertium & quintum pſalmum, ac etiam canticum *Magnificat*, alius verò ſacerdos, ab altera parte chori, imponit ſecundum, & quartum pſalmum.

Digitized by Google

2. Antiphonas 2. 3. 4. & quintam imponunt alternis duo pueri stantes in locis suis, & conversi ad chorum hoc ordine: ad *Gloria Patri* primi & tertii psalmi, puer, qui est ab alterâ parte celebrantis, poplites flectit in loco suo, transit ad partem ipsius celebrantis, ponè bancam profundè inclinat, in plano chori sistit se ante celebrantem, profundè inclinat, & eâdem viâ redit ad locum suum. Ad *Gloria Patri* secundi & quarti psalmi, puer, qui est à parte celebrantis, rectà ad illum pergit, ante ipsum profundè inclinat ut suprà, & locum suum repetit.

3. Dum cantatur hymnus, iidem pueri, eâdem viâ quâ suprà, respectivè accedunt ad celebrantem ita tempestivè, ut ambo ante illum simul & eodem momento inclinent, deinde loca sua repetunt.

4. Hymnum, antiphonam ad *Magnificat*, antiphonas commemorationum inchoat, & illarum versiculos cantat idem choristа, versiculum post hymnum cantat unus ex iisdem pueris ab alterâ parte choristæ stans in loco suo & conversus ad altare. Canticum *Magnificat* imponit unus ex sacerdotibus à parte choristæ. *Benedicamus* cantat alter ex iisdem pueris à parte choristæ stans in loco suo facie conversâ ad altare.

5. Collectam, & orationes commemorationum cantat celebrans stans ad aquilam sine cappâ.

6. Quando dicuntur preces flexis genibus, illas cantat celebrans genibus flexis in stallo suo, conversus ad chorum: ad versum *Exurge*, surgit, accedit ad aquilam, ubi stans dicit ℣. *Domine exaudi orationem, &c.* collectam, & cætera ut suprà.

7. Infra octavas quarti ordinis, in quibus vesperæ cantantur sub una antiphona, idem choristа imponit antiphonam: psalmum etiam inchoat idem sacerdos. Dum cantatur hymnus pueri inclinant ante celebrantem. Cætera fiunt ut suprà.

8. In officio de B. Maria in sabb. vesperæ cantantur ritu semiduplici ut suprà art. 4.

9. Ubi dicuntur vesperæ officii parvi B. Mariæ, in festis simplicibus extra tempus paschale, post primum *Benedicamus*; in feriis verò & festis simplicibus tempore paschali, post secundum *Benedicamus*, celebrans stans ad eandem bancam inchoat *Deus in adjutorium* pro vesperis B. Mariæ, capitulum verò, collectam & orationes commemorationum cantat, stans in stallo suo, facie conversâ ad altare. Pueri non inclinant ante celebrantem. Cætera fiunt ut sup. n. 4. & 7.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

10. *Macicotus hebdomadarius tenens chorum, stat in stallo inferiori contiguo gradibus, qui sunt è regione aquilæ, versus ambonem; idem an-*

Digitized by Google

nuntiat primum psalmum vesperarum uni ex beneficiatis sacerdotibus.

11. *Post* Alleluia, *vel* Laus tibi Domine, *idem macicotus imponit primam antiphonam, moxque beneficiatus sacerdos imponit primum psalmum: idem sacerdos postea imponit tertium & quintum psalmum, alius verò beneficiatus sacerdos, ab alterâ parte chori, imponit secundum & quartum psalmum. Canticum* Magnificat *imponit unus è beneficiatis sacerdotibus à parte tenentis chorum.*

12. *Antiphonas secundam, tertiam, quartam, & quintam imponunt alternis duo pueri, ut suprà, num. 2. & 3. pag. 53.*

CAPUT II.

De completorio.

1. CElebrans stans in stallo suo, conversus ad altare, cantat *Converte nos*, & *Deus in adjutorium.*

2. Ad *Sicut erat*, uni ex vicinis sacerdotibus annuntiat psalmum *Cum invocarem* de octavo tono, vel alio.

3. Cantato per chorum *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine*, celebrans conversus ad chorum imponit antiphonam, moxque sacerdos vicinus imponit psalmum.

4. Post cantatam antiphonam, celebrans eodem modo imponit hymnum, quo finito, conversus ad altare dicit capitulum.

5. In duplicibus & suprà, infra octavas 1. 2. & 3. ordinis, ac etiam Dominicis diebus, responsorium *In manus*, & versiculum *Custodi nos Domine* cantant duo pueri ad rostrum aquilæ; in semiduplicibus verò extra suprad. octavas & infra, unus puer stans in loco suo ab alterâ parte celebrantis.

6. Dum cantatur versus *Custodi nos*, celebrans annuntiat vicino sacerdoti canticum *Nunc dimittis* de tertio, vel alio tono.

7. Post decantatum versum *Custodi nos*, celebrans imponit antiphonam *Salva nos*, aut *Alleluia*, moxque sacerdos vicinus inchoat canticum *Nunc dimittis.*

8. Finitâ post canticum antiphonâ, celebrans, stans ad bancam, cantat collectam &c.

9. In semiduplicibus, simplicibus, & feriis, stans ad bancam preces cantat, confessionem facit, ac dicit *Misereatur*, & *Indulgentiam* submissâ voce, quæ audiri possit à choro.

10. Quando dicuntur preces flexis genibus, illas cantat genuflexus in stallo suo facie ad chorum versâ. Ad *Dominus vobiscum* surgit, & stans conversus ad altare dicit orationem, deinde cantat *Converte nos* pro completorio officii parvi, si dicendum sit.

11. Completorium officii parvi B. Mariæ eodem ritu decantatur, & orationē cantat celebrans, stans in stallo suo, facie ad altare conversâ.

Digitized by Google

CAPUT III.

De Officio Nocturno.

ARTICULUS I.

De Officio Nocturno Festorum annualium.

1. CIrca finem ultimi signi ad officium nocturnum, quatuor de clero cappis induti, choristæ scilicet & alii duo, qui cum ipsis cantaturi sunt invitatorium, & dicuntur adjutores invitatorii, è vestiario procedunt in chorum, præcedentibus apparitoribus; altare, & chorum profundè inclinantes salutant, & sistunt se ad bancam.

2. Post aliquam moram choristæ à parte celebrantis accedit ad illum, inclinat & nihil dicens annuit illi ut incipiat, & redit ad bancam.

3. Celebrans, dictis secretò *Pater*, *Ave*, & *Credo*, conversus ad altare, imponit solemniter *Domine labia*, & *Deus in adjutorium*.

4. Cantato *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine*, choristæ, & adjutores stantes ad bancam solemniter concinunt invitatorium.

5. Post repetitum à choro invitatorium, choristæ & adjutores stantes ad bancam, concinunt primum versum psalmi *Venite*, deinde duo qui sunt à parte dextra concinunt secundum, & quartum versum, qui verò à parte sinistra tertium & quintum, postea, qui sunt à parte dextra concinunt, ℣. *Gloria Patri* usque ad *Sicut erat* exclusivè, qui verò à læva parte, *Sicut erat in principio & nunc & semper*, postremò quatuor concinunt *Et in facula faculorum*, *amen*. Post repetitam à choro ultimam partem invitatorii, iidem quatuor resumunt invitatorium, moxque duo adjutores altare & chorum salutant, & in vestiarium revertuntur, unde, cappis depositis, in chorum redeunt.

6. Ubi organa sunt in usu, ea ad invitatorium pulsantur alternis cum choro. Pulsantur etiam ad hymnum, ad ultimum responsorium cujuslibet nocturni, & ad *Te Deum*.

7. Dum ultimò repetitur invitatorium, thuriferarii vadunt in vestiarium ut thuribula præparent.

8. Ubi organa non pulsantur, hymnus inchoatur à primo choristæ à parte dextra.

9. Dum cantatur hymnus, celebrans, & sacerdos adjutor pergunt in vestiarium, unde, cappis acceptis, accedunt ad altare, SS. Sacramentum, & reliquias sanctorum ponè majus altare, vel sub illo, thurificant; deinde cum imponitur psalmus descendunt in

Digitized by Google

chorum, ubi thurificant, & thurificantur ut ſuprà in veſperis, & in veſtiarium reverturtur; deinde thuriferarii incenſant in ſuperioribus, & inferioribus ſtallis, eodem ritu quo ſuprà in veſperis. Eodem modo thurificatur dum cantatur primus pſalmus ſecundi, & tertii nocturni, omiſſâ incenſatione reliquiarum.

10. Antiphonæ annuntiantur viciſſim à choriſtis, ut ſuprà in veſperis, incipiente choriſtâ à parte dextra, hoc ordine: prima, ſecunda, & tertia tribus pueris ſucceſſivè: quarta, quinta, & ſexta tribus ſubdiaconis ſucceſſivè: ſeptima & octava duobus diaconis, & nona presbytero. Ubi non ſuppetit numerus hujuſmodi ordinum, quarta, quinta, & aliæ annuntiantur cantoribus, aut aliis de choro ſecundum conſuetudinem locorum, incipiendo à junioribus; pſalmos etiam iidem choriſtæ viciſſim imponunt, incipiente choriſtâ à parte dextra, ritu, qui deſcriptus eſt ſuprà in veſperis

11. Lectiones leguntur in cappis à ſacerdotibus dignioribus poſt celebrantem, aut aliis de choro ſecundùm conſuetudinem locorum, incipiendo à junioribus, hoc ritu; dum cantatur ſecundus pſalmus, lector primæ lectionis vadit in veſtiarium, ubi cappam induit, deinde ad tertium pſalmum, cappâ indutus, chorum ingreditur, præcedente puero, vel acolytho, qui lectionarium defert in ambonem; infrà bancam inclinans altare & chorum ſalutat, & aſcendit in ambonem. Interim puer aſcendit in ambonem, lectionarium ſuper legile ambonis colloçat, & aperit in folio convenienti, deinde ad dextram ſe ſiſtit, ut lectiones indicet, & folia vertat, quoties opus erit. Poſt tertiam lectionem idem puer refert lectionarium in locum ſuum, ſequente lectore tertiæ lectionis. Eodem ordine, idem puer, dum çantatur ultimus pſalmus ſecundi, & tertii nocturni, lectionarium defert in ambonem, & poſt ſextam, & nonam lectionem refert in locum ſuum. Ubi non eſt ambo, lectores inclinant inter altare & aquilam, acolythus verò lectionarium defert ad aquilam ut ſuprà.

12. Cantatâ tertiâ antiphonâ, duo pueri ſtantes ad roſtrum aquilæ annuntiatum à choriſta verſiculum çantant ritu, qui dictus eſt ſuprà in veſperis. Eodem ritu çantant verſiculos ſecundi & tertii nocturni.

13. Poſt verſiculum, celebrans, nudo capite, ſtans facie converſâ ad chorum, dicit ſecretò: *Pater noſter*, deinde altâ voce cantat: *Eo ne nos inducas*, poſteà abſolutionem. Tum lector primæ lectionis çantat *Jube domne benedicere*, deinde celebrans ſubdit benedictionem convenientem, ad quam chorus reſpondet *Amen* poſteà lector legit lectionem.

Digitized by Google

14. Lectâ primâ lectione, lector descendit in chorum, inter bancam & ambonem, vel ubi non est ambo, inter altare & aquilam inclinans salutat altare & chorum, & in vestiarium redit.

15. Dum cantatur primum responsorium, lector secundæ lectionis procedit in vestiarium, unde, acceptâ cappâ, statim ac lector primæ lectionis exiit è choro, ipse intrat in chorum, inclinationes facit ut suprà n. 11. ascendit in ambonem, vel ad aquilam accedit, & lectâ lectione, redit in vestiarium; ad secundum responsorium idem observat lector tertiæ lectionis. Lectiones secundi, & tertii nocturni eodem ritu leguntur, quo lectiones primi nocturni.

16. Primum, & secundum responsorium cantatur à pueris binis & binis ad rostrum aquilæ.

17. Dum cantatur tertia lectio, adjutores invitatorii cappis induti chorum intrant, & post solitas inclinationes, accedunt ad bancam, sedent medii inter choristas, & caput tegunt. Cum lector dicit *Tu autem*, caput detegunt, surgunt, ad rostrum aquilæ pergunt, conversi ad altare imponunt tertium responsorium, versum illius, & *Gloria Patri* concinunt, & post solitas inclinationes redeunt in vestiarium.

18. Reliqua responsoria cantantur in cappis eodem ordine, videlicet quartum, & quintum à subdiaconis binis & binis, ad rostrum aquilæ; sextum à choristis ad bancam, septimum à duobus diaconis, inter aquilam & bancam, octavum à duobus sacerdotibus, & nonum à quatuor presbyteris. Ubi non suppetit numerus ejusmodi ordinum, responsoria eodem ritu cantantur ab aliis de choro secundum consuetudinem locorum.

19. Dum cantatur octava lectio, celebrans procedit in vestiarium, induit cappam, in chorum redit, ascendit in ambonem, vel ad aquilam accedit, & finito octavo responsorio, dicit *Jube* &c. Tum sacerdos dignior chori caput omnino detegit, surgit, & facie ad chorum conversâ, dicit benedictionem convenientem. Eodem modo sacerdos dignior chori dicit benedictionem, quoties celebrans legit ultimam lectionem. Completâ nonâ lectione, celebrans descendit in chorum, præcedente puero, qui refert lectionarium, & in vestiarium redit, ordine qui dictus est suprà num. 11. & 14. & depositâ cappâ, redit in chorum.

20. Circa finem noni responsorii, choristæ à parte celebrantis stans annuntiat illi, *Te Deum*; finitoque nono responsorio, celebrans stans facie conversâ ad chorum imponit *Te Deum*, & post illud decantatum, conversus ad altare cantat versum sacerdota-

Digitized by Google

lem, deinde cantat *Deus in adjutorium* ad laudes matutinas.

21. Tempore paschali, primam, secundam, & tertiam antiphonam imponunt tres sacerdotes, lectionem primam, & secundam legunt digniores post celebrantem, primum responsorium cantant duo presbyteri, secundum duo alii sacerdotes, tertium quatuor de invitatorio.

22. Laudes matutinæ cantantur eodem ritu, quo vesperæ.

23. Ubi laudes matutinæ non cantantur immediatè post officium nocturnum, celebrans, postquam legit nonam lectionem, redit in vestiarium, cappam exuit, & redit in chorum; post nonum responsorium, stans in sede sua, imponit *Te Deum* more solito; post versum *Te ergo quæsumus* pergit in vestiarium, cappam induit, redit in chorum, altare & chorum salutat profundè inclinans, accedit ad bancam, & finito *Te Deum*, stans ad aquilam cantat versum sacerdotalem, deinde *Dominus vobiscum*, collectam cum majori conclusione, & iterum *Dominus vobiscum*: posteà pueri concinunt versum *Benedicamus*. Denique celebrans, medius inter choristas, dicit submissâ voce versum *Fidelium anima*, & redit in vestiarium ut suprà in vesperis.

24. In minoribus ecclesiis invitatorium, responsorium 3. 6. & nonum cantant choristæ ad aquilam: alia responsoria cantantur à binis & binis in cappis, vel sine cappis secundùm facultates & consuetudinem ecclesiarum: thurificatio fit à solo celebrante, ut suprà in vesperis. Ubi est unicus sacerdos, finito octavo responsorio, ipse sacerdos præmittit *Jube domne benedicere*: dignior post illum respondet *Ora pro nobis pater*, moxque sacerdos subdit convenientem benedictionem, & postquam chorus respondit *Amen*, legit nonam lectionem.

25. Eadem observantur in solemnibus-majoribus & minoribus, sed lectiones & responsoria cantantur sine cappis. Tempore paschali tertium responsorium cantant choristæ ut suprà.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

26. *Chorum tenent in cappis duo beneficiati, quorum unus diaconus & alter subdiaconus.*

27. *Invitatorium & ps.* Venite *cantant eodem ritu quo suprà choristæ, & duo alii beneficiati adjutores, quorum unus diaconus, & alter subdiaconus stantes ad bancam ut suprà, num. 4. & 5.*

28. *Ad versum* Quadraginta annis *&c. puer accedit ad decanum, vel alium, & quærit quemnam eligat ad thuribulum cum celebrante, ut suprà in vesperis.*

29. *Reliquiæ sanctorum, & canonici,* in minoribus *& pueri thurificantur in primo nocturno tantùm.*

Digitized by Google

30. *Antiphona quarta, quinta, & sexta annuntiantur beneficiatis subdiaconis; septima, & octava beneficiatis diaconis, & nona beneficiato presbytero.*

31. *Dum cantantur psalmi primi nocturni, clericus præcentoris annuntiat lectiones hoc ordine, videlicet octavam digniori post celebrantem, septimam sequenti, & sic de reliquis, ordine retrogrado.*

32. *Lectiones leguntur in cappis in ambone, & puer, cum lectionario defert absconsam, cum candela cerea ardente.*

33. *Responsoria cantantur hoc ordine, primum & secundum à pueris binis & binis in albis ad rostrum aquilæ, reliqua responsoria cantantur à binis & binis in cappis, scilicet tertium ab adjutoribus invitatorii, quartum & quintum à beneficiatis subdiaconis ad rostrum aquilæ, sextum à choristis ad bancam, septimum à duobus diaconis ad caudam aquilæ, octavum à duobus canonicis, vel eorum vicariis, & nonum à quatuor canonicis vel eorum vicariis ad eamdem caudam.*

34. *Advertant adjutores invitatorii, ut post resumptum principium tertii responsorii, hinc & inde secedant ad scamna puerorum ab utraque parte chori, & inter secundam & tertiam sedem puerorum se sistant, facie ad se invicem versâ, usque ad reclamationem responsorii. Deinde dum chorus cantat reclamationem, in vestiarium revertuntur, altari & choro de more inclinantes: eodem modo quatuor canonici, vel eorum vicarii post resumptum principium noni responsorii, ab utraque parte chori se sistunt; duo primi scilicet inter gradus, qui sunt è regione aquilæ & quartam sedem puerorum, & alii duo, inter secundam & tertiam sedem puerorum.*

35. *Nonam benedictionem cantat idem qui legit octavam lectionem, modo sit sacerdos, aliàs dignior sacerdos post illum.*

36. *Tempore paschali: tres antiphonæ imponuntur à canonicis sacerdotibus, incipiendo à juniore, primam & secundam lectionem legunt digniores post celebrantem, primum & secundum responsorium cantant canonici vel eorum vicarii, tertium quatuor de invitatorio.*

Quando D. Archiepiscopus celebrat.

37. *Dominus Archiepiscopus pontificalibus ornamentis indutus, ut suprà in vesperis, chorum ingreditur, & ascendit in sedem Archiepiscopalem eodem ritu quo suprà in vesperis.*

38. *Stans sine mitra, inchoat, ℣.* Domine labia, *&* Deus in adjutorium.

39. *Ad invitatorium, psalmum* Venite, *& hymnum, sedet cum mitra, eodem modo sedet ad psalmos & lectiones, exceptâ lectione Evangelii, ad quam stat sine mitra.*

Digitized by Google

40. *Ad versum* Quadraginta annis, *puer accedit ad decanum vel alium, quærens quos è canonicis eligat ad thuribula, ut suprà in vesperis.*

41. *Post resumptum à choristis, & adjutoribus invitatorium, adjutores ante sedem pontificalem genua flectunt; D. Archiepiscopus benedicit illos dextrâ formans signum crucis & nihil dicens. Deinde adjutores surgunt, & revertuntur in vestiarium, eodem ritu quo descriptus est in vesperis. Eodem modo qui cantant quartum, quintum, septimum, & octavum responsorium, benedicuntur à D. Archiepiscopo; qui verò cantant tertium, & nonum, post resumptum responsorium ab utraque parte chori, secedunt ut suprà; deinde dum chorus cantat reclamationem, genibus flexis recipiunt benedictionem à D. Archiepiscopo, & post solitas inclinationes redeunt in vestiarium.*

42. *Circa finem hymni, canonici ad thuribula electi SS. Sacramentum, & reliquias sanctorum; deinde, ad initium primi psalmi D. Archiepiscopum incensant, & cætera ut suprà in vesperis.*

43. *Post versiculum cujuslibet nocturni, D. Archiepiscopus stans sine mitra, dicit secretò* Pater noster *& in fine cantat* Et ne nos inducas *&c. Deinde absolutiones, & benedictiones.*

44. *Dum cantatur penultimum responsorium, ceroferarii D. Archiepiscopi vadunt in vestiarium, faces cereas accendunt & deferunt in chorum, sistunt se ante sedem pontificalem, poplites flectunt, facie ad se invicem versâ, faces ardentes sustinent dum Pontifex legit ultimam lectionem, eaque lectâ poplites flectunt, faces referunt in vestiarium & loca sua repetunt.*

45. *Post penultimum responsorium, D. Archiepiscopus depositâ mitrâ, stans dicit* Jube domne benedicere, *mox qui legit octavam lectionem, vel si non sit sacerdos, dignior, post illum sacerdos stans facie versâ ad D. Archiepiscopum, & nudo capite, subdit* Ora pro nobis Pater: *Tum D. Archiepiscopus cantat benedictionem convenientem, deinde legit ultimam lectionem.*

46. *Circa finem ultimi responsorii, primus choristarum, genibus flexis in infimo gradu sedis archiepiscopalis, canticum* Te Deum *annuntiat D. Archiepiscopo, eodem ritu, quo* Magnificat *in vesperis.*

47. *Finito responsorio, D. Archiepiscopus stans sine mitra, & baculum tenens inter manus junctas imponit canticum* Te Deum, *eoque finito, reddit baculum, & manibus junctis cantat versum sacerdotalem.*

48. *In laudibus eadem observantur, quæ suprà in vesperis solemnium minorum.*

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De officio nocturno festorum solemnium-majorum & minorum.

1. INvitatorium, & *Venite* cantantur à quatuor in cappis, ut suprà art. 1. num. 4. & 5. pag. 55.

2. Organum pulsatur ad invitatorium, hymnum, tertium, sextum & nonum responsorium, & ad *Te Deum.*

3. Responsorium tertium cantatur ab adjutoribus invitatorii in cappis, sextum à choristis, & nonum à quatuor in cappis in solemnibus-majoribus; in minoribus verò à duobus in cappis.

4. Lectiones, & alia responsoria cantant iidem, qui suprà art. 1. num. 11. 16. & 18. pag. 56. & 57. sed sine cappis.

5. In reliquis, iidem ritus servantur qui suprà in annualibus.

6. Tempore paschali, si festum habeat octavam, primam antiphonam imponit puer, secundam subdiaconus, tertiam sacerdos; si non habeat octavam, antiphonam imponit primus choristа & primum psalmum sacerdos. Lectiones leguntur ut in annualibus, sed sine cappis; responsorium primum cantatur à duobus pueris, secundum à duobus subdiaconis, & tertium à quatuor de invitatorio.

7. In laudibus iidem ritus servantur, qui in vesperis eorumdem festorum.

8. Ubi laudes matutinæ non cantantur immediatè post officium nocturnum, celebrans, lectâ nonâ lectione, stallum suum repetit, & cætera perficit ut suprà art. 1. num. 23. pag. 58. Idem observatur in aliis festis.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

9. *Invitatorium, & psalmus* Venite *cantantur à quatuor beneficiatis in cappis, ut suprà num. 27. pag. 58.*

10. *Lectiones cantant iidem qui suprà art. 1. num. 31. pag. 59. sed sine cappis.*

11. *Responsorium tertium cantatur à duobus beneficiatis adjutoribus invitatorii in cappis, sextum à choristis, nonum verò, in solemnibus-majoribus, à quatuor beneficiatis presbyteris in cappis, sed in solemnibus-minoribus, à duobus beneficiatis presbyteris in cappis. Cætera responsoria cantant iidem qui suprà art. 1. num. 33. sed sine cappis.*

12. *In festis cantoralibus,* canonici in minoribus, *& pueri thurificantur in primo noct. & in laudibus tantum.*

13. *In reliquis servantur iidem ritus qui suprà in annualibus.*

14. *Tempore paschali eadem fiunt quæ suprà num. 6.*

Digitized by Google

15. *In laudibus iidem ritus servantur, qui in vesperis solemnium minorum.*

Articulus III.

De officio nocturno festorum duplicium majorum & minorum.

1. Invitatorium, & *Venite* cantantur à quatuor in cappis.

2. Antiphonæ imponuntur à singulis eodem ordine quo suprà, videlicet, tres primæ à pueris, quarta, quinta, & sexta à subdiaconis, septima, & octava à diaconis, nona à sacerdote, aut ab aliis, ut suprà art. 1. num. 10. pag. 56.

3. Lectiones leguntur etiam à singulis ad aquilam hoc ordine, videlicet; prima, secunda, tertia, & quarta à subdiaconis, quinta & sexta à diaconis, septima à diacono missæ, octava ab alio diacono, & nona à celebrante; aut ab aliis ut suprà art. 1. n. 11. pag. 56. ita tamen ut septima legatur à diacono missæ, octava à diacono, vel sacerdote, & nona semper à celebrante.

4. Responsoria concinuntur à binis & binis, hoc ordine, primum, secundum & tertium à pueris, quartum & quintum à subdiaconis, sextum à choristis, septimum & octavum à diaconis, & nonum à sacerdotibus, aut ab aliis, ut suprà, ita tamen ut, quantùm fieri poterit, nonum cantetur à sacerdotibus.

5. Tempore paschali, antiphonam imponit primus choristæ, & primum psalmum sacerdos ab eâdem parte; tres lectiones legunt subdiaconi, vel alii de choro secundum consuetudinem locorum; primum, & secundum responsorium cantant pueri, tertium choristæ; & quando legitur evangelium, primam lectionem legit diaconus missæ, secundam alius diaconus, tertiam celebrans.

6. In laudibus eadem observantur quæ in vesperis.

7. Ubi non deferuntur cappæ, invitatorium & *Venite* cantantur à choristis hebdomadariis ad aquilam; cætera fiunt ut suprà, num. 3. & 4.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

8. *Invitatorium*, & Venite *cantantur à quatuor beneficiatis, ut suprà art. 1. num 4. & 5. pag. 55. hymnus incipitur à primo choristæ.*

9. *Antiphonæ imponuntur hoc ordine; tres primæ à pueris, quarta à macicoto subdiacono, quinta, & sexta à beneficiatis subdiaconis, septima, & octava à beneficiatis diaconis, nona à beneficiato sacerdote.*

Digitized by Google

10. *Lectiones sucessivè cantant hoc ordine, primam macicotus subdiaconus, secundam, tertiam, & quartam tres beneficiati subdiaconi, quintam macicotus diaconus, sextam beneficiatus diaconus, septimam beneficiatus diaconus missæ, octavam alius beneficiatus diaconus, nonam celebrans. Si festum occurrat in dominica, nonam lectionem legit sacerdos, qui suam inchoat hebdomadam.*

11. *Responsoria cantantur à binis & binis hoc ordine: primum, secundum, & tertium à pueris; quartum à beneficiato subdiacono, & macicoto subdiacono; quintum à duobus beneficiatis subdiaconis; sextum à choristis; septimum à beneficiato diacono & macicoto diacono; octavum à duobus beneficiatis presbyteris; nonum à duobus canonicis sacerdotibus, vel eorum vicariis.*

12. *Tempore paschali antiphonas imponunt successivè tres pueri; primam lectionem legit macicotus subdiaconus; secundam, & tertiam duo beneficiati subdiaconi; primum, & secundum responsorium cantant pueri bini & bini; tertium choristæ: quando legitur Evangelium, primam lectionem legit beneficiatus diaconus hebdomadarius missæ; secundam alius beneficiatus diaconus; tertiam celebrans.*

13. *Non thurificatur, nec defertur liber lectionum. Cætera perficiuntur ut suprà in solemnibus.*

14. *In laudibus, iidem ritus servantur, qui in vesperis, sed sine delatione collectarii, & sine thurificatione.*

Articulus IV.

De Officio Nocturno Festorum Semiduplicium.

1. INvitatorium, & ps. *Venite* cantantur à duobus choristis in cappis.

2. Tres primæ antiphonæ imponuntur successivè à pueris, quarta à clerico; quinta, & sexta à subdiaconis; septima, & octava à diaconis, & nona à sacerdote, vel ab aliis, ut suprà.

3. Tres primas lectiones successivè legunt ad aquilam tres pueri; quartam clericus; quintam & sextam duo subdiaconi; septimam diaconus missæ; octavam alius diaconus, & nonam celebrans; si tot ordinum diversorum non suppetat numerus, illas legunt alii de choro secundum consuetudinem locorum, ita tamen ut septimam legat diaconus missæ, & nonam celebrans.

4. Responsoria cantantur à singulis in locis suis, videlicet, primum, secundum & tertium à pueris; quartum à clerico; quintum à secundo choristæ; sextum à primo choristæ; septimum & octavum à diaconis, & nonum à sacerdote, aut ab aliis ut suprà.

Digitized by Google

5. Versiculos primi, & tertii nocturni cantat unus puer à parte dextrâ; secundi verò nocturni alius puer à parte sinistrâ; infra octavas annualium & solemnium-majorum, idem versiculi canuntur à duobus pueris ad rostrum aquilæ.

6. Infra easdem octavas, quando psalmi cantantur sub una antiphona, illa imponitur à primo choristâ, & primus psalmus ab uno sacerdote; tres lectiones legunt tres subdiaconi; primum & secundum responsorium cantant duo clerici successivè; tertium primus choristâ.

7. Tempore paschali, antiphona & psalmus imponuntur ut suprà num. 6. lectiones etiam leguntur ut eodem numero. Responsoria primum & secundum cantantur à duobus pueris; & tertium à primo choristâ: in dominicis eodem tempore, primam lectionem legit diaconus missæ, secundam alius diaconus, & tertiam celebrans.

8. In laudibus matutinis iidem ritus servantur, qui in vesperis.

9. Ubi non deferuntur cappæ, invitatorium cantatur à choristis ad aquilam, cætera fiunt ut suprà articulo 3. num. 8. sed ritu semiduplici, & responsoria cantantur à singulis.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

10. *Invitatorium, & ps.* Venite *concinunt duo macicoti in cappis.*

11. *Antiphona imponuntur hoc ordine, tres primæ à pueris, quarta à clerico matutinarum, quinta & sexta à duobus beneficiatis subdiaconis, septima & octava à duobus beneficiatis diaconis, nona à beneficiato sacerdote.*

12. *Lectiones legunt ad aquilam hoc ordine, primam, secundam & tertiam pueri, quartam clericus matutinarum, quintam & sextam duo beneficiati subdiaconi, septimam & octavam duo beneficiati diaconi, & nonam celebrans. In dominicis nonam lectionem legit, qui suam inchoat hebdomadam.*

13. *Responsoria verò cantantur à singulis in stallis suis, videlicet, primum, secundum & tertium à pueris; quartum à clerico matutinarum; quintum à secundo choristâ; sextum à primo choristâ; septimum à macicoto diacono stante in uno è superioribus stallis à parte sinistra chori; octavum ab alio macicoto diacono stante in uno è superioribus stallis à parte dextra; nonum à canonico, vel ejus vicario.*

14. *Infra octavas primi, & secundi ordinis, primam lectionem legit macicotus subdiaconus; secundam & tertiam legunt duo beneficiati subdiaconi; primum responsorium cantatur à clerico matutinarum*

Digitized by Google

narum à parte dextra; secundum ab altero clerico matutinarum à parte sinistrâ, tertium à primo choristâ.

6. Tempore paschali, primam lectionem legit macicotus subdiaconus, secundam & tertiam duo beneficiati subdiaconi.

7. In dominicis, primam lectionem legit beneficiatus diaconus hebdomadarius missæ, secundam alius beneficiatus diaconus; tertiam sacerdos, qui suam inchoat hebdomadam.

8. In laudibus, iidem ritus servantur, qui in vesperis semiduplicibus, sed sine thurificatione.

ARTICULUS V.

De officio nocturno festorum simplicium & feriarum.

1. INvitatorium & ps. *Venite* cantantur à choristâ hebdomadario in stallo suo sine cappa, & conversò ad altare; idem conversus ad chorum, imponit hymnum in tono convenienti.

2. In feriis, tempore paschali, in simplicibus, ac infra octavas quarti ordinis, antiphona, sub qua cantantur psalmi, imponitur ab eodem choristâ, & primus psalmus à sacerdote.

3. In feriis, extra tempus paschale, prima antiphona, & primus psalmus imponuntur, ut suprà; alias antiphonas imponunt alternis duo pueri, vel juniores cantores; psalmos verò imponunt duo sacerdotes.

4. Versiculum cantat unus puer, vel clericus.

5. Lectiones leguntur successivè ad aquilam tres subdiaconi, vel alii de choro secundùm consuetudinem locorum.

6. Primum & secundum responsorium cantant successivè duo pueri, vel alii secundùm consuetudinem locorum, tertium choristâ hebdomadarius tenens chorum.

7. Quando legitur Evangelium, primam lectionem legit diaconus missæ, secundam alius diaconus, tertiam celebrans.

8. In officio de B. M. in Sabbato, omnia fiunt ritu semiduplici, ut suprà art. 4. num. 6. pag. 63. & 64.

9. In laudibus matutinis, iidem ritus observantur, qui in vesperis.

10. Ubi cantatur officium parvum B. Mariæ Virginis, lectiones leguntur à cantoribus in stallis suis, responsoria imponit celebrans; illorum verò versiculos cantant iidem qui legerunt lectiones, orationes laudum celebrans cantat stans in stallo suo, cætera perficiuntur, ut suprà in nocturno, & laudibus festorum simplicium.

Digitized by Google

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

11. *Invitatorium, &* Venite *cantantur ab uno macicoto, sine cappa, ut suprà, num.* 1. *idem hymnum imponit conversus ad chorum.*

12. *In simplicibus, & feriis, tempore paschali, ac infra octavas quarti ordinis, in quibus psalmi cantantur sub una antiphona, illa imponitur ab eodem macicoto tenente chorum, psalmum verò incipit unus ex sacerdotibus beneficiatis ab eadem parte.*

13. *In feriis per annum, prima antiphona imponitur ab eodem macicoto, secunda, tertia, quarta, quinta, & sexta à clericis matutinarum successivè, & psalmi à beneficiatis presbyteris.*

14. *Versiculum cantat clericus matutinarum, à parte tenentis chorum.*

15. *Lectiones leguntur ad aquilam hoc ordine, prima à macicoto subdiacono; secunda & tertia à duobus beneficiatis subdiaconis.*

16. *Primum responsorium cantat clericus matutinarum, à parte tenentis chorum, secundum alius clericus matutinarum, ab altera parte chori, tertium macicotus tenens chorum.*

17. *In vigiliis, & feriis quatuor temporum, & quadragesimæ, in quibus legitur Evangelium, primam lectionem cantat beneficiatus diaconus missæ, secundam alius beneficiatus diaconus, tertiam celebrans.*

18. *In officio de B. Maria in sabbato, invitatorium,* & Venite *cantant duo macicoti in cappis; tertium responsorium primus choristæ.*

19. *In laudibus, iidem ritus observantur, qui in vesperis eorumdem festorum, sed non fiunt inclinationes puerorum ante celebrantem.*

20. *Præterea, quando plures sunt antiphonæ, secundam, tertiam, quartam, quintam & sextam imponunt successivè clerici matutinarum.*

21. *Versiculum post hymnum cantat clericus matutinarum, ab altera parte tenentis chorum.*

22. *Primum* Benedicamus *cantat clericus matutinarum, à parte tenentis chorum, secundum verò alter clericus matutinarum, ab altera parte.*

23. *Finitis laudibus feriæ, vel festi simplicis, quando dicitur officium parvum Beatæ Mariæ, loco commemorationis de ipsa B. Maria, celebrans inchoat* Domine labia mea aperies, *&* Deus. in adjutorium, *pro nocturno officii parvi, ut suprà pag.* 53. *num.* 8.

Digitized by Google

24. *Lectiones legunt duo clerici matutinarum, tertiam macicotus.*

25. *Responsoria imponit unus ex sacerdotibus beneficiatis, illorum verò versus cantant iidem qui legerunt lectiones.*

26. *Cætera perficiuntur, ut suprà in nocturno feriarum, pag. 65.*

27. *In laudibus, iidem ritus observantur qui in vesperis ejusdem officii, sed versiculum post hymnum, &* Benedicamus *cantant clerici matutinarum, ut suprà in laudibus feriarum, orationes verò celebrans cantat in stallo suo.*

CAPUT IV.

De horis Prima & officio Capituli, Tertia, Sexta, & Nona.

ARTICULUS I.

De Prima.

1. CElebrans, dictis secretò *Pater* & *Ave*, conversus ad altare cantat *Deus in adjutorium*, deinde conversus ad chorum imponit hymnum sine cadentia in cantu convenienti.

2. Ad ultimam strophen hymni, celebrans annuntiat uni ex vicinis sacerdotibus psalmum de tono convenienti.

3. Post impositam à celebrante converso ad chorum antiphonam, sacerdos conversus ad chorum imponit psalmum.

4. Cantatâ post psalmos antiphonâ, celebrans stans in stallo suo, facie ad altare conversâ, cantat capitulum.

5. In duplicibus & suprà, ac etiam infra octavas primi, secundi, & tertii ordinis, & diebus dominicis, responsorium breve & versiculus cantantur à duobus pueris ad rostrum aquilæ; in semiduplicibus verò, extra easdem octavas, in simplicibus, & feriis, ac in officio parvo B. Mariæ ab uno puero in loco suo.

6. Orationem celebrans cantat stans ad bancam.

7. Quando dicuntur preces in semiduplicibus, simplicibus, & feriis, illarum versus celebrans cantat ad bancam. Ibidem facit confessionem, & dicit *Misereatur* ac *Indulgentiam* sine cantu, sed voce, quæ tamen audiri possit à choro.

8. Quando dicuntur preces flexis genibus, illas celebrans cantat genibus flexis in stallo suo, conversus ad chorum, orationem verò stans conversus ad altare.

9. Quando dicitur officium parvum B. Mariæ, celebrans, dicto *Benedicamus*, cantat *Deus in adjutorium* pro Prima officii parvi B. Mariæ.

10. In simplicibus, & feriis, ad penultimam hymni strophen, puer accedit ad celebrantem, ante illum se sistit in plano, pro-

Digitized by Google

fundè inclinat, redit ad locum suum, & finito hymno, antiphonam imponit, moxque celebrans inchoat psalmum.

Articulus II.

De officio Capituli.

OLim officium Capituli ubique fiebat in capitulo, hunc ritum etiamnum observant quædam ecclesiæ : hinc est quòd in ecclesia metropolitana, ad officium Capituli, sacerdotes, & diaconi descendunt ad inferiora stalla, subdiaconi verò in planum.

1. Lectiones martyrologii, necrologii, & canonum cantat puer ad aquilam chori, vel analogium capituli, sedente interim celebrante in banca ante aquilam, seu ante legile, vel analogium capituli, pro consuetudine & situ locorum.

2. Versum *Pretiosa*, collectas &c. celebrans cantat stans ibidem.

3. Finitâ lectione canonum, puer, vel clericus accedit ad celebrantem, ante illum se sistit in plano, ad versum *Benedicite* respondet *Deus*; tum celebrans formans super illum signum crucis dicit eadem voce *Dominus nos benedicat &c.* respondet puer *Amen*, moxque puer poplites flectit, & uterque redit in locum suum.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

4. *Quando preces dictæ sunt flexis genibus, celebrans ad lectionem martyrologii &c. sedet in stallo inferiori contiguo gradibus, qui sunt è regione aquilæ versùs ambonem à parte suâ, ubi conversus ad chorum dicit versum* Pretiosa *&c. ut suprà. n. 2.*

Articulus III.

De Tertia, Sexta, & Nona.

1. CElebrans, dictis secretò *Pater* & *Ave*, cantat *Deus in adjutorium*, & cætera usque ad capitulum inclusivè perficit, ut suprà ad primam. art. 1. n. 1.

2. In duplicibus & suprà, responsoria brevia cantat in stallo superiori ab altera parte celebrantis unus ex clericis stalli superioris. In semiduplicibus cantat in stallo superiori unus ex clericis stalli inferioris. In simplicibus & feriis, in stallo inferiori unus ex clericis stalli inferioris. In minoribus ecclesiis & ubi non suppetit ejusmodi clericorum numerus, eadem responsoria cantat unus puer in loco suo.

Digitized by Google

3. Collectam cantat celebrans ſtans in loco ſuo converſus ad altare. Si dicendæ ſunt preces flexis genibus, celebrans, flexis genibus in ſtallo ſuo, illas cantat converſus ad chorum, deinde collectam cantat ſtans in eodem loco converſus ad altare.

4. Quoties dicitur officium parvum B. Mariæ, dicto *Benedicamus* poſt collectam cujuſlibet horæ, celebrans ſtans in eodem ſtallo converſus ad altare dicit *Deus in adjutorium* pro hora officii parvi &c. ut ſuprà.

5. Quando officium vel hora alicui officio vel horæ præcedenti jungitur, non dicuntur *Pater* & *Ave* ante initium officii vel horæ ſubſequentis.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

6. *Ad tertiam, ſextam, & nonam in duplicibus & ſuprà, reſponſorium breve & verſiculus cantantur ab uno beneficiato diacono ab alterâ parte celebrantis. In ſemiduplicibus, ab uno macicoto diacono, in uno è ſtallis ſuperioribus; in ſimplicibus & feriis, ac in officio B. Mariæ à clerico matutinarum in uno è ſtallis inferioribus.*

7. *In duplicibus feriatis à populo, in dominicis & in feriis adventus, à die decima ſexta decembris, uſque ad vigiliam natalis Domini excluſivè, ac etiam in feriis quadrageſimæ, reſponſoria brevia, & verſiculos tertiæ, ſextæ, & nonæ cantat unus puer.*

Digitized by Google

CÆREMONIALIS PARISIENSIS

PARS TERTIA.

DE MISSA.

CAPUT PRIMUM.

De hora missam celebrandi.

1. Missa votiva, & ordinaria pro defunctis cantatur in semiduplicibus & infrà post primam; missa de die, etiam in feriis ordinariis post tertiam circa horam nonam: missa de feriâ, in quâ jejunatur, aut preces flexis genibus dicuntur ad officium, exceptis feriis quatuor temporum pentecostes, cantatur post sextam circa horam decimam; in quadragesimâ vero post nonam circa horam undecimam.

2. In ecclesiis collegiatis, & majoribus parochiis, ubi cantantur duæ missæ, si in vigiliis, feriis quadragesimæ, quatuor temporum, ac rogationum, occurrat festum semiduplex & suprà, missa de festo cantatur post tertiam sine commemoratione feriæ; missa de feria post sextam sine commemoratione festi; in quadragesimâ verò, missa de feriâ post nonam. Ut autem in hoc nullus deinceps interveniat defectus, curabunt præpositi ecclesiarum, & alii, quorum interest, ut, quoties in supradictis feriis occurret hujusmodi festum, notetur in tabulâ chori unum ex anniversariis, vel una è missis votivis minùs solemnibus, circa illa tempora celebrandis, ut illius loco cantetur missa de festo occurente, cum penultimâ oratione de anniversario, vel de sancto, de quo missa votiva esset celebranda. Si in fine missæ votivæ, vel anniversarii dicendum sit ℟. *Libera* vel aliquid aliud simile, idem dicetur in fine missæ de festo, & eodem ritu, idque notabitur in tabulâ chori in hunc vel similem modum: in festo S. Gregorii papæ, duæ missæ, prima de festo post tertiam loco anniversarii Pauli N. vel missæ votivæ de B. Mariâ. In ejus fine

Digitized by Google

dicitur ℟. *Libera*, vel *Ne recorderis*]: secunda de feria post sextam, vel nonam.

3. In eisdem ecclesiis, quando nullum occurrit festum, missa anniversarii, vel votiva cantatur post primam.

4. Ubi dominicis diebus cantantur duæ missæ, quando in dominica per annum occurit festum duplex aut suprà, post primam cantatur missa de dominica sine commemoratione festi, cum præfatione de tempore currenti, & colore festi occurrentis: post tertiam cantatur missa de festo occurrente sine commemoratione dominicæ. Infrà octavas festorum annualium eodem modo missa de dominica dicitur post primam, & missa de octava post tertiam, in utraque semper dicitur *Credo*, & in fine Evangelium *In principio*. Si eadem die aliqua commemoratio facienda occurrat, fit in missa de festo tantùm. Si nullum festum occurrat, utraque missa cantatur de dominica occurrente.

5. Infra hebdomadam, si epistolæ feriis quartis & sextis, interdum etiam secundis, assignatæ, dici nequeant, dicentur diebus, qui propiùs sequentur; si autem sequentes sint impediti, dicentur diebus, qui propiùs præcedent: ita tamen, ut epistola feriæ secundæ dicatur ante epistolam feriæ quartæ, & epistola feriæ quartæ ante epistolam feriæ sextæ, etiam extra propriam diem, posterioribus omissis, etiamsi suo die occurrant, quando non omnes dici possunt: putà, si feriæ quinta & sexta impeditæ sint, epistola feriæ quartæ dicetur feriâ tertiâ, sextæ verò dicetur feriâ quartâ; at si omnes feriæ impeditæ sint præter sextam, epistola feriæ quartæ omninò omittetur, & epistola feriæ sextæ suo die dicetur. Idem esto de evangelio. Cum autem dominica festo occupatur, nec alia per hebdomadam supereſt feria præter quartam aut sextam, in ecclesiis, ubi die dominica cantantur duæ missæ, in eadem feria legitur epistola ipsi assignata; ubi verò diebus dominicis unica cantatur missa, ac etiam in missis sine cantu, in eadem feria legitur epistola dominicæ præcedentis, omissâ propriâ epistolâ; si verò feriæ quarta & quinta supersint, epistola dominicæ legitur feriâ quartâ, & epistola feriæ quartæ legitur feriâ quintâ. Idem esto de evangelio.

Digitized by Google

CAPUT II.

De Missa festorum Annualium.

ARTICULUS I.

De Præparandis ad Missam.

1. SAcrista præparat super mensam vestiarii omnia paramenta pro celebrante & ministris, videlicet tres amictus, albas totidem & cingula, tres manipulos, duas stolas, casulam pro celebrante, dalmaticam pro diacono & tunicellam pro subdiacono, ita tamen ut paramenta celebrantis sint in medio, paramenta verò diaconi à dextris, & subdiaconi à sinistris. Item minorem crucem, cujus pedem velo serico coloris convenientis undique operit. Item pluvialia pretiosa pro choristis, & quatuor qui cantaturi sunt *Alleluia* vel tractum, cappam pro acolytho qui crucem defert, soccum pro eodem dum patenam sustinet, cappas pro reliquis de choro, & tunicellas pro pueris.

2. Præparat credentiam à latere epistolæ in plano presbyterii, ita ut sit inter cancellos vel gradus presbyterii & sedes ministrorum si fieri possit, aut alio loco commodiori secundùm situm locorum; mappâ mundâ usque ad terram undequaque pendente illam operit, super eam nec gradum, nec crucem, nec imaginem apponit.

3. In medio credentiæ ponit calicem, cum purificatorio mundo, patenam cum hostia, pallam lineam mundam, velum coloris convenientis, cujus pars anterior aptè cadat super mensam; bursam ejusdem coloris, & intus corporale; à dextris calicis, duo instrumenta pacis pelvim cum urceolis vini & aquæ; & manutergium mundum; à sinistris verò pyxidem sacram cum minoribus hostiis consecrandis, item vas seu calicem cum vino pro communicandis; & ponè calicem duo lintea plicata, unum extendendum ante communicandos, alterum communicatis porrigendum ad oris exterstionem.

4. In medio altaris ponit tabellam secretarum.

5. In plano presbyterii à parte epistolæ parantur sedilia panno tecta pro celebrante, diacono, & subdiacono.

6. Quando aliquis episcopus celebrat in pontificalibus, & induti ministrant in missa, eadem parantur quæ notantur infrà num. 7. 8. 10. 11. & 12. sed fine cruce archiepiscopali & pallio.

Digitized by Google

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

7. *Præter supradicta, sacrista præparat tres dalmaticas, & tres tunicas, &c. cum sex cingulis, totidem albis, & amictibus, pro sex indutis, & cappam minus pretiosam pro beneficiato sacerdote, qui vices agit capellani ministrantis in missa.*

8. *In inferiori parte presbyterii, ab utraque parte parantur duo stamna, pannis tecta, & aliquantulùm ab infimo gradu suppedanei distantia, pro indutis.*

9. *Opportuno tempore capicerius in cappa coloris convenientis, defert ad stallum præcentoris virgam cantoralem, & cappam ante idem stallum extendit super inferius stallum, ritu qui dictus est suprà in vesperis festorum annualium parte 2. cap. 1. pag. 40. n. 35.*

Quando D. Archiepiscopus celebrat in pontificalibus.

10. *Præter supradicta paratur à latere epistolæ faldistorium pro D. Archiepiscopo & duo sedilia pannis tecta pro diacono & subdiacono.*

11. *Sacrista in vestiario præparat sex vel plures cappas sericas pro capellanis D. Archiepiscopi.*

12. *Insuper capellani D. Archiepiscopi præparant in vestiario omnia ornamenta pontificalia cum pallio & pedo pastorali.*

ARTICULUS II.

De præparatione celebrantis & ministrorum.

1. DUm cantatur tertia, & pulsatur ad missam cathecumenorum, celebrans & ministri convenientes in vestiarium, per brevem moram orant. Diaconus missam & commemorationes, si quæ faciendæ sint, perquirit in libro-missali, & signacula suis quæque locis aptat; deinde evangelium exquirit & perlegit in codice evangeliorum, & notat signaculo; eodem modo subdiaconus epistolam quærit, perlegit & notat in libro epistolarum. Tunc lavant manus, & vestes sacras induunt juvantibus thuriferario, ceroferariis & sacristâ.

2. Acolythus aut sacrista librum-missalem cum pulvino, vel lectorili, codicem evangeliorum cum pulvino, & librum epistolarum defert ad altare; librum-missalem suppositio pulvino vel lectorili ponit in cornu epistolæ, librum epistolarum collocat super altare à parte epistolæ; codicem evangeliorum, & à tergo illius pulvinar, à parte evangelii.

3. Choristæ in vestiario cappas induunt, ministrante sacristâ,

Digitized by Google

cruci veſtiarii inclinant & celebranti, deinde in chorum pergunt; altari & choro inclinant & accedunt ad bancam ritu, qui dictus eſt ſuprà p. 2. cap. 1. pag. 35. n. 1.

4. In majoribus eccleſiis, finitâ tertiâ, omnes de choro cappas induunt & pueri tunicellas, deinde fit proceſſio ritu qui dicetur infrà, & poſt miſſam dimittuntur cappæ.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

5. *Præcentor, cum ſuperpelliceo & bireto æſtate; hyeme verò cum brevi capitio, & quavis tempore almutiam ſiniſtro brachio impoſitam deferens, medius inter duos beneficiatos choriſtas cappis indutos inclinat cruci veſtiarii & celebranti, deinde eoſdem choriſtas præcedens chorum ingreditur per portam meridionalem, accedit ad tumbam æneam, cappam induit, baculum canteris manu dextrâ accipit, & ad medium bancæ accedit ritu, qui deſcriptus eſt ſuprà parte 2. cap. 1. pag. 40. num. 36.*

6. *Interim choriſta præcentorem ſequentes inter altare & aquilam more ſolito altari & choro inclinant, accedunt ad oram utramque bancæ, & accedenti ad medium illorum præcentori inclinant.*

ARTICULUS III.

De Introitu Miſſæ, egreſſu celebrantis è veſtiario & ingreſſu ad altare.

1. POſt reditum proceſſionis, vel finem tertiæ, quando proceſſio fit ante tertiam, choriſtæ imponunt introitum miſſæ proſequente choro, ab utraque parte chori deambulant, in ſuperiori parte verſùs altare, & in inferiori verſùs ambonem ſolitas faciunt inclinationes, redeunt ad bancam, ubi pſalmum imponunt, tum *Gloria Patri*, ac iterum introitum, deinde hyeme caput tegunt, & deambulant uſque ad *Kyrie eleiſon*. In minoribus eccleſiis, choriſtæ impoſitum introitum cum cæteris de choro proſequuntur ſtantes ante aquilam.

2. Interim celebrans, medius inter diaconum, thuriferarium, & majorem ceroferarium à dextris; ſubdiaconum, & minorem ceroferarium à ſiniſtris, ſiſtit ſe ante crucem veſtiarii (nudo capite æſtate) thus immittit in thuribulum, & benedicit, miniſtrante diacono naviculam, & thuriferario thuribulum, ritu, qui deſcriptus eſt ſuprà, parte 1. cap. 14. de thurificatione art. 3. §. 1. 1. Si locus fuerit anguſtior ceroferarii ſe ſiſtunt poſt celebrantem, primus ſcilicet ponè diaconum, & ſecundus ponè ſubdiaconum.

Digitized by Google

3. Thure benedicto, diaconus nudo capite crucem tradit celebranti: tunc celebrans utraque manu crucem cum velo tenens per pedem, & ministri profundè inclinant cruci vestiarii; celebrans convertit se ad ministros, illos salutat mediocri inclinatione, & ab illis salutatur profundâ: deinde ad altare procedunt hoc ordine: 1. apparitores, qui populum submoveant: 2. thuriferarius solus thuribulum deferens: 3. ceroferarii collaterales: 4. subdiaconus: 5. diaconus, ultimò celebrans, omnes nudo capite. Ubi crux ad altare non defertur à celebrante, celebrans, diaconus & subdiaconus procedunt operto capite.

4. Pervenientes ante altare, thuriferarius sistit se ad gradum infimum, à parte epistolæ, facie ad partem evangelii conversâ; ceroferarii candelabra deponunt super credentiam, moxque accedunt ad utrumque cornu ejusdem gradûs infimi, major scilicet ad partem epistolæ, & minor ad partem evangelii: tum celebrans, diaconus & subdiaconus in ora infimi gradûs utrumque genu flectunt & profundè inclinant altari, thuriferarius verò & ceroferarii poplites flectunt: celebrans crucem tradit diacono. Mox omnes surgunt. Diaconus ascendit ad altare, crucem in medio illius collocat, & velum à parte epistolæ, cruci inclinat & redit ad dextram celebrantis. Subdiaconus detecto capite, etiam hyeme, ascendit ad cornu evangelii, codicem evangeliorum ex eo sumit, descendit ad sinistram celebrantis, codicem in ea parte, in qua sculpta est imago Christi pendentis in cruce osculandum offert celebranti, qui nudo capite etiam hyeme, illum osculatur nihil dicens: tum celebrans & subdiaconus sibi invicem inclinant, subdiaconus codicem refert ad cornu evangelii & redit ad sinistram celebrantis: ceroferarii bireta celebrantis & ministrorum deponunt super sedilia in quibus sessuri sunt celebrans & ministri, aut in alio loco convenienti, & numquam super altare. Deinde celebrans dicit *In nomine Patris &c.* ut infrà. Exinde celebrans & ministri non advertunt quemcunque in alio altari celebrantem, etiamsi SS. Sacramentum elevetur.

5. Ubi capellanus ministrans & induti ministrant in missa, eadem observant quæ infrà in ecclesia metropolitana.

6. Quando crux à celebrante non defertur ad altare, celebrans, diaconus & subdiaconus procedunt ad altare operto capite & junctis manibus ut suprà, & cum pervenerint ad altare æstate caput detegunt, celebrans biretum tradit diacono, qui illud & suum tradit primo ceroferario, & subdiaconus biretum suum tradit secundo ceroferario, &c. ut suprà. n. 4.

Digitized by Google

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

7. *Præcentor unà cum choristis introitum imponit, deinde à parte dextrâ solus deambulat, solitas facit inclinationes, redit ad bancam, cum iisdem beneficiatis, imponit psalmum,* deinde Gloria Patri, *ac iterum introitum, tuncque almutiam reddit clerico, & solus ab eadem parte dextrâ deambulat operto capite hyeme, stantibus ad bancam choristis; clericus almutiam præcentoris extendit in medio bancæ & redit ad aquilam.*

8. *Post benedictionem incensi, & traditam crucem celebranti, omnes sistunt se inter crucem & januam vestiarii hoc ordine:* 1. *celebrans infra crucem, & ad ejus sinistrum, in aliqua distantia, beneficiatus sacerdos, qui vices implet capellani ministrantis in missa:* 2. *ponè celebrantem diaconus medius inter duos indutos:* 3. *unus ex indutis diaconis solus gestans librum evangeliorum:* 4. *subdiaconus medius inter duos indutos:* 5. *unus ex indutis subdiaconis solus gestans librum epistolarum:* 6. *ceroferarii in tunicellis:* 7. *thuriferarius in tunicella solus:* 8. *denique liberi servientes: deinde cruci vestiarii profundè inclinant, & celebranti ut suprà n.* 3.

9. *Tum ad altare procedunt:* 1. *liberi servientes:* 2. *thuriferarius solus:* 3. *ceroferarii:* 4. *unus ex indutis subdiaconis solus:* 5. *subdiaconus medius inter duos indutos:* 6. *unus ex indutis diaconis solus:* 7. *diaconus medius inter duos indutos: denique celebrans utraque manu tenens minorem crucem, sequente capellano in cappa serica, qui æstate præ manibus gestat biretum celebrantis.*

10. *Cum pervenerint ad altare, ceroferarii candelabra deponunt super credentiam, deinde primus ceroferarius rectà pergit ad cornu infimi gradûs à parte epistolæ, & secundus per posticam partem altaris pergit ad cornu ejusdem gradûs à parte evangelii; celebrans, diaconus, subdiaconus, & thuriferarius sistunt se ut suprà; capellanus ministrans sistit se ponè celebrantem, & induti ab utraque parte, unus post alterum, tres ab una parte ponè diaconum, & tres ab altera parte ponè subdiaconum, ita ut è regione sibi invicem respondeant: omnes genua flectunt ut suprà, indutus qui defert librum epistolarum ascendit ad altare, illum ponit à parte epistolæ, profundè inclinat, & locum suum petit: diaconus crucem collocat super altare ut suprà: indutus qui defert codicem evangeliorum accedit ad sinistram subdiaconi & librum illi tradit, cum inclinatione mutua: subdiaconus nudo capite, etiam hyeme, codicem evangeliorum osculandum offert celebranti, qui nudo capi-*

Digitized by Google

te etiam hyeme, illum osculatur ut suprà. Subdiaconus librum reddit induto, qui post mutuam inclinationem defert illum ad altare à parte evangelii, cruci inclinat, & locum suum repetit. Tum celebrans incipit In nomine Patris.

Quando celebrat D. Archiepiscopus.

11. Thure benedicto, diaconus accipit crucem ut suprà; tum D. Archiepiscopus & ministri sistunt se ante crucem vestiarii hoc ordine. 1. D. Archiepiscopus medius inter capellanos suos. 2. Ceroferarii in tunicellis. 3. Diaconus medius inter duos indutos utraque manu deferens crucem. 4. Unus ex indutis diaconis solus. 5. Subdiaconus medius inter duos indutos manipulum D. Archiepiscopi junctis manibus deferens. 6. Unus ex indutis subdiaconis solus. 7. Capellanus deferens crucem archiepiscopalem. 8. Thuriferarius in tunicella, thuribulum dextrâ, & naviculam sinistrâ gestans. Denique liberi servientes. Omnes nudo capite, ut suprà, & conversi ad crucem vestiarii inclinant, & D. Archiepiscopum salutant ut suprà: deinde procedunt ad altare hoc ordine. 1. Liberi servientes. 2. Thuriferarius solus. 3. Capellanus, qui defert crucem archiepiscopalem solus. 4. Minor ex indutis subdiaconis solus. 5. Subdiaconus, medius inter indutos subdiaconos. 6. Minor ex indutis diaconis solus. 7. Diaconus utrâque manu crucem gestans, medius inter duos indutos. 8. Ceroferarii. Denique D. Archiepiscopus vestes pontificales indutus cum pallio superpositio medius inter duos capellanos, qui vestes anteriores illius aliquantulum elevant, dextrâ benedicens populum, & sinistrâ gestans baculum pastoralem, sequentibus capellanis binis & binis. Si D. Archiepiscopus procedens ad altare non deferat pedum pastorale, tunc capellanus, qui illud defert, incedit inter diaconum & ceroferarios.

12. Pervenientes ad altare, ceroferarii candelabra deponunt super credentiam: ministri & induti sistunt se ut suprà num. 10. primus & secundus capellanus pontificis sistunt se à tergo illius: crucifer à parte evangelii, secundo passu à cornu infimi gradûs, ubi sustinet crucem, imagine ad partem epistolæ versâ, ibique perseverat usque ad finem missæ: pedifer à parte epistolæ, è regione crucifери, infrà suppedaneum faldistorii pontificis & sedium diaconi ac subdiaconi. Pontifex reddit baculum, ac deponit mitram. Tum omnes utrumque genu flectunt; diaconus crucem collocat in medio altaris: subdiaconus manipulum pontificis ponit inter pollicem & indicem lævæ manus, codicem evangeliorum ambabus manibus sumit ab induto, Pontifici porrigit ad osculandum, illi inclinat pro-

Digitized by Google

fundè, & librum reddit induto, &c. ut suprà num. 101.

Articulus IV.

De psalmo Judica me Deus, *confessione, & aliis usquè ad collectam.*

1. POst osculum codicis evangeliorum, celebrans hyeme caput amictu operit, sicut & ministri, profundè inclinat altari, dicit *In nomine Patris &c.* & psalmum *Judica me Deus*, facit confessionem cum ministris, hinc & inde stantibus, qui respondent illi ad psalmum, & alia quæ sequuntur, pari tum eo voce, & pausâ, & tùm illo se signante & inclinante, se signant & inclinant.

2. Cum celebrans dicit *Confiteor* solus profundè se inclinat, donec ministri illud incipiant, ad verba *vobis fratres*, & *vos fratres* aliquantulùm se convertit, primò ad diaconum, deinde ad subdiaconum.

3. Factâ à celebrante confessione, ministri aliquantulùm conversi ad celebrantem, ac mediocriter inclinati dicunt *Misereatur tui &c.* deinde profundè inclinati versùs altare faciunt confessionem: ad verba *Tibi pater*, & *Te pater* aliquantulùm se ad illum convertunt; ad verba *Mea culpa*, ter sibi manu dextrâ tundunt pectus, sinistrâ pectori admotâ.

4. Ad *Indulgentiam*, ministri stantes se signant, & dum celebrans dicit *Deus tu conversus*, inclinant se cum illo mediocriter, sed ad verbum *Oremus*, solus celebrans disjungit manus.

5. Ad ℣. *Deus tu conversus*, subdiaconus nudo capite etiam hyeme ascendit ad altare, crucem ex illo sumit & descendit ad lævam celebrantis.

6. Dicto *Oremus* celebrans subdit *Aufer à nobis &c.* hyeme amictum demittit super collum, oblatam à subdiacono crucem osculatur dicens *Adoramus te Christe &c.* ascendit ad altare, diacono vestes illius anteriores sublevante, dicit *Oramus te Domine &c.* altare osculatur dicens *Quorum reliquiæ hìc sunt.*

7. Interim crucem oblatam à subdiacono, diaconus nudo capite, etiam hyeme, & ceroferarii successivè osculantur & dicunt *Adoramus te &c.* postea subdiaconus illam ultimus osculatur & refert ad altare; thuriferarius ascendit ad altare; celebrans, accepto de manu diaconi cochleari, thus mittit in thuribulum, & benedicit, diacono ministrante navicularn, & thuriferario thuribulum; descendit in planum, in ora infimi gradûs genua flectit medius inter diaconum & subdiaconum, thuribulum accipit

Digitized by Google

de manu diaconi, & trino ductu thurificat SS. Sacramentum, si adsit, vel in ostensorio expositum : vel super altare suspensum, ut in metropolitana : vel in tabernaculo clausum, redit ad altare & illud incensat ritu, qui dictus est suprà parte 1. cap. 14. de thurificatione art. 5. §. 2. (si non adsit SS. Sacramentum in altari, celebrans, thure benedicto, stans crucem ter incensat, & altare ut suprà ;) deinde stans ad cornu epistolæ, thuribulum reddit diacono. Tum faciem convertit ad partem evangelii, diaconus genua flectit in ora anteriori infimi gradûs altaris, celebrantem trino ductu incensat, & thuribulum reddit thuriferario paulò infra dextram ipsius stanti.

8. Quando crux non defertur ad altare, dum celebrans ascendit ad altare, diaconus & subdiaconus vestes illius anteriores modicè elevant. Idem observant quoties celebrans ascendit ad altare. Ad verba *Quorum reliquiæ hîc sunt*, celebrans solus osculatur altare : diaconus & subdiaconus hinc & inde à lateribus ejus stantes profundè inclinant, & non tangunt altare.

9. Post thurificationem SS. Sacramenti, thuriferarius surgit, librum-missalem amovet ab altari, & ad partem epistolæ secedit, &c. ut suprà parte 1. cap. 14. art. 3. §. 2. diaconus & subdiaconus hinc & inde assistunt celebranti thurificanti, casulæ partem, quæ est circa humeros & brachia, manu elevant aliquantulúm, & cum celebrans transit ante medium altaris, cum illo inclinant profundè, thuriferario stante à latere epistolæ. Eodem modo inclinant quoties transeunt ante altare.

10. Postquam celebrans thurificavit latus epistolæ, thuriferarius librum-missalem refert ad altare : celebrans thurificatus à diacono faciem convertit ad librum, legit introitum se signans, diacono à dextris ipsius, & subdiacono à dextris diaconi in modum hemicycli stantibus ad cornu epistolæ; & alternatim cum illis dicit *Kyrie eleison* : deinde si sedere velit, redit ad medium altaris, profundè inclinat, viâ breviori pergit ad sedem eodem ordine quo infrà num. 15. Circà finem ultimi *Kyrie* redit ad altare viâ longiori præcedentibus subdiacono & diacono, ante medium infimi gradûs profundè inclinat, & ascendit ad altare ut suprà numero 8.

11. Post decantatum à choro introitum, primus choristæ conversus ad chorum imponit *Kyrie* prosequente choro : vel cantatur alternis ab organo & choro. Circa ultimum, vel penultimum *Kyrie eleison*, primus choristæ nudo omnino capite è banca procedit ad altare, ante medium illius profundè inclinat, in infimo gradu genua flectit, celebranti stanti ad cornu epistolæ, vel sedile suum

Digitized by Google

annuntiat *Gloria in excelsis* in cantu convenienti, inclinans antè & post, surgit, ante medium altaris iterum inclinat, & redit ad bancam.

12. Cum choristæ pervenit ad altare, celebrans, diaconus & subdiaconus convertunt se ad illum (vel si priùs sedeant, surgunt, æstate caput detegunt) & illi inclinant mediocriter ante & post annuntiatum *Gloria in excelsis.*

13. Si celebrans non sedeat ad *Kyrie*, quando chorus cantat ultimum *Kyrie*, idem celebrans accedit ad medium altaris, illum diaconus & subdiaconus comitantur, incedentes æquali passu cum illo, & quasi à latere illius; diaconus per infimum gradum, & subdiaconus per planum presbyterii, & sistunt se ponè celebrantem, unus post alium.

14. Finito ultimo *Kyrie* in choro, celebrans imponit *Gloria in excelsis*, disjungens & ante pectus extendens manus ad verbum *Gloria*, tum eas elevat usque ad humerorum altitudinem dicens *in excelsis*, & jungit illas ante pectus, atque inclinat dicens *Deo*. Tunc ministri simul cum illo inclinant, ascendunt ad altare, ubi inclinant profundè & cum celebrante submissa voce prosequuntur hymnum usque ad finem, nisi maluerit celebrans cum choro alta voce hymnum in cantu prosequi, quod pastor aliquando convenientissimum judicat, ad moderandos cantores, idque præsertim in ecclesiis ruralibus. Quoties diaconus & subdiaconus ad celebrantem stantem ad altare accedunt, eodem modo à lateribus ipsius profundè inclinant altari usque ad consecrationem.

15. Postquam hymnum angelicum recitavit celebrans, inclinat profundè antè altare cum ministris, ac statim descendit per gradus laterales epistolæ, & præcedentibus ministris procedit ad sedem suam, ubi sedet medius inter diaconum & subdiaconum, qui posteriorem illius casulæ partem à tergo elevant, diaconus æstate biretum cum osculo illius porrigit celebranti, qui caput tegit; deinde ministri acceptis biretis mediocri inclinatione celebrantem salutant, & sedent elevantes posteriores dalmaticæ & tunicellæ partes, vel eas elevantibus acolythis, & caput tegunt.

16. In sedendo hunc servent ordinem, ut celebrans primus ipse sedeat, deinde diaconus & subdiaconus, & è contra primi surgant ministri, ultimò celebrans, qui æstate biretum tradit diacono antequam surgat. Attendant verò dum pergunt ad sedem, ne sint in via, cum in choro cantatur ℣. *Adoramus te*, vel quid simile, ad quod est inclinandum. Sedentes manus super genua hinc & inde expansas, & aliquantulum à se invicem distantes, digitis

Digitized by Google

digitis tamen junctis inter se teneant. Acolythi verò descendunt in chorum, ubi cum aliis cantant in locis suis vel ad aquilam, ut in ecclesia metropolitana, aut stant ad credentiam, ceroferarii scilicet ad utrumque latus credentiæ, primus à dextris ipsius credentiæ, & secundus à sinistris, thuriferarius verò à sinistris secundi ceroferarii, & facie ad partem evangelii vel ad chorum versâ secundùm situm locorum.

17. Ad verba *Adoramus te, Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Suscipe deprecationem nostram*, ac *Jesu Christe*, celebrans & ministri inclinant & æstate caput detegunt.

18. Dum chorus cantat *Cum sancto Spiritu*, celebrans surgit, præcedente diacono procedit ad altare per planum, ante medium infimi gradûs altaris profundè inclinat cum diacono: deinde ascendit ad altare, diaconus à dextris vestes illius anteriores modicè elevante, & in infimo gradu remanente.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

19. *Post thurificationem SS. Sacramenti, capellanus ministrans, librum amovet ab altari, ut suprà num. 9. Thuriferario à latere epistolæ stante in plano & cætera ut suprà n. 9.*

20. *Ad finem penultimi* Kyrie eleison, *præcentor almutiam accipit à clerico, hyeme caput detegit, precedente matriculario laico in toga talari nigra & bireto, accedit ad altare, ante illius medium profundè inclinat, in ejus infimo gradu genibus flexis* Gloriæ in excelsis Deo *annuntiat celebranti, ut suprà num. 11. redit ad bancam, & almutiam reddit clerico, hyeme caput operit, & dum* Gloria in excelsis *cantatur à choro, solus à parte dextrâ chori deambulat.*

21. *Quando celebrans & ministri sedent, capellanus ministrans sedet ad latus epistolæ facie ad chorum versâ.*

Quando celebrat D. Archiepiscopus.

22. *Subdiaconus post* Indulgentiam *osculatur manipulum pontificis prope crucem, tum sinistram ipsius pontificis, & manipulum sinistro illius brachio aptat.*

23. *Post incensationem altaris, pontifex mitram & pedum assumit, thurificatur à diacono, & illum benedicit; deinde præcedentibus diacono & subdiacono, procedit ad faldistorium, ubi reddit pedum, sedet, ministri cum illo sedent, æstate caput operiunt, & post brevem moram pontifex mitram deponit, surgentibus ministris surgit, legit introitum, dicit* Kyrie *cum ministris, sedet & mitram assumit.*

Digitized by Google

24. *Dum præcentor accedit ad altare, pontifex surgit, sinistrâ pedum accipit, & dextrâ infra pectus positâ stat dum præcentor annuntiat ei* Gloria in excelsis Deo, *eoque annuntiato, præcentorem benedicit nihil dicens, reddit pedum, & sedet.*

25. *Post completum in choro* Kyrie eleison, *pontifex mitram deponit, surgit, & stans ad faldistorium, conversus ad medium altaris, imponit* Gloria in excelsis Deo *ex libro, quem capellanus sustinet ante illum. Recitato cum ministris hymno angelico, sedet & mitram assumit: ministri similiter sedent, & æstate caput operiunt, cætera fiunt ut suprà n.* 16.

Articulus V.

De Collecta, Epistola, & aliis usque ad Evangelium.

1. AD verba *Qui sedes* subdiaconus æstate capite non retecto surgit, biretum in loco suo deponit, inclinat celebranti, qui illi caput inclinat: deinde procedit per planum, ante medium infimi gradûs altari profundè inclinat, ascendit ad altare, codicem epistolarum ex illo sumit, descendit in planum, iterum ante medium infimi gradûs profundè inclinat altari, deinde celebranti: per partem dextram chori procedit ad ambonem, vel ad aquilam, aut alium chori locum, unde commodè ab omnibus audiri possit.

2. Si lecturus sit in ambone, ponè bancam profundè inclinat versûs altare, deinde versûs ambonem: si lecturus sit ad aquilam, inter altare & aquilam inclinat ut suprà. Ubi sunt duo ambones, legit in eo qui est ad partem septentrionalem. Si D. Archiepiscopus vel aliquis episcopus aut episcopi missæ interfint rocheto & mozzettâ, vel habitu chori induti, cum pervenit ante illos, gradum sistit, ante ipsos profundè inclinat facie ad illos versâ, & cœptum iter prosequitur.

3. Quoties celebrans operto capite sedens à diacono, subdiacono vel aliis salutatur, caput non detegit, sed solo nutu capitis illos resalutat.

4. Post absolutum in choro hymnum angelicum, celebrans osculatur altare, & conversus ad chorum dicit *Dominus vobiscum*, diaconus ponè illum stat in infimo gradu, & non inclinat caput.

5. Dum chorus respondet *Et cum spiritu tuo*, celebrans procedit ad cornu epistolæ, comitante illum diacono pari incessu, & ibidem dicit *Oremus*, ac subjungit collectam, vel plures, si dicendæ sint, diacono à dextris illius stante.

Digitized by Google

6. Dictâ collectâ, subdiaconus, nudo capite etiam hyeme, versâ facie ad altare, manibus super infimam libri oram positis, clarâ & distinctâ voce cantat epistolam, sedentibus & audientibus omnibus; poterit tamen eam celebrans legere, si satius duxerit. Cantatâ epistolâ subdiaconus claudit librum, deinde, si cantaverit in ambone, descendit in chorum, inter bancam & majorem portam chori inclinat ut suprà, & redit ad altare; si verò cantaverit ad aquilam, inter altare & aquilam profundè inclinans, altare & chorum salutat, & redit ad altare. Si D. Archiepiscopus vel alii episcopi missæ intersint, ante illos inclinat ut suprà num. 2.

7. Perveniens ad altare, profundè ante medium illius inclinat, ad celebrantem sedentem accedit, ante illum genua flectit, partem superiorem libri utraque manu deflectit versùs illum; celebrans operto capite superimpositam libro manum dextram in parte exteriori osculandam porrigit, & signo crucis illum benedicit. Post benedictionem celebrantis subdiaconus surgit, ante celebrantem iterum inclinat profundè, librum ponit super cornu epistolæ; missale celebrantis pulvinari vel lectorili superpositum sumit, illud utraque manu gestans descendit in planum; ante medium altaris profundè inclinat, ascendit ad cornu evangelii, & in illo deponit missale, descendit in planum, ante medium altaris iterum profundè inclinat, accedit ad sinistram celebrantis, illi inclinat & sedet. Si post cantatam epistolam celebrans nondum sedeat, subdiaconus ante illum stantem ad cornu epistolæ genua flectit, ab illo benedicitur & librum missalem defert ad cornu evangelii ut suprà.

8. Post epistolam, graduale imponitur à choristis, choro prosequente; versum ejusdem concinunt iidem choristæ, choro complente.

9. Dum cantatur graduale, quatuor cantores aut alii de choro, secundùm consuetudinem locorum, cappis induti, chorum intrant, inter altare & aquilam profundè inclinantes salutant altare & chorum; accedunt ad rostrum aquilæ, ubi mediocriter inclinantes se invicem salutant.

10. Cantato graduali choristæ sedent, quatuor cantores imponunt *Alleluia*, chorus illud repetit cum neumate: deinde quatuor cantores versum concinunt usque ad duplicem lineam, quæ rubicundas omnes trajicit & in hunc finem affixa est, choro complente. Postea quatuor cantores idem *Alleluia* repetunt, moxque primus choristæ, vel organum prosam inchoat, & quatuor can-

Digitized by Google

tores, post salutationem altaris & chori, redeunt in vestiarium.

11. Tempore paschali, primum *Alleluia* cantatur eodem ritu quo graduale.

12. A Dominica septuagesimæ usque ad pascha, post graduale, omissis *Alleluia* & versu, tractus cantatur à quatuor de choro, secundùm consuetudinem locorum, ante aquilam.

13. Quandiu cantantur graduale, *Alleluia* cum versu & prosa, missa fidelium significatur iisdem campanis, quibus missa catechumenorum sub finem tertiæ

14. In minoribus ecclesiis *Alleluia* cum versu cantatur à choristis & aliis duobus in cappis; in minimis verò cantatur à choristis solis. Tractus eodem modo cantatur.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

15. *Ad verba* Qui sedes &c. *primus indutus à parte epistolæ capite detecto astate, surgit, biretum deponit in loco suo, ante medium altaris profundè inclinat in plano, deinde ante celebrantem, ascendit ad altare, codicem epistolarum ex illo sumit, descendit in planum, iterum altari inclinat, accedit ad subdiaconum, illi stanti codicem tradit, & post mutuam inclinationem locum suum repetit. Tum subdiaconus profundè inclinat celebranti, ad medium procedit, ante altare inclinat profundè, & præcedentibus duobus matricullariis laicis & quatuor minoribus indutis, quorum duo procedunt per latus dextrum chori & duo per sinistrum, progreditur ad ambonem.*

16. *Si missæ interfit D. Archiepiscopus, vel alii episcopi, cum subdiaconus pervenit ante illos, in medio chori sistit gradum, convertit se ad D. Archiepiscopum, vel ad episcopos, & profundè inclinans illos salutat procedentibus interim indutis lentiori gradu, deinde cœptum inter prosequitur.*

17. *Cum pervenerint induti ad barras decani & præcentoris, gradum sistunt & convertunt se ad altare. Subdiaconus infra tumbam aneam solus inclinat more solito; deinde primus indutus librum accipit à subdiacono, qui, præcedentibus indutis, ascendit in ambonem. Primus indutus librum collocat super lectorium, principium epistolæ indicat subdiacono, moxque induti ponè illum se sistunt à dextris & à sinistris.*

18. *Decantatâ epistolâ, primus indutus librum clausum à subdiacono accipit: subdiaconus & induti descendunt in chorum: induti ad barras decani & præcentoris gradum sistunt, primus indutus subdiacono librum reddit, subdiaconus accepto libro, infra tum-*

Digitized by Google

bam eneam solitas facit inclinationes, & præcedentibus indutis redit ad altare.

19. *Subdiaconus acceptâ benedictione à celebrante, surgit, librum reddit induto, & sedet. Indutus verò librum defert ad latus epistolæ, descendit viâ breviori, ante celebrantem inclinat & redit ad locum suum, ubi cum aliis sedet.*

20. *Graduale imponitur, & versus ejus cantatur à duobus beneficiatis choristis, sedente præcentore operto capite; cantato graduali, quatuor beneficiati in cappis stantes ad rostrum aquilæ cantant* Alleluia *cum versu sequenti: interim beneficiati choristæ sedent operto capite donec diaconus procedat ad ambonem.*

Quando D. Archiepiscopus celebrat.

21. *Post cantatum in choro hymnum* Gloria in excelsis Deo, *pontifex deponit mitram, surgit, stans ad faldistorium convertit se ad chorum, & cantat* Pax vobis: *chorus respondet* Et cum spiritu tuo. *Tum pontifex conversus ad altare dicit* Oremus, *moxque facie conversâ ad septentrionem cantat collectam, diacono stante à dextris illius. Post sedet pontifex, mitram assumit, & diaconus sedet à dextris illius operto capite.*

22. *Cantato versu gradualis, choristæ accedunt ad gradus presbyterii, in infimo genua flectunt, & se inclinant; pontifex sedens super illos format signum crucis nihil dicens. Acceptâ benedictione choristæ surgunt altari inclinant & redeunt ad bancam, ubi sedent ut suprà. Eodem modo quatuor beneficiati, post cantatum* Alleluia, *benedictionem recipiunt, & omissis solitis inclinationibus revertuntur in vestiarium.*

Articulus VI.

De Evangelio, & aliis usque ad Offertorium.

1. CIrca finem *Alleluia* diaconus æstate caput omnino detegit, surgit, celebranti profundè inclinat, procedit ad medium viâ longiori, ante medium infimi gradûs altaris profundè inclinat, ascendit ad altare, librum evangeliorum ex eo sumit, eâ parte, quâ liber aperitur ad sinistram versâ, & quasi jacentem in medio altaris collocat, descendit in planum, in infimo gradu altaris genua flectit, inclinatus dicit *Munda cor meum*, ascendit ad altare, librum sumit ut suprà, profundè inclinat, accedit ad celebrantem viâ breviori, hyeme amictum declinat super collum, ante celebrantem genua flectit, & petit benedictionem dicens *Jube domne benedicere*; tum celebrans (nudo capite æstate) surgit, sin-

Digitized by Google

per diaconum formet signum crucis dicens *Dominus sit in corde tuo, &c.* deinde super librum ponit manum, quam diaconus osculatur in extima parte; tumque thuriferarius à dextris diaconi, pariter genua flectit, incensum in navicula præsentat celebranti dicens *Benedic Pater*: celebrans formans signum crucis super illud dicit, *Ab illo benedicaris &c.* tuncque thuriferarius incensum mittit in thuribulum.

2. Interim subdiaconus celebranti inclinat, viâ longiori ascendit ad cornu evangelii, pulvinar ex eo sumit & illud utraque manu sustinens ante pectus, descendit in planum, & sistit se inter infimum gradum altaris & supremum gradum presbyterii.

3. Ceroferarii accedunt ad credentiam, candelabra ex ea sumunt, accedunt ad utrumque cornu infimi gradûs altaris, illi poplites flectunt, deinde facie ad se invicem versâ iterum poplites flectunt. Acolythus in cappa accedit ad latus epistolæ, crucem processionalem accipit, & sistit se in plano ponè subdiaconum. Ubi crux processionalis ante missam non est delata ad altare, idem acolythus crucem gestans accedit ad portam lateralem chori; pergentibus ad ambonem ceroferariis se adjungit, & inter ipsos & subdiaconum incedens procedit ad ambonem.

4. Diaconus post osculum manûs celebrantis, surgit, & illi inclinat, ad medium redit & ante altare profundè inclinat subdiacono similiter inclinante. Tum procedit ad locum evangelii incedens per partem dextram chori hoc ordine. Præcedit thuriferarius, sequuntur ceroferarii, primus scilicet per partem dextram chori, & secundus per sinistram: tum acolythus, qui defert crucem; succedit subdiaconus pulvinar utraque manu deferens ante pectus, denique diaconus librum evangeliorum gestans in manibus transversim elevatum, dorso libri deorsum verso.

5. Diaconus solus, ante & post lectionem evangelii, easdem atque ibidem facit inclinationes, quas subdiaconus fecit ante & post lectionem epistolæ.

6. Cum pervenerint ad locum evangelii, acolythus de cruce medius inter ceroferarios sistit se ad partem septentrionalem facie versâ ad pulpitum seu analogium; thuriferarius stans ad sinistram secundi ceroferarii, facie ad idem analogium conversâ, naviculam humi deponit, & aperit; subdiaconus ponè diaconum se sistit facie ad septentrionem versâ, & pulvinar in loco convenienti deponit, prout fert situs loci.

7. Ubi sunt duo ambones, evangelium legitur in eo, qui est ad partem meridionalem, facie diaconi ad septentrionem versâ.

Digitized by Google

Ubi non est ambo, evangelium legitur ad aquilam, rostro aquilæ ad septentrionem versо, vel in alio chori loco, unde diaconus commodè audiri possit.

8. Si D. Archiepiscopus missæ interfit, diaconus collocato in medio altaris libro dicit *Munda cor meum*, ut suprà, n. 1. non petit benedictionem à celebrante, sed accepto libro procedit ad ambonem vel ad aquilam ut suprà n. 4. Cum pervenit ante stallum D. Archiepiscopi, omnes ministri gradum sistunt facie ad ambonem vel aquilam versâ, diaconus & thuriferarius à dextris diaconi ante D. Archiepiscopum genua flectunt in gradu stalli inferioris: diaconus inclinatus dicit *Jube domne benedicere*: D. Archiepiscopus dicit *Dominus sit in corde tuo &c.* & signum crucis dextrâ format super diaconum, & libro superponit manum, quam diaconus osculatur in extima parte. Tum thuriferarius incensum benedicendum in navicula præsentat D. Achiepiscopo dicens *Benedic Pater reverendissime*: deinde factâ à pontifice benedictione incensi, diaconus & thuriferarius surgunt, D. Archiepiscopum salutant, & cœptum iter prosequuntur. Absente D. Archiepiscopo, si unus vel plures episcopi missæ interfint, eodem modo episcopus vel si plures sint, dignior ipsorum diaconum & incensum benedicit.

9. Dum diaconus procedit ad ambonem, celebrans surgit, redit ad altare viâ breviori, sistit se inter medium altaris & cornu epistolæ.

10. Finito cantu in choro, diaconus, nudo capite etiam hyeme, stans junctis manibus, facie ad septentrionem versâ, cantat *Dominus vobiscum*: dum dicit *Initium* vel *Sequentia S. Evangelii*, sinistrâ super librum positâ, signat illum dextro pollice in principio evangelii, deinde seipsum in fronte, ore, & pectore, sinistrâ ad pectus positâ; posteà convertit se aliquantulum ad thuriferarium, & dum chorus respondet *Gloria tibi Domine*, incensatur ab eodem thuriferario, qui statim thuribulum prope naviculam humi deponit. Tum diaconus, junctis manibus, cantat evangelium lentè & distinctè inclinans se, & genuflectens versùs librum, ubi opus est.

11. Interim celebrans stans inter medium altaris & cornu epistolæ, diacono cantante *Dominus vobiscum*, convertit se ad illum junctis manibus ante pectus, eoque dicente *Initium* vel *Sequentia S. Evangelii*, pollice dextro se signat in fronte, ore & pectore. Ad verba *Gloria tibi Domine* convertit se ad altare, & iterum convertit se ad diaconum. Eodem modo cæteri de choro signant, & convertunt se ad altare & ad diaconum. Ad nomen *Jesu* & *Ma-*

Digitized by Google

ria inclinant caput, sed aliquantò profundiùs ad nomen *Jesu*, & quando genuflectendum, diaconus genuflectit versùs librum, celebrans genuflectit versùs altare; & chorus convertit se ad illud.

12. Lecto evangelio, thuriferarius resumit naviculam & thuribulum, subdiaconus resumit pulvinar; diaconus digito indicat subdiacono principium evangelii, dat illi librum clausum, reclinans illum super pulvinar; deinde iisdem ordine, & viâ, quibus suprà, redit ad altare, nudo capite, inclinans iisdem in locis, in quibus ante evangelium.

13. Cum pervenit ad altare, thuriferarius sistit se paulò infra gradum infimum suppedanei; ceroferarii candelabra deponunt in credentia, acolythus de cruce ascendit ad latus epistolæ, ubi crucem in loco debito collocat, & redit in vestiarium: subdiaconus rectà pergit ad celebrantem, librum aperit, initium evangelii digito indicat celebranti; codicem apertum porrigit illi ad osculandum dicens *Hæc sunt verba sancta*. Celebrans osculatur librum in principio evangelii, & respondet *Credo & confiteor*: subdiaconus celebranti inclinat profundè; librum claudit, & fert ad cornu evangelii, altari inclinans, redit ad locum suum: interim diaconus accedens ad altare ante medium illius profundè inclinat, thuribulum accipit à thuriferario, in ora infimi gradûs genua flectit, & celebrantem trino ductu thurificat, inclinans ante & post, & reddito thuribulo caput amictu operit hyeme, & sistit se ponè celebrantem.

14. Si missæ interfit D. Archiepiscopus, post lectum evangelium diaconus solitas facit inclinationes. Deinde thuriferarius, subdiaconus, & diaconus successivè pervenientes ante stallum D. Archiepiscopi sistunt gradum, ceroferariis & crucifero redeuntibus ad altare, sed tardiori gressu. Subdiaconus super gradum stalli inferioris ascendit, librum apertum porrigit D. Archiepiscopo ad osculandum dicens *Hæc sunt verba sancta*: D. Archiepiscopus librum osculatur & respondet *Credo & confiteor*, ut suprà num. 13. Si, D. Archiepiscopo præsente vel absente, unus vel plures episcopi interfint, subdiaconus eodem ritu singulis librum offert incipiendo à D. Archiepiscopo, & illo absente, incipiendo à digniori, & cuilibet inclinat post osculum. Tum diaconus accepto thuribulo D. Archiepiscopum stans trino ductu incensat inclinans ante & post, deinde singulos episcopos eodem modo incensat incipiendo à digniori & redit ad altare. Subdiaconus reversus ad altare librum porrigit celebranti ut suprà num. 13. Diaconus genibus flexis illum trino ductu incensat, & cætera perficit ut suprà eod. n. 13.

Digitized by Google

15. Poſt lectum evangelium, habetur concio ad populum, vel ubi non habetur, celebrans accedit ad medium altaris, ubi præcinit *Credo in unum Deum*, choriſtæ ſuccinunt *Patrem*; uterque chorus ſtans in pedes concinit *Omnipotentem*, & reliquum ſymboli uſque ad finem complet. Ad verbum *Credo*, celebrans extendit manus, & elevat, ad verba *In unum*, jungit manus ante pectus, & ad verbum *Deum* inclinat caput cruci, tumque diaconus, & ſubdiaconus ad utrumque latus celebrantis accedunt, profundè inclinant & cum eo recitant Symbolum manibus junctis, & mediocriter inclinant ad verba *Jeſum*, *Maria*, *Et homo factus eſt* & *Adoratur*, ad verba *Et vitam venturi ſæculi*, celebrans, & miniſtri ſe ſignant, inclinant & ſedent, ut ſuprà, ad *Gloria in excelſis* pag. 80. num. 15. & 16.

16. Dum in choro cantatur verſus *Et incarnatus eſt*, celebrans, & miniſtri, nudo capite æſtate, profundè ſe inclinant verſus altare; at in tribus miſſis natalis Domini, & in miſſa annuntiationis dominicæ, genua flectunt prope ſedes ſuas, & chorus ſemper convertit ſe ad altare.

17. Cantato ET HOMO FACTUS EST, ſubdiaconus æſtate caput detegit, ſurgit, viâ longiori pergit ad altare, ante medium illius inclinat, librum evangeliorum ex eo ſumit, deſcendit, iterùm ante medium illius inclinat, deinde ante celebrantem, poſteà, præcedente thuriferario deſcendit in chorum, ubi librum clauſum porrigit ad oſculandum in ea parte, in qua ſculpta eſt imago Chriſti pendentis in cruce, hoc ordine: cum thuriferarius pervenit in chorum, ſiſtit ſe à parte dextra ad latus aquilæ, trino ductu thurificat primum choriſtam, deinde ſecundum, poſteà clerum ab utraque parte chori in ſuperioribus & in inferioribus ſtallis, ut ſuprà, parte 1. cap. 14. de thurificatione articulo 3. §. 4. Subdiaconus ſequens thuriferarium, librum clauſum ad oſculandum offert primo choriſtæ, tum ſecundo; aſcendit ad ſuperiora ſtalla per gradus contiguos majori portæ chori à parte dextra, & ſingulis, prout ſtant in ſuperioribus ſtallis, librum porrigit ad oſculandum, procedendo verſùs altare, ſingulis inclinans poſt oſculum. Cum pervenit ad ultimum verſùs altare, profundè inclinat altari, faciem vertit ad ſtantes in ſuperioribus ſtallis ab eadem parte, per gradus qui ſunt è regione aquilæ deſcendit & ſingulis, qui ſunt in inferioribus ſtallis, ab eadem parte eodem modo porrigit librum, incipiendo ab infima parte chori deinde pueris. Interim thuriferarius, poſt factam ante ſtalla inferiora à parte dextra incenſationem, redit ad gradus adverſos aqui-

Digitized by Google

lx, sistit se in plano ante stallum inferius contiguum iisdem gradibus versùs ambonem, & stans facie ad bancam versâ expectat donec subdiaconus librum omnibus ab eadem parte osculandum obtulerit. Postea subdiaconus, præcedente thuriferario, transit ad alteram partem chori, uterque ponè bancam inclinat profundè altari; subdiaconus ad majorem portam chori procedit tardiori gressu, ut thuriferario det tempus thurificandi ante tres primos, qui stant infra ambonem, per gradus contiguos majori portæ chori ascendit ad superiora stalla, & singulis ab eadem parte chori librum porrigit ad osculandum eodem ritu, quo suprà n. 13. Thuriferarius peractâ thurificatione à parte sinistra, sistit se in plano ante ultimum stallum inferius versùs altare, ubi subdiaconum expectat, stantibus interea choristis ad bancam: demum subdiaconus, præcedente thuriferario, redit ad altare, ubi ante medium infimi gradûs profundè inclinat, ascendit ad altare, librum in eodem altari deponit ad partem evangelii, descendit in planum, ubi iterum profundè inclinat ante medium altaris.

18. Dum subdiaconus descendit in chorum, ut codicem evangeliorum singulis porrigat ad osculum, diaconus æstate caput detegit; surgit, inclinat celebranti, pergit ad credentiam, undè porrectam à primo ceroferario bursam corporalium accipit, & clausam defert ad altare ambabus manibus illam tenens, extremis tantùm digitis, per oras laterales, quasi jacentem, & paulò elevatam, eâ parte, quâ aperitur, ad pectus ipsius deferentis conversâ: procedit autem per planum, & quando pervenit ante medium infimi gradûs, profundè inclinat, ascendit ad altare, explicat corporale in medio ipsius altaris, bursam erectam collocat à latere evangelii, altari profundè inclinat, ad sedem suam redit viâ breviori, celebranti profundè inclinat, sedet, ac caput æstate bireto operit.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

19. *Circa finem prosæ, dum diaconus accedit ad medium altaris, indutus, qui primus sedet à parte evangelii, surgit, altari inclinat, viâ breviori ad illud ascendit, librum evangeliorum ex eo sumit, descendit in planum, ita tempestivè, ut accedenti diacono occurrat ante medium altaris, librum eidem tradit inclinans ante & post, & redit ad locum suum.*

20. *Diaconus, accepto libro de manu induti, eidem inclinat, ascendit ad altare, cum solitis inclinationibus ante & post, & cætera perficit ut suprà art. 6. n. 1. pag. 85.*

Digitized by Google

21. *Interim subdiaconus & omnes induti surgunt; primus indutus à parte evangelii ascendit ad cornu evangelii, pulvinar sumit ex altari, descendit in planum, ita opportunè, ut accedenti subdiacono ante medium altaris occurens, pulvinar ipse tradat; subdiaconus ad medium pergit, ante altare profundè inclinat, stans inter infimum gradum altaris & supremum presbyterii, pulvinar accipit ab induto, & post mutuam salutationem indutus locum suum repetit.*

22. *Post benedictionem incensi, proceditur ad ambonem, hoc ordine. Procedunt* 1. *duo servientes:* 2. *duo matriculatii laici:* 3. *thuriferarius:* 4. *ceroferarii ut suprà:* 5. *major puerorum in cappa deferens majorem crucem:* 6. *induti unus post alium, tres scilicet per partem dextram & tres per sinistram:* 7. *subdiaconus pulvinar deferens ut suprà:* 8. *diaconus codicem evangeliorum gestans ut suprà. Pervenientes ad majorem portam chori, thuriferarius, ceroferarii & crucifer ascendunt in ambonem: induti gradum sistunt ad barras decani & precentoris, tres ab una parte & tres ab altera, & medius inter duos primos subdiaconus; conversi ad altare expectant dum diaconus solitas facit inclinationes, quibus factis, primus indutus à parte evangelii pulvinar accipit à subdiacono, & primus à parte epistolæ codicem Evangeliorum à diacono. Tum diaconus ascendit in ambonem precedentibus indutis & subdiacono. In ambone primus indutus codicem ponit super pulpitum, librum aperit in loco convenienti, subdiaconus sistit se ponè diaconum, & induti ut ad epistolam, prout locus permiserit.*

23. *Dum diaconus procedit ad ambonem, capellanus ministrans missale celebrantis defert ad cornu Evangelii: celebrans viâ breviori redit ad altare, & stans inter medium illius & cornu epistolæ facie ad diaconum conversâ audit evangelium, capellano à parte evangelii stante in plano, facie ad diaconum conversâ.*

24. *Cantato Evangelio, primus indutus librum accipit à diacono, descendunt omnes in chorum, thuriferarius, ceroferarii, & crucifer gradum sistunt è regione canonicorum in minoribus à parte dextra, induti sistunt se ad barras decani & precentoris, ut ante evangelium; primus indutus à parte evangelii pulvinar reddit subdiacono, & primus à parte epistolæ tradit codicem evangeliorum eidem subdiacono. Tunc diaconus solitas facit inclinationes, iisque factis redeunt omnes ad altare, & cætera ut suprà n.* 13.

25. *Postquam celebrans osculatus est librum, subdiaconus illum cum pulvinari reddit primo induto à parte evangelii, qui utrumque refert ad cornu evangelii.*

Digitized by Google

26. *Post cantatum in choro versum* Et homo factus est, *primus indutus à parte evangelii librum sumit de altari, ante medium altaris occurrit subdiacono, librum illi tradit inclinans, cum subdiacono profundè inclinat altari & celebranti, & ad locum suum redit: subdiaconus procedit in chorum ut suprà, & librum offert* 1. *precentori, deinde choristis, & aliis, ut suprà n.* 17.

27. *Si missa unus vel plures episcopi interfint, post lectum evangelium, codicem apertum illis subdiaconus offert ad osculandum, deinde celebranti ut suprà. Post versum* Et homo factus est, *librum defert in chorum more solito, & postquam senior ex canonicis, qui stant à læva parte chori versùs altare, codicem evangeliorum osculatus est, descendit per gradus, qui sunt è regione aquilæ, accedit ad cancellarium per barram ejusdem, codicem illi offert ad osculandum, more solito, deinde descendit per eamdem barram, altari profundè inclinat, & posteà codicem defert ad canonicos subdiaconos & alios ab eadem parte, more solito.*

Quando celebrat D. Archiepiscopus.

28. *Diaconus, post collocatum in medio altaris librum, viâ breviori accedit ad pontificem, ante illum genua flectit, thuriferarius similiter à dextris diaconi genua flectit. Tum pontifex sedens cum mitra, accepto cochleari de manu diaconi, incensum mittit in thuribulum, & benedicit, ut suprà initio missæ, p.* 80. *n.* 7. *ministrantibus diacono & thuriferario, stantibus interim subdiacono & indutis.*

29. *Thure benedicto, diaconus surgit, pontifici inclinat profundè, viâ longiori ad medium altaris redit, profundè inclinat, in infimo gradu genua flectit, inclinatus dicit* Munda cor meum, *ascendit ad altare, librum sumit ut suprà, viâ breviori redit ad pontificem, genua flectit, & petit benedictionem dicens* Jube domne benedicere. *Tum D. Archiepiscopus sedens cum mitra, super diaconum formut signum crucis dicens* Dominus sit in corde tuo &c. *& manum libro superpositam diacono porrigit ad osculandum, stantibus interim ministris ut suprà num. præced. deinde diaconus procedit ad ambonem, ut suprà num.* 22.

30. *Antequam diaconus dicat* Dominus vobiscum, *pontifex mitram deponit, surgit, accipit baculum pastoralem utraque manu, stans ad sedem suam convertit se ad diaconum, & lecto evangelio dimittit baculum. Tempore convenienti stans ad eamdem sedem inchoat symbolum, & cætera perficit ut suprà pag.* 80. *n.* 15.

31. *Si missæ interfit episcopus, post thurificationem D. Archiepiscopi, diaconus, præcedentibus thuriferario, indutis, & subdiacono,*

Digitized by Google

redit in chorum: subdiaconus librum apertum episcopo porrigit ad osculandum, ut suprà n. 14. si plures fuerint, singulis offert successivè, diaconus episcopum, vel episcopos incensat, ut suprà n. 14. & præcedentibus indutis redit ad altare; subdiaconus verò profundè inclinans altari, præcedente thuriferario, transit ad partem dextram, procedit ad præcentorem, & alios, usque libtum clausum osculandum offert, ut suprà n. 27.

ARTICULUS VII.

De Offertorio, & aliis, usque ad Canonem.

1. CIrca finem symboli, dum chorus cantat *Et vitam venturi sæculi*, celebrans, præcedentibus ministris, viâ longiori redit ad altare, ut suprà p. 81. n. 18. & ministri sistunt se ponè celebrantem.

2. Finito symbolo, celebrans osculatur altare, convertit se ad populum, & cantat *Dominus vobiscum*, deinde conversus ad altare cantat *Oremus*, moxque choristæ imponunt offertorium prosequente choro vel organo, & deambulant ab utraque parte chori.

3. Ubi fit oblatio cleri vel populi, diaconus accedit ad credentiam, patenam ex ea sumit & tradit celebranti, qui illam accipit, descendit ad infimum gradum, sivè ad cancellos sanctuarii, ubi medius inter diaconum & subdiaconum, patenam accedentibus porrigit ad osculandum, sacerdotibus scilicet, diaconis, & subdiaconis in parte concava, cæteris verò in convexa, qui accedunt profundè inclinant ante & post. Deindè in ecclesiis parochialibus, post oblationem cleri & communicantium, offertur panis benedicendus. Celebrans offerenti patenam porrigit ut suprà, panem benedicit dicens, ℣. *Adjutorium* & *Dominus vobiscum*, & orationem *Domine Jesu Christe, panis angelorum &c.* deinde accepto de manu diaconi aspergillo, panem aquâ benedictâ ter aspergit in modum crucis. Interim choristæ stant ad bancam.

4. Post receptas oblationes, celebrans patenam reddit diacono, & redit ad altare. Subdiaconus accedit ad credentiam, pyxidem cum hostiis pro communione cleri & populi consecrandis defert ad altare viâ breviori, & tradit diacono, qui illam discooperit, super altare collocat à parte epistolæ, subdiaconus, post traditam diacono pyxidem, redit ad credentiam, calicem velo coopertum sinistrâ per nodum accipit, dextrâ superpositâ, ne quid decidat, eâdem viâ defert ad altare, & super illud collocat à parte epistolæ.

5. Diaconus velum amovet à calice, & tradit subdiacono, pallam deponit super altare, deinde patenam cum hostia superpo-

Digitized by Google

sita offert celebranti cum osculis patenæ, & dextræ ipsius celebrantis.

5. Dum celebrans; acceptâ patenâ, dicit *Suscipe sancte Pater*; diaconus pyxidem aliquantulum elevat; deinde post depositam à celebrante hostiam super corporale, eamdem pyxidem super altare collocat inter calicem & crucem, vel paululum à latere epistolæ, si aliter fieri non possit, & illam cooperit.

6. Interim subdiaconus sinistrâ calicem accipit per nodum, purificatorio illum abstergit, & diacono porrigit unà cum eodem purificatorio.

7. Diaconus sinistrâ calicem accipit per nodum; subdiaconus acceptum de manu primi ceroferarii urceolum vini tradit diacono sine osculis, diaconus ex illo vinum in sufficienti quantitate infundit in calicem.

8. Subdiaconus urceolum aquæ celebranti præsentat dicens *Benedic Pater*, vel *Pater reverendissime*, si celebret episcopus. Celebrans, facie aliquantulum ad subdiaconum conversâ, manum sinistram super altare ponit, & dextrâ producit signum crucis super aquam dicens *Deus qui humanæ substantiæ &c.* & jungit manus, tumque subdiaconus modicum aquæ infundit in calicem, urceolum veni recipit à diacono sine osculis, & urceolos reddit ceroferario, qui illos ad credentiam refert.

9. Si aliquot guttæ intra calicem appareant sparsæ, diaconus illas unit circumacto vino, vel purificatorio abstergit, pedem calicis in ora illius osculatur; deinde dextram celebrantis in extima parte, tradit illi calicem, ejusdem calicis pedem dextrâ sustentat; & sinistrâ brachium celebrantis; cum illo dicit *Offerimus &c.* & depositum super corporale calicem pallâ cooperit.

10. Celebrans porrectum à diacono calicem dextrâ per nodum accipit, sinistrâ per pedem, & elevatis oculis dicit *Offerimus &c.* cum eodem diacono, deinde solus deponit calicem super corporale.

11. Post oblationem calicis, celebrans prosequitur preces consuetas *In spiritu humilitatis &c. Veni Sanctificator*, & signum crucis producit super oblata more solito; finitisque orationibus, stans ante medium altaris, facie ad partem epistolæ conversâ, incensum mittit in thuribulum, & benedicit dicens *Ab illo benedicaris &c.* ministrantibus diacono & thuriferario: thuribulum accipit, convertit se ad altare, & nullam faciens cruci inclinationem thurificat oblata dicens *Incensum istud &c.* deindè inclinat profundè, descendit ad infimum gradum altaris, ubi medius inter diaconum &

Digitized by Google

subdiaconum trino ductu thurificat sanctissimum Sacramentum, profundè inclinans ante & post, ascendit ad altare, inclinat, illud incensat dicens *Dirigatur &c.* ritu qui dictus est suprà, parte 1. cap. 14. de thurificatione, §. 5. Si SS. Eucharistia non sit in altari, celebrans post thurificationem oblatorum, crucem trino ductu stans incensat, deinde altare ut suprà, eoque thurificato thuribulum reddit diacono dicens *Accendat in nobis &c.* deinde triplici ductu incensatur à diacono, ut suprà, part. 1. art. 3. §. 5. n. 4. moxque ad cornu epistolæ lavat manus dicens *Lavabo &c.* subdiacono dextrâ aquam fundente, & pelviculam sinistrâ sustinente cum manutergio in brachio sinistro.

12. Interim diaconus sequente thuriferario procedit ad reliquias SS. ponè majus altare, vel sub illo, aut in alio loco collocatas, illas trino ductu thurificat inclinans ante & post: olea sancta eodem modo incensat. Posteà stans in eodem loco, ubi ultimò incensavit, thurificatur à thuriferario triplici ductu, redit ad altare, & thuriferarius in vestiarium.

13. Post incensatum à diacono celebrantem; ceroferarii ad credentiam accedunt, primus urceolum aquæ pelviculæ superpositum porrigit subdiacono, secundus verò manutergium super brachium sinistrum ejusdem collocat cum debitis poplitum flexionibus ante & post, & post lotionem manuum celebrantis referunt ad credentiam.

14. Celebrans lotis manibus, redit ad medium altaris, ubi inclinatus de more dicit *Suscipe sancta Trinitas &c.* convertit se ad populum, dicens intelligibili voce *Orate fratres &c.* usque ad verba *Deum Patrem omnipotentem* inclusivè; subdiaconus respondet *Suscipiat &c.* usque ad verba *Ecclesiæ suæ sanctæ* inclusivè. Tum celebrans dicit *Amen*, caput detegit hyeme, sicut & ministri, diaconus accedit ad sinistram celebrantis, & illi indicat secretam vel secretas.

15. Perveniens celebrans ad conclusionem ultimæ secretæ, manibus hinc & inde extensis super altare, cantat præfationem, ut habetur in missali. Ad verba *Deo nostro* celebrans & ministri inclinant; ad *Dignum & justum est*, chorus convertit se ad altare.

16. Circa finem præfationis, diaconus accedit ad dextram celebrantis & subdiaconus ad sinistram, profundè inclinant, deinde cum celebrante recitant *Sanctus &c.* ad *Benedictus qui venit* cum eo se signant, eoque dicto profundè inclinant: diaconus transit ad sinistram celebrantis, ubi inclinat, & servit illi de libro usque ad elevationem, & subdiaconus locum superiorem cedens

Digitized by Google

diacono transit ad dextram. Quoties diaconus & subdiaconus simul transeunt ab una parte altaris ad alteram, subdiaconus locum superiorem semper cedit diacono.

17. Ad *Sanctus*, puer campanulam aliquandiu pulsat, acolythus socco vel cappâ coloris convenientis indutus, discum argenteum cum velo plicato, & tenso ante aperturam socci, utraque manu tenens, precedentibus thuriferario, & quatuor pueris vel clericis, qui faces accensas deferunt, è vestiario procedit ad altare; thuriferarius sistit se ad cornu infimi gradûs altaris à parte epistolæ & in illo genua flectit. Pueri, qui faces deferunt, cum pervenerint ad penultimum gradum presbyterii, hinc inde secedunt, acolythus in medio illorum se sistit; stantes in eodem gradu cum illo poplites flectunt, deinde genua flectunt in ora supremi gradûs presbyterii, acolytho stante in penultimo gradu.

18. Post præfationem, choristæ imponunt *Sanctus* prosequente choro, vel cantatur alternis ab organo & choro, & choristæ deambulant usque ad elevationem.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

19. *Imposito offertorio, præcentor solus deambulat à parte dextrâ chori, idem observat ad* Sanctus, *& communionem.*

20. *Post susceptas oblationes communicantium primus indutus à parte epistolæ subdiacono ministrat calicem, urceolos & cætera, absente verò subdiacono, vices illius supplet & diacono ministrat calicem & cætera ut suprà. n. 4. Idem vices agit primi ceroferarii.*

21. *Post thurificatum celebrantem, diaconus, præcedente thuriferario, & quatuor primis indutis, procedit ad reliquias SS. ponè majus altare, illas trino ductu incensat, per portam septentrionalem chori pergit ad capellam S. Nicasii, olea sacra quæ in illâ servantur, trino ductu thurificat, postea stans ante ostium ejusdem capellæ, facie ad septentrionem versâ, incensatur à thuriferario; & redit ad altare per portam meridionalem chori, thuriferario in vestiarium redeunte.*

22. *Interim primus indutus à parte epistolæ ad credentiam accedit, urceolum aquæ pelvi superpositum cum manutergio affert ad altare, & tradit subdiacono, & post lotionem manuum celebrantis, refert ad credentiam ut suprà n. 13.*

23. *Dum cantatur præfatio, unus è pueris accedit ad altare, si sit à parte dextra per posticam altaris partem transit ad partem evangelii, funem campanulæ apprehendit, & genua flectit.*

24. *Ad* Sanctus, *capellanus ministrans paululum secedit ad partem*

Digitized by Google

tem evangelii, locum cedit subdiacono, & post Benedictus redit ad librum, & vertit folia ubi opus est, & subdiaconus transit ad dextram celebrantis.

Quando celebrat D. Archiepiscopus.

25. Finito symbolo, D. Archiepiscopus deponit mitram, stans ad sedem suam, facie ad chorum conversâ, cantat Dominus vobiscum, deinde conversus ad altare subdit Oremus, legit offertorium, eoque lecto sedet, mitram assumit, chirothecas & annulum dimittit, & lavat manus, ministrantibus domesticis, deinde immisso per capellanum in digitum anulo surgit, pedum sinistrâ accipit, & per viam longiorem redit ad altare, praecedentibus subdiacono, & aliis ministris.

26. Perveniens ante medium altaris, gradum sistit in plano, baculum, & mitram deponit, profundè inclinat, ascendit ad altare, illud osculatur, convertit se ad populum, in faldistorio super suppedaneum collocato sedet, & recipit oblationes. Qui accedunt ad oblationem, ante illum profundè inclinant, manum illius in extima parte genibus flexis osculantur, surgunt, & iterum profundè inclinant.

27. Receptis oblationibus surgit, convertit se ad altare, mitram deponit, & inclinat, accepta patena dicit Suscipe sancte Pater &c. aquam benedicit: accepto calice dicit Offerimus &c. altare incensat, & post illud incensatum mitram accipit, convertit se ad diaconum, ab eo incensatur, & illum benedicit. Mox vertit se ad latus epistolae, manus lavat, ut dictum est suprà, iisque lotis mitram deponit, redit ad medium altaris, & cetera perficit ut suprà. n. 4.

Articulus VIII.

De Canone, usque ad Consecrationem inclusivè.

1. Dicto *Benedictus qui venit &c.* celebrans inchoat canonem dicens *Te igitur* ut in missali; subdiaconus patenam sumit de altari, inclinat, descendit in planum; patenam in parte convexa osculandam porrigit acolytho, illam osculatur ipse in parte concava, & ponit in medio veli, quod acolythus tenet super discum, parte concavâ ad pectus ipsius acolythi versâ, deinde convertit se ad altare, & in plano stat ponè celebrantem, acolytho ponè subdiaconum stante.

2. Cum celebrans dicit *Quam oblationem*, diaconus transit ad partem epistolae, & subdiaconus accedit ad partem evangelii, & reducunt cortinas ubi sunt cortinae.

3. Ubi pyxis cum particulis consecrandis est in altari, diaconus, factâ in accessu ad dextram celebrantis profunda inclina-

Digitized by Google

tione, dum celebrans dicit *Qui pridie quam pateretur &c.* detegit pyxidem, & propè majorem hostiam ponit super corporale intra aram consecratam, ubi ara est portatilis, & in ora supremi gradûs genua flectit cum subdiacono.

4. Dum celebrans elevat sacram hostiam, diaconus & subdiaconus genibus flexis, infimam oram posterioris partis casulæ paulò elevant.

5. Repositâ super corporale sacrâ hostiâ, & factâ à celebrante genuflexione, diaconus & subdiaconus simul cum illo surgunt; diaconus pyxidem, si sit in altari, tegit, & ponè calicem reponit; subdiaconus vertit folium, si opus sit, (si enim non opus sit, diaconus solus surgit) statimque ambo iterum genua flectunt; tum redeunt ad oram supremi gradûs, ubi flexis genibus posteriorem partem casulæ celebrantis elevant dum calix elevatur.

6. Dum celebrans calicem deponit, diaconus & subdiaconus surgunt, diaconus calicem cooperit, ambo cum celebrante genuflectunt, deinde cortinas expandunt.

7. Ad verba *Qui pridie quam pateretur* puer campanulam aliquandiu pulsat, deinde ad utramque elevationem ictus congeminat; thuriferarius verò ad utramque elevationem sine intermissione incensat.

Articulus IX.

De reliquo Canone, usque ad orationem Dominicam.

1. Post opertum calicem, diaconus accedit ad librum, ubi iterum genuflectit, & vertit folia, ubi opus est; subdiaconus verò redit ad locum suum in plano.

2. Dum celebrans dicit orationem *Supplices te rogamus &c.* diaconus non se inclinat, sed ad verba *Omni benedictione cœlesti* se signat cum celebrante.

3. Ad verba *Nobis quoque peccatoribus*, celebrans & ministri tundunt sibi pectus.

4. Paulò antequam celebrans dicat *Per quem hæc omnia &c.* diaconus & subdiaconus genuflectunt, diaconus transit ad partem epistolæ, & subdiaconus ad partem evangelii, cortinas reducunt, ad celebrantem accedunt ita opportunè sine genuflexione, ut ad verba *Præstas nobis*, diaconus à dextris calicem detegat, & subdiaconus à sinistris vertat folium, deinde cum celebrante genuflectunt & puer campanulam pulsat.

5. Ad verba *Omnis honor & gloria* diaconus & subdiaconus profundè se inclinant, & puer ictus campanulæ congeminat.

Digitized by Google

6. Repositâ per celebrantem hostiâ super corporale, diaconus tegit calicem, cum celebrante & subdiacono genuflectit, & surgit: diaconus, & subdiaconus cortinas extendunt, & ad loca sua redeunt ponè celebrantem: acolythi faces referunt in vestiarium.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

7. *Operto calice post elevationem ipsius, diaconus genuflectit, accedit ad librum, ubi iterum genuflectit, & vertit folia, cum opus est, cætera n.* 1.

8. *Circa finem orationis* Supplices te rogamus, *dum celebrans deosculatur altare, major puerorum, qui patenam sustinet, poplites flectit in loco suo, ascendit ad dextram celebrantis, ubi profundius poplites flectit: dicto à celebrante* Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis: *puer dicit illi* Memento domine animarum &c. *& postquam celebrans protulit verba* Ipsis, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis & pacis, ut indulgeas deprecamur, per eumdem Christum Dominum nostrum, *idem puer clara voce respondet* Amen, *profundè poplites flectit, & ad locum suum revertitur, ubi denuò poplites flectit.*

9. *Post secundam elevationem puer qui campanulam pulsavit, si locum habeat à parte dextra, per posticam partem altaris redit ad sedem suam.*

ARTICULUS X.

De oratione Dominica, & aliis usque ad Communionem.

1. POst verba *Omnis honor & gloria* & opertum calicem, celebrans genuflectit, surgit, & manibus extensis hinc & inde super corporale, cantat *Per omnia sæcula sæculorum*: cum dicit *Oremus* jungit manus, inclinans; cum inchoat *Pater noster* extendit manus, & stans prosequitur usque in finem.

2. Interim subdiaconus convertit se ad acolythum, patenam ab illo præsentatam in disco accipit cum velo, dextram undique tegit eodem velo, patenam tenet ante pectus, parte concavâ ad seipsum conversâ, usque ad verba *audemus dicere* inclusivè.

3. Ad verba *Pater noster*, subdiaconus patenam elevat ad altitudinem capitis, parte concavâ patenæ ad latus evangelii versâ, usque ad verba *Panem nostrum*, tuncque illam tradit diacono sine velo, & sine osculis, & velum reddit acolytho, qui illud refert in vestiarium.

Digitized by Google

4. Cum celebrans cantat *Panem nostrum*, diaconus patenam accipit de manu subdiaconi sine velo, & inter pollicem & indicem manûs dextræ nudam tenet, & elevatam ut suprà n. 3. usque ad verba *Et ne nos inducas.*

5. Ad verba *Et ne nos inducas*, diaconus accedit ad dextram celebrantis, & subdiaconus ad sinistram, & genuflectunt. Diaconus purificatorio tergit patenam, illius oram osculatur, genua flectit, eamdem ponit inter inditem & medium digitos dextræ celebrantis & surgit : subdiaconus vertit folium ubi opus est; & cum celebrans patenâ se signat, diaconus & subdiaconus cum illo se signant dextrâ.

6. Quando celebrans supponit patenam hostiæ, diaconus detegit calicem; cum celebrante & subdiacono genuflectit; deinde celebrans cantato *Per omnia sæcula sæculorum*, particulam immittit in calicem cantans *Pax Domini &c.* diaconus cooperit calicem, & cum celebrante & subdiacono iterum genuflectit : posteà diaconus & subdiaconus junctis manibus ante pectus, & inclinati versùs SS. Sacramentum cum celebrante dicunt ter *Agnus Dei*, & ad verbum *Nobis* ter sibi tundunt pectus, sinistrâ infra illud positâ.

7. Dum celebrans dicit orationem *Domine Jesu Christe, qui dixisti*, thuriferarii præcedentibus ceroferariis accedunt ad altare : ceroferarii ante medium infimi gradûs poplites flectunt : thuriferarii se sistunt in plano è regione utriusque cornu infimi gradûs, & poplites flectunt, deinde facie ad se invicem versâ consistunt donec pax deferatur in chorum : diaconus pacis instrumentum sumit de altari; post orationem *Domine Jesu Christe, qui dixisti &c.* cum celebrante osculatur altare extra corporale; genua flectit, pacis instrumentum ad osculandum porrigit celebranti, qui illud osculatur dicens *Pax tibi frater &c.* surgit, alterum pacis instrumentum sumit sinistrâ, sistit se ponè dextram celebrantis in suppedaneo, vel in secundo gradu, subdiacono paulo infra lævam celebrantis stanti, & aliquantulum converso instrumentum pacis offert ad osculandum, dicens *Pax tecum*, subdiaconus respondet *Et cum spiritu tuo :* tuncque sibi mutuò mediocriter inclinant : diaconus descendit ad infimum gradum, utrumque pacis instrumentum ceroferariis porrigit ad osculandum, dicens similiter *Pax tecum.* Post hæc, eadem pacis instrumenta inversa ceroferariis tradit per ansas, & ab illis statim oblata osculatur, priùs quod ad lævam, deinde quod ad dextram, & quilibet puer dicit *Pax tecum*, diaconus respondet *Et*

Digitized by Google

cum spiritu tuo ; tuncque diaconus transit ad sinistram celebrantis, & subdiaconus ad dextram, ubi genuflectunt.

8. Ceroferarii, post accepta pacis instrumenta poplites flectunt, & procedunt in chorum : thuriferarii sibi invicem poplites flectunt, & sequuntur ceroferarios ; quilibet ceroferarius pacis instrumentum choristæ offert à parte sua, dicens *Pax tecum* : choristæ respondet *Et cum spiritu tuo*, moxque ceroferarii poplites flectunt, choristæ illis inclinant, deinde thuriferarii choristas trino ductu respectivè incensant.

9. Interim ceroferarii ad utramque oram bancæ accedunt, ubi facie ad suam quisque chori partem versâ, expectant donec thuriferarii choristas incensaverint, deinde illos sequuntur lentiori gressu, ut dent illis tempus incensandi ante primos, qui infra ambonem stant ab utraque parte chori.

10. Thuriferarii, post incensatos choristas, ad superiora stalla ascendunt per gradus ab utraque parte contiguos majori portæ chori, ante superiora & inferiora stalla ab utraque parte incensant, ut suprà, parte 1. cap. 14. art. 3. §. 7.

11. Post incensatos primos ab utraque parte chori, ceroferarii per eosdem gradus ascendunt ad superiora stalla, pacis instrumenta porrigunt singulis in superioribus stallis, eodem ritu quo suprà, num. 8. per gradus qui sunt è regione aquilæ descendunt, & pacem offerunt singulis, qui sunt in stallis inferioribus, & pueris. Qui prior perfecerit, sistit se infra ultimum stallum chori versus altare, facie ad chorum versâ, & socium expectat ; tunc sibi mutuò poplites flectunt, redeunt ad altare, instrumenta pacis in cornu evangelii deponunt, & poplites flectunt.

12. Si D. Archiepiscopus missæ interfit, diaconus postquam pacis instrumentum subdiacono tradidit ad osculandum, secundum pacis instrumentum tradit secundo ceroferario nihil dicens ; deinde primum pacis instrumentum utrâque manu tenens per ansam, procedit ad D. Archiepiscopum sequentibus ceroferariis & thuriferariis, super gradum stalli inferioris ascendit, pacis instrumentum porrigit illi ad osculandum dicens *Pax tecum*, & profundè inclinat. D. Archiepiscopus respondet *Et cum spiritu tuo*, stantibus interim in plano ceroferariis facie ad ambonem versâ, & thuriferariis facie ad pontificem versâ, deinde diaconus conversus ad ceroferarios, pacis instrumentum illis porrigit ad osculandum, idem pacis instrumentum inversum tradit primo ceroferario per ansam, postea utrumque pacis instrumentum à ceroferariis oblatum osculatur ut suprà n. 7. & redit ad

Digitized by Google

altare. Thuriferarii interim D. Archiepiscopum trino ductu simul incensant. Demum ceroferarii pacem deferunt in chorum ut suprà n. 8. Si D. Archiepiscopo præsente vel absente, unus vel plures episcopi missæ interfint, eodem modo pax ad illos defertur incipiendo à D. Archiepiscopo, vel illo absente, à digniori.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

13. *Dum cantatur oratio Dominica, thuriferarius sine tunicella thuribulum deferens, præcedentibus ceroferariis, quorum major aliud thuribulum secum defert, è vestiario procedit ad posticam partem altaris: ad verba* Panem nostrum *major puerorum receptum à subdiacono velum, defert ad eandem partem posticam altaris. discum & velum in loco convenienti deponit, soccum exuit, & thuribulum accipit à primo ceroferario.*

14. *Ad* Agnus Dei *major puerorum sine tunicella deferens thuribulum, præcedente primo ceroferario, è postica parte altaris per latus epistolæ procedit ad altare, dum thuriferarius sine tunicella, præcedente secundo ceroferario, per latus evangelii procedit ad idem altare: ambo se sistunt ad utrumque cornu infimi gradûs, & cætera ut suprà. n. 7.*

15. *Diaconus, post oblatum subdiacono instrumentum pacis, illud porrigit indutis incipiendo à digniori, deinde ceroferariis ut suprà n. 7.*

16. *Ceroferarii utrumque pacis instrumentum præcentori porrigunt ad osculandum, deinde quilibet offert choristæ à parte sua. Postea ad utrumque oram banca se sistunt, facie ad suam quisque chori partem versâ, dum choristæ incensantur: similiter thuriferarii præcentorem ambo simul trino ductu thurificant, deinde quilibet à parte sua choristam incensat, postea ab utraque parte chori incensant ante superiora & inferiora stalla, redeunt ad infimum gradum presbyterii, altari primum, tum adversâ inter se facie, sibi invicem poplites flectunt, primus thuribulum suum tradit secundo, & ad posticam partem altaris redit, unde resumptum discum cum socco & vela, refert in vestiarium: secundus verò utrumque thuribulum reportat in vestiarium.*

17. *Post factam thurificationem ante dignitates stantes infra ambonem ab utraque parte chori, ceroferarii eodem ritu quo suprà, num. 9. & 11. ascendunt ad superiora stalla per barras decani & præcentoris, pacis instrumenta ad osculandum offerunt: 1. dignitatibus infra ambonem stantibus: 2. canonicis sacerdotibus, & diaconis,*

Digitized by Google

qui stant versùs ambonem: 3. cancellario & pœnitentiario: 4. canonicis sacerdotibus, qui stant versùs altare: 5. beneficiatis sacerdotibus & diaconis prout stant in iisdem stallis: 6. descendunt per gradus qui sunt è regione aquilæ, pacis instrumenta offerunt canonicis subdiaconis, & reliquis, prout stant in stallis inferioribus: 7. canonicis in mincribus, denique pueris. Qui primus perfecerit sistit se in prima sede puerorum, ubi expectat, donec socius perfecerit, tumque ambo sibi invicem poplites flectunt, & redeunt ad cornu evangelii, ubi pacis instrumenta deponunt in altari.

18. *Si quis episcopus missæ interfit, diaconus, acceptâ pace à celebrante, pacis instrumentum porrigit subdiacono ad osculandum, deinde indutis qui remanent ad altare, eodem ritu quo suprà, n. 7. alterum pacis instrumentum tradit secundo ceroferario, nihil dicens; deinde primum pacis instrumentum utrâque manu gestans per ansam, præcedentibus quatuor primis indutis, procedit ad episcopum, sequentibus ceroferariis, & thuriferariis, pacis instrumentum ad osculandum episcopo porrigit, dicens* Pax tecum, *indutis & ceroferariis ad lævam indutorum interim stantibus in plano, facie ad ambonem versâ; deinde quatuor supra dictis indutis & ceroferariis instrumentum porrigit ad osculandum; oblata à ceroferariis duo pacis instrumenta osculatur, ut suprà & precedentibus iisdem indutis, redit ad altare. In hoc casu secundus ceroferarius, post oblatum juniori canonico diacono à parte evangelii pacis instrumentum, descendit per gradus, qui sunt è regione aquilæ, pergit ad cancellarium per barram ejusdem, pacem illi offert, deinde, descendit per eandem barram, ad superiora stalla redit per gradus, qui sunt è regione aquilæ, pacem offert seniori canonico sacerdoti versùs altare, & aliis ut suprà n. 11. cætera perficiuntur à ceroferariis, & thuriferariis, eodem ritu quo suprà.*

Quando D. Archiepiscopus celebrat.

19. *Post Orationem* Libera nos, *D. Archiepiscopus, more solito frangit hostiam super calicem, deinde minorem hostiæ particulam tenens inter pollicem & indicem, cantat* Per omnia sæcula sæculorum, *moxque eamdem particulam deponit super patenam propè alias partes, nihil dicens, & digitos super calicem excutit, & tergit. Tum diaconus calicem cooperit pallâ, genuflectit, convertit se ad chorum, & stans ad sinistram pontificis in secundo gradu, acceptum de manu capellani baculum pastoralem utrâque manu tenens cantat* Humilitate vos ad benedictionem, *moxque convertit se ad altare, genua flectit in ora supremi gradûs, & utrâque manu eum-*

Digitized by Google

dem baculum tenet infra sinistram pontificis, usque ad finem benedictionis pontificalis.

20. *Repositâ particulâ super patenam, D. Archiepiscopus genuflectit dum chorus respondet* Deo gratias, *convertit se ad chorum, deinde stans sine mitra, & baculum tenens sinistrâ manibus diaconi superpositâ, tres orationes convenientes cantat ex libro benedictionali, quem genibus flexis sustinet ante illum capellanus, deinde dicto* Benedictio Dei omnipotentis *genuflectit versus SS. Sacramentum, convertit se iterum ad chorum, pedum resumit sinistrâ, & ad verba* Patris, & Filii, & Spiritus sancti *signum crucis ter producit super clerum & populum.*

21. *Interim ministri altaris genibus flexis, & omnes de choro conversi ad altare, nudo capite, etiam hyeme, stantes recipiunt benedictionem pontificalem, eâque datâ pontifex convertit se ad altare, ministri omnes surgunt, diaconus baculum reddit capellano, ascendit ad dextram pontificis, cum illo genuflectit, calicem discooperit, deinde pontifex immittit particulam in calicem cantans* Et pax ejus sit semper vobiscum, *tumque diaconus eumdem calicem pallâ cooperit, & cætera perficit ut suprà n. 6.*

Articulus XI.

De Communione, & aliis usque ad Postcommunionem.

1. Diaconus, post data pueris pacis instrumenta, transit ad librum, genuflectit & assistit celebranti: subdiaconus verò transit ad dextram celebrantis, & genuflectit.

2. Dum celebrans dicit *Domine non sum dignus*, diaconus, & subdiaconus profundè se inclinant versùs SS. Sacramentum, cum celebrante dicunt secretò *Domine non sum dignus*, & tundunt sibi pectus, sinistrâ infra illud positâ; deinde junctis manibus stant inclinati, dum celebrans sumit dominicum corpus.

3. Quando celebrans demittit manus, subdiaconus detegit calicem, diaconus & subdiaconus cum celebrante genuflectunt, ac rursùs profundè se inclinant dum celebrans sumit dominicum sanguinem, eoque sumpto, subdiaconus pallâ tegit calicem, & illum ultra medium corporalis collocat à parte evangelii, diaconus transit ad dextram celebrantis, & subdiaconus ad sinistram cum debitis in recessu & accessu genuflexionibus. Tum diaconus S. pyxidem coopertam, in qua sunt hostiæ consecratæ, collocat in medio corporalis prope calicem, S. pyxidem discooperit, deinde cum celebrante & subdiacono genuflectit, descendit in planum ad cornu infimi gradûs, se sistit à parte epistolæ, profundè

Digitized by Google

& inclinat versùs celebrantem, clarâ & intelligibili voce facit confessionem; subdiaconus à parte evangelii stans ad cornu infimi gradûs, eodem modo se inclinat dum fit confessio.

4. Si sacra pyxis è tabernaculo extrahenda sit, celebrans & subdiaconus in ora supremi gradûs aliquantulum à parte evangelii genua flectunt, diaconus aperit tabernaculum, genuflectit, sacram pyxidem extrahit, illam in medio corporalis prope calicem collocat & discooperit, tabernaculum claudit, si necesse sit, iterumque genuflectit, descendit ad partem epistolæ, ubi stans inclinatus facit confessionem ut suprà n. præcedenti: celebrans S. pyxide discoopertâ redit ad medium altaris, genuflectit, ibique stans expectat finem confessionis.

5. Finitâ confessione, celebrans genuflectit, secedit paululum versùs cornu evangelii, ne terga vertat SS. Sacramento, & facie ad communicandos non omnino conversâ, dicit clarâ & intelligibili voce *Misereatur vestri &c.* & *Indulgentiam &c.* licet communicandus sit unicus, & manu dextrâ producit signum crucis super communicandos, diacono, & subdiacono interim inclinatis. Post *Indulgentiam* diaconus & subdiaconus se erigunt, moxque duo acolythi ad utrumque cornu infimi gradûs accedunt, & genibus flexis facie ad se invicem versâ, mappam lineam explicant & sustinent ambabus manibus per quatuor angulos, quousque perfecta sit communio: diaconus, & subdiaconus si communionem sint sumpturi, in ora infimi gradûs genua flectunt.

6. Celebrans dicto *Indulgentiam* redit ad medium altaris, ubi genuflectit, S. pyxidem sinistrâ manu per nodum accipit inter indicem & medium digitos, unam ex hostiis consecratis dextrâ accipit & tenens illam inter indicem & pollicem super S. pyxidem aliquantulum elevatam, convertit se ad communicandos, & stans ante medium altaris, defixis in sanctissimum Sacramentum oculis, dicit *Ecce Agnus Dei &c.* statimque subdit ter *Domine non sum dignus &c.* Eâdem formulâ semper utitur, quamvis uni soli, etiam feminæ communio porrigenda sit.

7. Repetitis tertiò verbis *Domine non sum dignus &c.* accedit ad communicandos, incipiens à latere epistolæ ab ipso diacono, & stans ante faciem communicandi, tenensque SS. Sacramentum inter pollicem & indicem ut suprà, reliquis digitis versùs palmam manûs paululum inflexis, porrigit illi SS. Sacramentum, faciens cum illo signum crucis super S. Pyxidem, quasi signans communicandum & signando dicit *Corpus Domini nostri Jesu Christi &c.* Post communionem diaconi, & subdiaconi, celebrans,

Digitized by Google

digitos, quibus SS. Sacramentum ministravit, junctos super S. pyxidem retinens, revertitur ad altare, ubi stat conversus ad crucem donec alii ad S. mensam accesserint. Idem observat quoties interponenda est aliqua mora.

9. Dum diaconus, & subdiaconus communicant, acolythus dextrâ accipit de credentia calicem, aut aliud vas ad id destinatum, cum vino modicâ aquâ mixto, & mappulam sinistrâ, genuflectit ante SS. Sacramentum; & post communionem subdiaconi accedit ad diaconum, qui oblatum ab acolytho calicem dextrâ accipit, & sinistrâ mappulam; os sibi purificat, & mappulâ extergit: tum surgit, labra calicis mappulâ extergit, deinde purificationem & mappulam ministrat subdiacono. Posteà dum celebrans præbet duobus primis S. communionem profundè se inclinat versus SS. Sacramentum, & quando tertius in ordine sumit sacram communionem, accedit ad illos, singulis purificationem offert in calice, seu vase, & mappulam ministrat ad os tergendum, & identidem alterâ mappulæ parte labra vasis extergit.

10. Subdiaconus, sumptâ purificatione, surgit, accedit ad altare, genuflectit, patenam sumit de altari, deinde à dextris celebrantis eamdem patenam sustinet sub mento communicantium.

11. Si choristæ communicandi sint, ad S. mensam accedunt post diaconum & subdiaconum, deinde si aliquis sacerdos sit communicandus, post choristas accedit ad S. mensam, stolâ de collo pendente ornatus, super habitum chori ordinarium, & post illum reliqui de clero accedunt.

12. Post communionem cleri, celebrans, & ministri descendunt ad cancellos, sivè metas presbyterii, ubi celebrans communicat laicos eodem ritu quo suprà n. 7.

13. Factâ omnium communione, celebrans digitos, quibus ministravit SS. Sacramentum, junctos tenens super S. pyxidem, redit ad altare, & illam reponit super corporale, subdiaconus patenam deponit super corporale à parte epistolæ, & discooperit calicem; celebrans excutit in calicem fragmenta, si quæ digitis adhæserint, purificat S. pyxidem, & patenam; deinde calicem porrigit subdiacono, qui, accepto de manu primi ceroferarii urceolo, vinum infundit in calicem cum quasi osculo urceoli, deinde acceptis ambobus urceolis vinum & aquam eodem ritu infundit in calicem super digitos celebrantis, & urceolos reddit ceroferario.

14. Quando, communicatis omnibus, aliquæ supersunt hostiæ

Digitized by Google

consecratæ, & sacra pyxis in tabernaculo reponenda est; celebrans S. pyxidem deponit super corporale, in calicem excutit fragmenta, si quæ digitis adhæserint, genuflectit cum ministris, & ora suppedanei genua flectit cum subdiacono; diaconus verò sine nova genuflectione S. pyxidem cooperit, illam reponit intra tabernaculum, solus iterum genuflectit, & tabernaculum clave obserat. Postea celebrans cum subdiacono redit ad altare, diaconus calicem in medio collocat, & discooperit, deinde inclinat, & transit ad sinistram celebrantis, qui calicem, & seipsum purificat, ut suprà. Si diaconus scabello opus habeat ad recondendam S. pyxidem in tabernaculo, genuflectit antequam ascendat, & postquam descenderit, profundè inclinat.

15. Si, communicatis omnibus, aliquot ex particulis consecratis non possint intra tabernaculum commodè reponi, celebrans, antequam se purificet, sumit illas nihil dicens nec se signans, deinde se purificat.

16. Quando diaconus, & subdiaconus non communicant in missa, ad *Domine non sum dignus* stantes ut suprà ad confessionem, profundè se inclinant versùs SS. Sacramentum, & postquam celebrans eadem verba ter repetiit subdiaconus patenam sumit de altari, & stans à dextris celebrantis, eamdem sustinet sub mento communicantium; diaconus autem dextrâ accipit de credentia calicem, aut aliud vas, cum vino modicâ aquâ mixto, & cætera perficit ut suprà n. 9.

17. Ubi purificatio non datur post communionem dictis, à celebrante *Misereatur* & *Indulgentiam*, diaconus, & subdiaconus genuflectunt, diaconus transit ad partem evangelii, & subdiaconus ad partem epistolæ, iterum genuflectunt, convertunt se ad communicandos cum celebrante. Diaconus, sumptam de altari patenam, à dextris celebrantis tenens, & subdiaconus à sinistris ejusdem celebrantis junctis manibus, inclinant se versùs SS. Sacramentum ad verba *Domine non sum dignus &c.* iisque tertiò à celebrante repetitis, erigunt se, cum celebrante accedunt ad communicandos, diaconus patenam sustinet sub mento illorum, ut suprà n. 10. & subdiaconus junctis manibus stat à sinistris celebrantis capite aliquantulum inclinato. Deinde factâ omnium communione, dum celebrans redit ad altare diaconus & subdiaconus vestes illius anteriores hinc inde elevant, diaconus patenam deponit super corporale à parte epistolæ & detegit calicem, moxque cum solitis inclinationibus in accessu recessu, diaconus transit ad lævam celebrantis & subdiaconus ad dextram. Cætera fiunt ut suprà n. 13.

18. Post ultimum *Agnus Dei* choristæ imponunt antiphonam,

Digitized by Google

quæ dicitur communio, & omnes de choro nudo capite hyeme stant, facie ad altare conversâ, quandiu fit communio. Si choristæ communicent, post sumptam ablutionem redeunt ad bancam, & post communionem cleri imponunt antiphonam, quæ dicitur communio.

19. Ablutione sumptâ, celebrans, & ministri amictu caput operiunt hyeme, diaconus à parte evangelii missale utrâque manu refert ad cornu epistolæ, inclinans in medio, celebranti indicat antiphonam, quæ dicitur communio, & redit ad locum suum ponè celebrantem.

20. Subdiaconus, post redditos acolytho urceolos, S. pyxidem operit, pallam & velum calicis defert ad partem evangelii, calicem purificatorio abstergit, illum tegit purificatorio, patenâ & pallâ, pliçat corporale, illud reponit intra bursam, calicem velo cooperit, eidem velo superponit bursam, & super illam ponit duo pacis instrumenta, pedem minoris crucis velo cooperit: deinde præcedentibus ceroferariis calicem defert in sacrarium, aut in conditorium, vel ad credentiam, secundum situm locorum.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

21. *Duo ultimi induti extendunt linteum ante communicandos ut suprà num. 5.*

22. *Si præcentor, & choristæ communicent, tunc post diaconum, subdiaconum & indutos, primus communicat præcentor, deinde choristæ.*

23. *Quando diaconus, & subdiaconus communicant, dum celebrans sacram pyxidem de altari sumit, capellanus ministrans patenam accipit de altari, ad* Domine non sum dignus &c. *inclinat se profundè versus SS. Sacramentum, deinde celebrantem comitatur ad dextram, & dum communicat diaconum, & subdiaconum, patenam sustinet sub mento ipsorum, iisque communicatis, primus indutus à parte epistolæ dextrâ sumit calicem cum vino, medicâ aquâ mixto, & affert ad diaconum, ut se purificet & cætera ut suprà n. 9.*

24. *Idem indutus subdiacono ministrat urceolos vini & aquæ ad purificationem celebrantis, deinde velum calicis defert ad subdiaconum in cornu evangelii.*

25. *Post ablutionem celebrantis, capellanus ministrans librum refert ad cornu epistolæ, diaconus ministrat celebranti, dum legit communionem & cantat postcommunionem.*

26. *Subdiaconus post imposita super bursam duo pacis instrumen-*

Digitized by Google

ta, & pedem minoris crucis velo tectum, præcedentibus ceroferariis, & quatuor minoribus indutis, calicem refert ad posticam partem altaris, procedens per partem evangelii, & depositò calice, redit ad altare, per partem epistolæ eodem ordine, & sistit se in plano ante diaconum.

Quando celebrat D. Archiepiscopus.

27. *Facto super S. pyxidem signo crucis, pontifex dicens* Corpus Domini &c. *manum dextram offert communicando ad osculandum in extima parte, deinde SS. Sacramentum porrigit eidem communicando, & cætera perficit ut suprà n. 7. 13. & 14.*

28. *Post sumptam ablutionem, pontifex mitram assumit, stans in cornu epistolæ lavat manus, deinde mitram deponit, legit communionem.*

Articulus XII.

De Postcommunione, & aliis usque ad finem Missæ.

1. CElebrans, lectâ communione, accedit ad medium altaris, illud osculatur, convertit se ad populum, & cantat *Dominus vobiscum*, deinde redit ad cornu epistolæ, ubi cantat postcommunionem, choristis circa finem ipsius in vestiarium redeuntibus.

2. Cantatâ postcommunione, diaconus claudit librum, celebrans redit ad medium altaris, illud osculatur, conversus ad populum cantat *Dominus vobiscum*, deinde submissâ voce diacono indicit *Ite missa est.*

3. Dum chorus respondet *Et cum spiritu tuo*, diaconus profundè inclinat, convertit se ad populum, & nudo omninò capite, cantat junctis manibus *Ite missa est*, convertit se ad altare, & inclinat.

4. Ad *Deo gratias*, celebrans convertit se ad altare, inclinatus dicit *Placeat tibi sancta Trinitas &c.* deinde populum benedicit dicens *Benedicat vos &c.* altâ voce vel submissâ, secundum consuetudinem locorum, & ad verba *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*, signum crucis format super populum, stantibus interim, & inclinatis diacono ad partem epistolæ & subdiacono ad partem evangelii in plano.

5. Datâ benedictione, celebrans more solito convertit se ad altare, crucem accipit, descendit in planum, medius inter diaconum & subdiaconum, genua flectit in ora infimi gradûs, & nudo capite etiam hyeme, eodem ordine quo accessit ad altare, redit in vestiarium recitans evangelium *In principio*: ad verba *Initium S. evangelii* se signat cum ministris, qui illi respondent.

Digitized by Google

6. Pervenientes in vestiarium, ministri omnes ab utraque parte secedunt, ut dent locum celebranti transeunti, deinde ad se invicem redeuntes, stant ante crucem, ut ante missam: celebrans crucem reddit diacono, qui illam in loco debito collocat: ad verba *Et verbum caro factum est*, omnes versùs crucem vestiarii genuflectunt, & finito evangelio eidem cruci inclinant, deinde celebranti ad ipsos converso, posteà celebrans, & ministri vestes exuunt, juvantibus clericis.

7. Si proprium evangelium legendum sit, celebrans reversus in vestiarium legit illud ex missali, & cætera perficit ut suprà n. 6.

8. Quando crux à celebrante non est delata ad altare, celebrans datâ benedictione non convertit se ad altare, sed rectà descendit in planum, genua flectit in ora infimi gradûs, & redit in vestiarium, nudo capite æstate, recitans evangelium *In principio*, ut suprà. Si recitandum sit aliud evangelium, redit in vestiarium tecto capite cum ministris.

9. Si D. Archiepiscopus missæ interfit, celebrans more solito dicit *Placeat*, deinde celebrans & ministri sistunt se ad partem evangelii in secundo gradu, celebrans scilicet ad cornu evangelii, diaconus à dextris celebrantis, & subdiaconus à dextris diaconi in recta linea, detecto capite, etiam hyeme, & facie ad D. Archiepiscopum conversâ. Tum D. Archiepiscopus detecto capite solemnem dat benedictionem cantans *Sit nomen &c.* stantibus omnibus in choro & ad illum conversis detecto capite. Post benedictionem archiepiscopalem celebrans & ministri redeunt ad medium altaris, & more solito revertuntur in vestiarium.

10. Si absente D. Archiepiscopo aliquis episcopus missæ interfit, celebrans more solito dat benedictionem & revertitur in vestiarium.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

11. *Circa finem postcommunionis, præcentor altari inclinat, choristas hinc & inde salutat, per dextram partem chori accedit ad tumbam aneam, ubi inclinat, baculum reddit, cappam exuit, & egreditur è choro eodem ritu, quo suprà post vesperas parte 2. cap. 1. num. 90. pag. 48.*

12. *Interim choristæ in vestiarium revertuntur, more solito.*

13. *Cantatâ postcommunione, capellanus ministrans librum claudit &c.*

Digitized by Google

Quando celebrat D. Archiepiscopus.

14. *Diaconus, antequam cantet* Ite missa est, *conversus ad chorum, baculum pastoralem dextrâ accipit à capellano pontificis, illumque dextrâ tenens, & sinistrâ infra pectus positâ cantat* Ite missa est, *reddit baculum, & convertit se ad altare.*

15. *Dicto* Placeat tibi sancta Trinitas *pontifex, more solito, osculatur altare, non dat benedictionem, sed statim descendit in planum, genua flectit, mitram assumit, & baculum pastoralem, & diacono crucem deferente redit in vestiarium.*

CAPUT III.

De Missa Festorum solemnium-majorum.

1. IN festis solemnibus-majoribus, missa celebratur eodem ritu quo suprà in festis annualibus.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

2. *In festis Corporis Christi & Omnium sanctorum ministrant sex induti, & servantur iidem ritus, qui suprà in annualibus. In festo Omnium sanctorum fit communio cleri. In aliis festis ministrant quatuor tantùm induti, & tunc ante missam spex librum evangeliorum collocat super altare à parte evangelii, & ponè illud pulvinar, & codicem epistolarum à parte epistolæ.*

3. *Quando celebrans è vestiario progreditur ad altare, diaconus, medius inter duos indutos, ante celebrantem procedit, & subdiaconus, medius inter alios duos indutos, sequitur ceroferarios.*

4. *Cum celebrans & ministri pervenerint ad altare, genua flectunt ut suprà in annualibus: diaconus crucem collocat super altare: primus ex indutis à parte evangelii detecto capite, etiam hyeme, ascendit ad cornu evangelii, codicem evangeliorum ex eo sumit: tum diaconus & indutus aliquantulum conversi ad medium altaris simul inclinant profundè: diaconus descendit ad dextram celebrantis, & indutus ad sinistram subdiaconi, cui librum tradit cum inclinatione mutua & cætera ut suprà pag. 76. num. 10.*

5. *Dum subdiaconus procedit ad ambonem, lecturus epistolam, illum præcedunt duo tantùm induti, unus à parte dextra, & alius à sinistra.*

6. *Quando diaconus pacem defert ad episcopos, illum præcedunt duo primi induti tantùm.*

7. *Quoties præcentor, vel alius ejus nomine baculum præcentoris deferens chorum moderatur ad missam, toties ad verba* Crucifixus etiam pro nobis, *subdiaconus codicem evangeliorum defert in chorum ad osculandum, in solemnibus tam majoribus quàm minoribus.*

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Missa Festorum solemnium-minorum.

1. IN festis solemnibus-minoribus missa celebratur eodem ritu, quo suprà in solemnibus-majoribus, exceptis quæ sequuntur.

2. Dum cantatur symbolum, subdiaconus codicem evangeliorum non defert in chorum.

3. Post thurificationem oblatorum, altaris, celebrantis, reliquiarum SS. oleorum sacrorum & diaconi, thuriferarius redit in vestiarium, & novos carbones ignitos immittit in thuribulum: deinde ad verba præfationis *Vere dignum & justum est*, chorum ingreditur, choristas & chorum ab utraque parte thurificat ritu, qui dictus est sup. part. 1. cap. 14 pag. 30. §. 5. num. 5.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

4. *Eadem observantur quæ suprà n. 2. & 3. ac cap. 3. n. 2. 3. 4. 5. 6. & 7.*

CAPUT V.

De Missa duplicium-majorum & minorum.

1. IN duplicibus-majoribus, & minoribus, missa eodem ritu celebratur, quo suprà, in solemnibus-minoribus, exceptis quæ sequuntur.

2. Ante missam, sacrista collocat calicem super corporale extensum in medio altaris, urceolos vero vini & aquæ cum pelvi, & manutergio ponit in loco convenienti, secundùm situm locorum.

3. In vestiario non benedicitur incensum.

4. Cum celebrans pervenit ad altare, ceroferarii candelabra deponunt in plano, ad utrumque cornu infimi gradûs altaris.

5. Ante introitum missæ non fit thurificatio altaris.

6. Recitatis à celebrante *Gloria in excelsis*, & *Credo*, diaconus & subdiaconus sistunt se ponè celebrantem, unus post alium, diaconus scilicet in secundo gradu, si tres fuerint, vel in infimo, si duo tantùm, & subdiaconus in plano.

7. Subdiaconus, post lectam epistolam, non osculatur manum celebrantis, sed rectà ascendit ad altare, librum super illud collocat à parte epistolæ, & missale defert ad cornu evangelii.

8. In duplicibus-majoribus, *Alleluia*, vel tractus cantatur à quatuor cantoribus, vel aliis de choro, in minoribus à duobus tantùm, & in minimis ecclesiis cantatur à choristis.

9. Circa finem gradualis, vel cum cantatur prosa, propè finem

Digitized by Google

nem *Alleluia*, diaconus librum evangeliorum ponit super altare, juxta corporale, à parte epistolæ; genibus flexis, dicit *Munda cor meum &c.* & petit benedictionem eodem ritu quo suprà p. 85. n. 1. Tum celebrans paululum secedens ad latus evangelii, convertit se ad diaconum, dicit *Dominus sit in corde tuo*, formet super illum signum crucis, & manum non porrigit ad osculandum. Thuriferarius ad dextram diaconi genua flectit, incensum in naviculâ apertâ benedicendum celebranti præsentat, dicens *Benedic pater*: celebrans signum crucis formans super incensum dicit *Ab illo benedicaris.*

10. Thure benedicto, celebrans convertit se ad altare, diaconus surgit, & procedit ad locum ubi lecturus est evangelium, eodem ritu quo suprà cap. 2. art. 6. num 4. Ad verba *Sancti evangelii*, thuriferarius incensum mittit in thuribulum, & ad verba *Gloria tibi Domine*, diaconum triplici ductu incensat, & cætera perficit ut suprà, eodem articulo num. 10.

11. Lecto evangelio, celebrans oblatum à subdiacono codicem evangeliorum osculatur, sed diaconus illum non incensat.

12. Dum cantatur in choro *Descendit de cœlis*, celebrans & ministri genua flectunt in orâ infimi gradus suppedanei, & profundiùs inclinant dum cantatur *Et homo factus est*, eoque cantato, loca sua repetunt, ubi stant ut suprà n. 6.

13. Dicto *Oremus* ante offertorium, diaconus & subdiaconus ascendunt ad partem epistolæ; diaconus accipit calicem è medio altaris, illum ponit in cornu epistolæ, discooperit, velum tradit subdiacono. Cætera fiunt ut suprà cap. 2. art. 7. num. 5. & sequentibus.

14. Post orationem *Veni Sanctificator*, thuriferarius genibus flexis in orâ infimi gradûs è regione cornu epistolæ, incensum mittit in thuribulum, si opus sit: celebrans descendit in planum, in orâ infimi gradus genua flectit medius inter diaconum & subdiaconum, thuribulum accipit à diacono, SS. Sacramentum trino ductu incensat, inclinans ante & post, ascendit solus ad altare, convertit se ad diaconum, & stans inter medium altaris & cornu evangelii, incensatur à diacono, qui postea surgit & procedit ad reliquias sanctorum, & cætera ut suprà parte 1. cap. 14. pag. 29.

15. Interim subdiaconus procedit ad cornu epistolæ, manutergium plicatum ponit super brachium sinistrum, pelviculam accipit manu sinistrâ, & urceolum aquæ dextrâ, deinde aquam fundit super manus celebrantis, & cætera perficit ut suprà cap. 2. art. 7.

16. Ad *Sanctus*, pueri duas tantum faces accensas deferunt ad

Digitized by Google

altare, & post secundam elevationem, quæ fit ante orationem Dominicam, referunt in vestiarium.

17. Si celebrans sedere velit ad *Gloria* & *Credo*, sedebit cum ministris ut suprà in annualibus, pag. 89. n. 15.

18. In ecclesiis, in quibus choristæ non deferunt cappas, iidem choristæ stantes ad bancam, *Alleluia* cum versu sequenti, & à septuagesima ad pascha tractum, cantant, cætera imponunt & cantant ut suprâ pag. 83. & 84.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

19. *In duplicibus feriatis à populo, crux à celebrante defertur ad altare quando canonicus parisiensis missam celebrat, aliàs non defertur.*

20. *In duplicibus-majoribus, & minoribus,* Alleluia *vel tractus cantatur à quatuor beneficiatis in cappis.*

21. *Quando dignitates non stant in stallis honoris sui propriis, pueri, post datam pacem choristis, ascendunt ad superiora stalla per gradus, qui sunt è regione aquilæ, gradum sistunt inter dignitates & canonicos stantes versùs ambonem, ubi facie ad se invicem versâ expectant, donec thuriferarii thurificaverint ante dignitates, tumque pacem offerunt dignitatibus, & reliquis ut suprà pag.* 102. *num.* 17. *Dignitatibus absentibus, si senior canonicus à parte epistolæ stet versùs altare, puer pacem defert ad illum, & alios canonicos qui sunt versùs altare, deinde occurrens thuriferario, secedit ad vicinum stallum, ut locum faciat transeunti thuriferario, pacem defert ad seniorem canonicum sacerdotem, qui stat versûs ambonem, & ad alios canonicos & beneficiatos prout stant &c. Idem observat alius puer à parte evangelii in casu simili.*

CAPUT VI.

De missa festorum semiduplicium.

1. IN illis, missa celebratur eodem ritu quo suprà in duplicibus, exceptis quæ sequuntur.

2. *Alleluia* cantatur à duobus pueris ante aquilam.

3. A dominicâ septuagesimæ usque ad pascha, tractus cantatur ante aquilam à duobus cantoribus aut aliis de choro in cappis, nisi aliter notetur.

Digitized by Google

4. *Diebus dominicis, crux à celebrante defertur ad altare, quando canonicus parisiensis missam celebrat.*

5. Alleluia *cantatur à duobus pueris ante aquilam.*

6. *In festis semiduplicibus,* Alleluia *cantatur ante aquilam à duobus macicotis in cappis, nisi aliter notetur in propriis locis. Idem observatur in dominicis temporis paschalis, ac dominicis occurrentibus infra octavas tertii ordinis & suprà.*

CAPUT VII.

De missa festorum simplicium & feriarum.

1. IN illis, missa celebratur eodem ritu, quo in semiduplicibus, exceptis quæ sequuntur.

2. Unicus choristà cappâ indutus chorum moderatur.

3. In feriis adventûs, & temporis paschalis, ac in vigiliis festorum annualium, & solemnium-majorum., missa cantatur ad majus altare, & ministrant duo ceroferarii. Idem observatur in festis simplicibus, & quoties missa celebratur ad majus altare.

In feriis à purificatione usque ad pascha, & à dominica Trinitatis usque ad adventum, missa cantatur ad altare, quod est ponè majus altare, & in illâ ministrat unicus ceroferarius.

5. In missâ de feriâ tempore adventûs & quadragesimæ; quatuor temporum septembris, & de vigiliis, in quibus missa celebratur post sextam vel nonam, exceptis feriâ quartâ quatuor temporum adventûs, & vigiliis festorum annualium in ecclesiâ metropolitana, celebrans & ministri sacri induunt albas non paratas, diaconus, & subdiaconus utuntur casulis transversis hoc ritu; subdiaconus, antequam accipiat de altari librum epistolarum, casulam transversam exuit, & deponit in loco convenienti secundùm situm locorum, & lectâ epistolâ, resumit planetam; diaconus verò, antequam codicem evangelii collocet in medio altaris & dicat *Munda cor meum*, eodem modo casulam transversam deponit in loco convenienti, secundùm situm locorum, & post communionem celebrantis illam resumit, antequam missale à cornu evangelii tranferat ad cornu epistolæ. Ubi non habentur planetæ transversæ, diaconus ministrat cum albâ, stolâ & manipulo, subdiaconus verò cum albâ & manipulo.

6. In illis omnibus, epistola & evangelium leguntur ad aquilam, aut in alio chori loco sine cruce, exceptâ feriâ quartâ qua-

Digitized by Google

tuor temporum adventûs, in quâ leguntur in ambone.

7. Ad introitum, *Kyrie*, *Gloria in excelsis*, & *Alleluia*, choristæ deambulat à parte epistolæ. Ad offertorium, *Sanctus*, *Agnus Dei*, & communionem, deambulat à parte evangelii.

8. Post epistolam, graduale cantatur à choristâ in simplicibus ac feriis, exceptis simplicibus, quæ occurrunt à dominicâ septuagesimæ usque ad feriam quartam cinerum, in quibus graduale cantatur à puero ante aquilam, sicut & in feriis quadragesimæ, nisi aliter notetur. Tempore paschali primum *Alleluia* cantatur à choristâ.

9. *Alleluia* post graduale, in festis simplicibus, vel secundum *Alleluia* tempore paschali, cantatur à duobus pueris ante aquilam, in feriis extra tempus paschale ab unico puero.

10. In simplicibus, à dominicâ septuagesimæ ad feriam quartam cinerum, tractus ibidem cantatur à choristâ; in quadragesimâ verò, tractus *Domine non secundum peccata nostra* imponitur à choristâ, prosequente choro, nisi aliter notetur.

11. Quando missa celebratur ponè majus altare, diaconus, lecto evangelio, rectà pergit ad majus altare, genibus flexis in infimo gradu SS. Sacramentum trino ductu thurificat, deinde reliquias sanctorum & cætera ut suprà pag. 29. §. 5. n. 4.

12. Acolythus, postquam patenam in disco recepit à subdiacono, progreditur ad gradus majoris altaris, ubi stat in plano presbyterii, prope infimum gradum.

13. Ad *Osanna*, idem acolythus redit ad altare minus, ubi genua flectit, & cætera perficit, ut suprà art. 10. num. 2. & 3.

14. In missis de feriâ, tempore quadragesimæ, quando non fit, vel non sequitur festum novem lectionum, choristæ, post impositum *Sanctus*, per latus epistolæ pergit ad posteriorem partem bancæ, ante medium illius flectit genua, cæteris de choro genuflexis, & post *Pax Domini* paulò ante *Agnus Dei*, per latus evangelii ad medium ejusdem bancæ redit, & imponit *Agnus Dei*.

15. Quando pueri pacis instrumenta deferunt in chorum, choristæ utrumque pacis instrumentum à pueris oblatum successivè osculatur, deinde ab utroque thuriferario simul incensatur.

IN

Digitized by Google

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

17. *Unus macicotus tenet chorum in cappa. Cætera fiunt ut suprà cap. præced.*

CAPUT VIII.

De Missa, cui Diaconus & Subdiaconus ministrant cum unico Acolytho.

1. IN solemnibus-minoribus & suprà, celebrans, antequam exeat è vestiario, incensum more solito benedicit, eoque benedicto præcedentibus acolytho, qui thuriferarii munere fungitur, & ministris sacris, more solito, procedit ad altare.

2. Cum pervenerint ad altare, acolythus sistit se in plano ad gradum inferiorem à parte epistolæ, thuribulum & naviculam in eodem gradu deponit, bireta celebrantis, diaconi & subdiaconi accipit, & in loco debito collocat, redit ad locum suum prope thuribulum, ubi stans facit confessionem cum ministris, deinde cætera perficit quæ dicta sunt suprà cap. 2. pag. 80. art. 4.

3. Ante evangelium, acolythus benedictionem incensi more solito petit à celebrante, & diaconum de more thurificat postquam dixit *Initium* vel *Sequentia S. Evangelii.*

4. Dicto *Oremus* ante offertorium, acolythus pelviculam cum ampullis vini & aquæ, de credentia defert ad altare, deinde procedit in vestiarium, unde thuribulum defert ad altare.

5. Dum celebrans incensat oblata, acolythus ampullas, cum pelvi[illegible] & manutergio, refert ad credentiam: deinde missale amo[illegible]ab altari & cætera ut suprà, pag. 79. n. 9. posteà antequam celebrans redeat ad cornu epistolæ, pelviculam cum ampulla aquæ, & manutergio refert ad altare.

6. Post lotionem manuum celebrantis, subdiaconus ampullam aquæ cum pelvicula, & manutergio refert ad credentiam.

7. Ad elevationem SS. Sacramenti, non deferuntur faces, sed thurificatur more solito.

8. Cum celebrans dicit *Præceptis salutaribus moniti*, diaconus patenam velo cooperit, & tradit subdiacono. Cum celebrans cantat *Pater noster*, subdiaconus patenam discoopertam manu dextrâ, velo coopertâ, elevatam tenet usque ad *panem nostrum*; tunc que illam tradit diacono sine velo, ut suprà, pag. 99. n. 3. & velum refert super altare, ad partem evangelii.

9. Pax in chorum defertur ab acolytho sine incenso.

Digitized by Google

10. Post sumptionem pretiosi sanguinis, acolythus defert ampullas cum pelvicula ad altare, & ministrat subdiacono, & post ablutionem digitorum celebrantis, illas refert ad credentiam.

11. Post benedictionem datam à celebrante, acolythus tradit diacono bireta celebrantis & diaconi, deinde subdiacono tradit proprium.

12. In reliquis iidem ritus servantur, qui suprà secundum qualitatem festi.

CAPUT IX.

De Missa, cui ministrat solus diaconus, cum una acolythis.

1. Diaconus post acolythum incedens, præcedit celebrantem ad altare, à sinistris celebrantis genua flectit in infimo gradu altaris, deinde more solito respondet celebranti, & cætera more solito perficit.

2. Ad hymnum angelicum, sybolum, & *Sanctus*, & quoties celebrans sedet, diaconus à sinistris illius sedet.

3. Ad verba *Qui sedes ad dexteram Patris*, vel dum cantatur collecta, diaconus, accepto libro epistolarum, procedit ad locum epistolæ, ubi, finitâ collectâ, eodem ritu cantat epistolam, quo subdiaconus suprà page. 81. n. 1. & 2.

4. Lectâ epistolâ, diaconus redit ad altare, in solemnibus minoribus & suprà, manum celebrantis osculatur, librum in loco consueto collocat, & missale transfert ad partem evangelii, deinde in medio altaris ponit codicem evangeliorum, dicit *Munda cor meum*, accipit benedictionem, pergit ad locum evangelii, præcedente acolytho & legit evangelium, ritu solito.

5. Lecto evangelio, diaconus librum refert ad celebrantem, & illi porrigit ad osculandum, & cætera perficit more solito.

6. Ad offertorium, diaconus dat patenam celebranti, more consueto, calicem extergit, infundit vinum, petit benedictionem aquæ, deinde paululum aquæ instillat in calicem, acolytho ampullas ministrante.

7. Post thurificationem oblatorum, & SS. Sacramenti, diaconus celebrantem more solito thurificat, thuribulum reddit acolytho, moxque idem diaconus infundit aquam ad lotionem digitorum celebrantis.

8. Dum celebrans dicit *Præceptis salutaribus moniti*, diaconus patenam accipit de altari, sine velo, & stans pone celebrantem, ad verba *Pater noster*, eam elevatam tenet, more solito, usque ad verba *Et ne nos*, & cætera perficit more solito.

Digitized by Google

9. Dicto *Agnus Dei*, diaconus instrumentum pacis celebranti offert, deinde acolytho more solito : ibidem manens, detegit, vel tegit calicem, & vinum ad purificationem celebrantis infundit, posteà transfert missale ad cornu epistolæ, redit ad partem evangelii, ubi extergit & aptat calicem, & cætera more solito perficit.

10. Post benedictionem celebrantis, à sinistris illius genua flectit, & præcedens celebrantem revertitur in vestiarium.

11. In reliquis, iidem ritus servantur, qui suprà, secundùm qualitatem festi.

CAPUT X.

De Missa sine ministris sacris, sed cum duobus ceroferariis, & thuriferario.

1. ANte missam, calix collocatur super corporale extensum in medio altaris.

2. Ceroferarii, & thuriferarius, præter ea, quæ dicta sunt suprà, pag. 76. n. 4. stantes respondent celebranti ad psalmum *Judica*, & confessionem.

3. Finitâ incensatione altaris, thuriferarius genibus flexis celebrantem trino ductu thurificat ritu consueto.

4. Post collectam, thuriferarius legit epistolam in loco consueto, sed non osculatur manum celebrantis.

5. Circa finem gradualis, vel *Alleluia*, aut tractûs, sivè sequentiæ, celebrans accedit ad medium altaris, præsentatum ab acolytho incensum in navicula benedicit more solito, dicit *Munda cor meum*, deinde accedit ad cornu evangelii.

6. Interim thuriferarius, & ceroferarii acceduntad idem cornu infra gradus altaris, ibique thuriferarius firmat se à dextris primi ceroferarii, facie ad celebrantem conversâ.

7. Finito cantu, celebrans cantat *Dominus vobiscum*, deinde *Initium*, vel *Sequentia*, more solito, & à thuriferario stante incensatur, posteà prosequitur evangelium.

8. Post lectum evangelium, librum osculatur, & à thuriferario genibus flexis incensatur.

9. Post orat. *Veni sanctificator* celebrans oblata & altare incesat, in reliquis eodem modo se gerit, ac in missis sine cantu.

10. Si fiat communio, ceroferarii mappulam ministrant communicandis.

11. In fine missæ, celebrans cantat *Ite missa est*, vel *Benedicamus*.

Digitized by Google

12. Si dicendum sit *Flectamus genua*, celebrans illud cantat, genua flectit, & post brevem morulam surgens, cantat *Levate*.

CAPUT XI.

De Missa, cui ministrat unicus acolythus, vel laicus.

1. IN illa celebrans eadem agit, quæ dicta sunt suprà cap. 10.

2. Acolythus eadem agit, quæ dicta sunt de thuriferario eodem cap. & præterea stans à sinistris celebrantis, respondet illi ad psalmum *Judica*, & confessionem; laicus verò, genibus flexis, respondet celebranti; ad offertorium, lotionem manuum, purificationem, & ablutionem celebrantis, ampullas, & pelviculam ministrat.

3. In missis, quibus ministrat laicus, celebrans cantat epistolam, & non thurificatur.

CAPUT XII.

De Missa coram SS. Sacramento.

1. CElebrans crucem non defert ad altare.

2. Celebrans, & ministri ad ingressum chori detegunt caput etiam hyemali tempore, nec amplius illud cooperiunt per totam missam.

3. Confessio, & cætera fiunt more solito ut in solemnibus minoribus, præter ea quæ inferiùs notantur.

4. Cum accedit celebrans ad medium altaris, vel ab eo recedit, & antequam se convertat ad populum, genuflectit.

5. Ministri similiter genuflectunt, quoties ad medium altaris accedunt, vel ab eo recedunt, aliàs, si non moventur, non genuflectunt cum celebrante, verbi gratiâ ad *Orate fratres*.

6. Quando celebrans convertit se ad populum, secedit aliquantulum ad latus evangelii, ne terga vertat SS. Sacramento, sed ministri non genuflectunt, nec post illum recedunt à medio.

7. Ministri non osculantur manum celebrantis, nec catenulas thuribuli, nec cochlear, quando illa porrigunt celebranti, vel ab eo recipiunt.

8. Ad *Orate fratres*, celebrans convertit se ut suprà num. 6. sed non perficit circulum.

9. Post thurificationem altaris, celebrans more solito incen-

Digitized by Google

fatur à diacono, deinde descendit in planum à parte epistolæ, ubi stans facie versâ ad populum lavat manus.

10. Quando celebrans daturus est benedictionem, dicto *Benedicat vos omnipotens Deus*, genuflectit, deinde secedens aliquantulum ad latus evangelii ut suprà, num. 6. & stans facie ad populum non omninò conversâ, dat benedictionem dicens *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*, non perficit circulum, sed descendit in planum, & more solito revertitur in vestiarium.

11. Si evangelium ad altare lecturus sit, datâ benedictione, non perficit circulum ut suprà, sed versùs SS. Sacramentum se convertens, sine genuflectione pergit ad cornu evangelii, ubi ultimum incipiens evangelium se signat, & tabellam, vel missale, non autem altare: & cum dicit *Et Verbum caro factum est*, convertit se ad SS. Sacramentum, & genuflectit.

Digitized by Google

CÆREMONIALIS PARISIENSIS

PARS QUARTA.

DE RITIBUS SPECIALIBUS in Officiis proprii de tempore.

CAPUT PRIMUM.

De Tempore Adventûs.

1. A Veſperis ſabbati ante dominicam primam adventûs, uſque ad nativitatem Domini, hymni cantantur ſolemniter, & menſurâ gravi ad officium nocturnum, laudes, & veſperas. Miſſa de feria cantatur poſt ſextam.

ARTICULUS I.

De Dominica prima Adventûs.

1. UBi ad officium nocturnum, pro prima lectione legitur præfatio S. Hieronymi in Iſaiam prohetam, quæ incipit *Nemo cum prophetas*, illam legit dignior chori, niſi ſit celebrans, tunc enim illam legit dignior poſt illum. Pro ſecunda lectione legitur initium Iſaiæ prophetæ, duabus primis lectionibus aſſignatis in breviario in unam junctis.

2. Primum reſponſorium imponit unus ex ſenioribus ſacerdotibus annuntiante priùs choriſtâ ab eadem parte, deinde tres verſus & *Gloria Patri* ipſius cantat, & poſt reclamationem illud reſumit.

3. Poſt *Gloria Patri* noni reſponſorii, celebrans, annuntiatum priùs à choriſta ejuſdem partis idem reſponſorium reſumit, choro proſequente ſolemniter & menſurâ gravi. Idem obſervatur in aliis do-

Digitized by Google

minicis adventûs, in dominicis à ſeptuageſima uſque ad dominicam quartam quadrageſimæ incluſivè, in feſto SS. Innocentium, quando occurrit infra hebdomadam, ac in feſto quinque plagarum Domini noſtri Jeſu Chriſti.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

4. *Præfationem S. Hieronymi legit cancellarius ad aquilam, eoque abſente eamdem legit dignior poſt illum, & cætera ut ſuprà art.* 1. *num.* 1.

5. *Dum cantatur prima lectio, præcentor accedit ad ſtallum honoris ſui proprium, mox ſecundus choriſta annuntiat illi* 1. *reſponſorium* Aſpiciens *inclinans ante & poſt: finitâ lectione præcentor imponit* Aſpiciens, *tres verſus reſponſorii illius &* Gloria Patri *cantat, & in fine reſponſorii illud reſumit, eoque finito redit ad locum ſuum.*

6. *Præcentore abſente, primum reſponſorium eodem ritu cantatur à ſuccentore ſtante in ſtallo ſuccentoris. Utroque abſente cantatur à digniori poſt ſuccentorem ſtante in ſtallo ſuo.*

7. *Ante* Gloria Patri 9. *Reſponſorii præcentor redit ad ſtallum dignitatis, ubi per manet uſque ad finem laudum, moxque ſecundus choriſta annuntiat illi repetitionem reſponſorii.*

8. *Poſt* Gloria Patri, *præcentor reſumit nonum reſp. choro proſequente menſurâ gravi. Eodem ritu reſponſorium nonum reſumitur à præcentore in aliis dominicis adventûs, in feſto SS. Innocentium, quando infrà hebdomadam occurrit, ac etiam in dominicis à ſeptuageſima uſque ad dominicam quartam quadrageſimæ incluſivè, & in feſto quinque plagarum Domini noſtri Jeſu Chriſti: præcentore abſente, eadem repetitio reſponſorii imponitur à ſuccentore, vel utroque abſente, à digniore poſt ſuccentorem. In laudibus choriſtæ inclinant ante præcentorem, vel, eo abſente ante ſuccentorem, eodem ritu, quo in veſperis ſolemnium-minorum.*

ARTICULUS II.

De Feria quarta quatuor Temporum.

1. IN officio nocturno, prima lectio, quæ eſt de homilia in evangelium *Miſſus eſt*, legitur in ambone à diacono in dalmatica coloris albi, unà cum ſubdiacono in tunicella ejuſdem coloris, ceroferariis, & thuriferario, hoc ordine. Ad nonum pſalmum, diaconus, ſequentibus ſubdiacono, thuriferario, & ceroferariis, è choro ad veſtiarium proficiſcitur, ut ſacras veſtes induat. Dum incipit ultimus pſalmus, diaconus incenſum bene-

Digitized by Google

dicit in vestiario, deinde deferens librum evangeliorum ut in missa, chorum ingreditur præcedentibus thuriferario, ceroferariis, acolytho, qui defert librum lectionum cum absconsa, & subdiacono; ad ambonem sive ad aquilam procedit eodem ritu quo in missa.

2. Post absolutionem pronuntiatam à celebrante, diaconus, facie ad septentrionem versâ, & nudo capite cantat *Jube domne benedicere*, moxque celebrans benedictionem dicit, ut in breviario. Tum diaconus in cantu lectionum ordinario cantat *Lectio S. evangelii secundum Lucam*, deinde à thuriferario incensatur triplici ductu ut in missa. Posteà prosequitur lectionem, & in fine dicit *Tu autem Domine &c.* finitâ lectione revertitur in vestiarium eodem ordine. Interim pulsatur major campana ecclesiæ. Aliæ lectiones in eodem loco leguntur, facie versâ ad altare.

3. Si feria quarta quatuor temporum incidat in diem decimam quintam decembris, nona lectio legitur de homilia in evangelium *Missus est* à diacono eodem ritu, quo suprà.

4. Missa cantatur in paramentis coloris albi, & albis paratis. In illa, lectio, epistola, & evangelium cantantur in ambone, ut in semiduplicibus, vel ubi non est ambo, ad aquilam. Dum cantatur evangelium pulsatur major campana ecclesiæ.

5. Subdiaconus, qui lecturus est prophetiam, vel illius defectu lector, induit albam non paratam in vestiario cum aliis ministris, & ad altare procedit post ceroferarios.

6. Perveniens ad altare, à sinistris subdiaconi genua flectit cum aliis ministris, stat ad confessionem, pectus tundit, & se signat. Ad primum *Kyrie eleison* ascendit ad altare, librum epistolarum accipit, descendit in planum, ante medium altaris profundè inclinat, pergit ad ambonem, infrà bancam inclinat altari & choro, ascendit in ambonem, ubi, finitâ oratione, lectionem legit. Finitâ lectione, eodem ordine redit ad medium altaris, ubi inclinat, librum tradit subdiacono illi inclinans: iterum inclinat altari, & redit in vestiarium, ubi albam exuit, & in chorum revertitur. Si legit ad aquilam, inter altare & aquilam inclinat ante & post lectionem.

7. Ante primam collectam, diaconus stans ponè celebrantem, facie versâ ad altare, cantat *Flectamus genua*, moxque per moram, quam interponit, ipse & alii omnes, excepto celebrante, genua flectunt, deinde cantans *Levate* surgit, & cum illo omnes surgunt. Idem observatur quoties cantatur *Flectamus genua*.

Digitized by Google

8. Graduale poſt prophetiam imponitur à pueto. qui ejuſdem verſum cantat ad caudam aquilæ.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

9. *In officio nocturno, lectionem* Miſſus eſt *legit ſenior canonicus in dalmatica ut ſuprà, & pulſatur campana cui nomen* Gabrielle. *In miſſa prophetiam legit macicotus ſubdiaconus in alba ut ſuprà, & dum legitur evangelium pulſatur eadem campana.*

ARTICULUS III.

De Sabbato quatuor Temporum.

1. IN miſſa, primam lectionem legit ad aquilam ſubdiaconus in alba, eodem ritu quo ſuprâ feriâ quartâ, ſecundam, tertiam, & quartam reſpectivè legunt tres alii ſubdiaconi vel illorum defectu quatuor lectores in albis, quintam legit diaconus in alba, cum ſtola & manipulo violacei coloris.

2. Poſt quatuor primas lectiones totidem gradualia ſucceſſivè cantant ad aquilam ſinguli pueri. Canticum *Benedictus es* cantant in cappis violaceis duo ſubdiaconi, vel illorum defectu cantores, aut alii ſecundùm conſuetudinem locorum. Tractum poſt epiſtolam decantat tenens chorum.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

3. *Primam lectionem legit macicotus ſubdiaconus: 2. 3. & 4. tres beneficiati ſubdiaconi, & quintam beneficiatus diaconus ut ſuprà: canticum* Benedictus es *cantant duo macicoti ſubdiaconi, eodem ritu quo ſup.*

ARTICULUS IV.

De Antiphonis majoribus O.

1. A Die decima quinta decembris, uſque ad vigiliam natalis Domini, veſperæ cantantur menſurâ gravi: accenduntur ſex cerei, & non dicuntur preces.

2. In eccleſiis collegiatis antiphonas *O* ad *Magnificat* imponunt novem digniores chori hoc ordine: primam imponit ſacerdos qui eſt ſecundus à præpoſito: ſecundam tertius, tertiam quartus & ſic de reliquis: nonam verò imponit præpoſitus.

3. Circa finem hymni, choriſta hebdomadarius, in habitu chori ordinario, accedit ad bancam nudo capite, & altari inclinat: deinde dum cantatur verſiculus poſt hymnum, ſacerdoti, qui eſt in ordine, annuntiat antiphonam convenientem, cum ſolitis inclinationibus, & redit ad bancam.

Digitized by Google

4. Decantato versiculo post hymnum, sacerdos imponit antiphonam, quam chorus prosequitur usque ad finem.

5. Post impositam antiphonam, choristа deambulat à parte illius qui illam imposuit, inclinans de more in superiori & inferiori parte chori, & redit ad bancam.

6. Cantatâ antiphonâ, choristа conversus ad chorum ejusdem partis imponit canticum *Magnificat*, ad 1. versum caput tegit, & ab eadem parte deambulat.

7. Ad versum *Sicut locutus est*, choristа redit ad bancam; & dum chorus inchoat repetitionem antiphonæ, nudat caput, moxque deambulat ab altera parte chori, inclinans in superiori & inferiori parte chori ut suprà, caput operit & redit ad bancam.

8. Post versum *Sicut locutus est*, chorus repetit antiphonam integram, deinde cantat *Gloria Patri*.

9. Ad *Sicut erat* choristа, detecto capite, antiphonam annuntiat eidem; cui annuntiavit ante *Magnificat*, redit ad bancam, & caput tegit.

10. Post ℣. *Sicut erat*, sacerdos imponit eandem antiphonam, choro prosequente cum neumate in fine.

11. Impositâ antiphonâ, choristа operto capite deambulat à parte illius, cui illam annuntiavit, usque ad neuma exclusivè, tumque redit ad bancam, caput detegit, altari inclinat, & locum suum repetit.

12. Collecta cantatur ad aquilam à celebrante in habitu chori ordinario.

13. In vesperis sabbati, & dominicæ occurrentis, antiphona *O* eodem ritu cantatur, illam annuntiante, ante canticum, & ad ℣. *Sicut erat*, choristâ à parte imponentis illam. Choristæ ab utraque parte chori deambulant, sed non faciunt inclinationes.

14. In utriusque vesperis S. Thomæ apostoli, dum dicitur collecta de S. Thoma, choristа à parte sacerdotis, cujus est imponere antiphonam *O* pro commemoratione de adventu, illam annuntiat more solito, eâque impositâ, choristæ ab utraque parte chori deambulant. Finita antiphona idem choristа conversus ad chorum, imponit versum *Gloria*, choro ejusdem partis prosequente *Patri &c.* Finito versu, chorus antiphonam repetit deambulantibus choristis. Post decantatam antiphonam, chorus cantat ℣. *Sicut erat*, tumque idem choristа eamdem antiphonam eidem sacerdoti annuntiat. Finito versu *Sicut erat*, idem sacerdos eamdem imponit antiphonam *O*, choro prosequente, choristis deambulantibus, qui circa finem antiphonæ redeunt ad bancam, deindo idem choristа versiculum annuntiat puero.

Digitized by Google

15. In parochialibus ecclesiis, choristа indutus pluviali serico chorum moderatur: antiphonæ O omnes à celebrante imponuntur, annuntiante priùs eodem choristа.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

16. *Ante vesperas, clericus præcentoris almutiam ejusdem expandit super medium bancæ.*

17. *Ad vesperas, dignitates stant in stallis honoris sui propriis.*

18. *Pueri, priusquam antiphonas imponant, ante præcentorem, vel illo absente ante succentorem inclinant, eodem ritu quo in vesperis feriarum inclinant ante celebrantem. In vesperis sabbati, dominicæ, & utriusque vesperis sancti Thomæ, choristæ prinsquàm antiphonas annuntient, ante præcentorem, vel, illo absente, ante succentorem inclinant ritu qui descriptus est suprà in vesperis solemnium minorum.*

19. *Antiphonæ* O *ad* Magnificat *imponuntur à majoribus post D. Archiepiscopum, incipiendo à digniori.*

20. *Ad penultimam strophen hymni, clericus præcentoris acceptam è banca almutiam defert ad præcentorem, qui statim nudo capite almutiam in brachio sinistro deferens accedit ad tumbam æneam, ubi altari, & choro inclinat, per latus dextrum pergit ad medium bancæ, ubi altari iterum inclinat, deinde accedit ad illum, cujus est antiphonam imponere, annuntiat illi antiphonam cum solitis inclinationibus, redit ad bancam & cæteræ perficit ut suprà num. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 11.*

21. *Dum fit neuma antiphonæ, præcentor redit ad stallum præcentoriæ, inclinans infra tumbam æneam ut suprà, & almutiam reddit clerico.*

22. *Quando fit statio, mucisetus moderans chorum, vel choristæ in semiduplicibus & duplicibus imponunt responsorium conveniens & cætera more solito.*

23. *In vesperis sabbati & dominicæ, antiphona* O *eodem ritu decantatur; tuncque choristæ, dum cantantur antiphona* O, *&* Magnificat, *stant ad bancam, & solus præcentor deambulat in choro ut suprà numero* 5. *& sequentibus.*

24. *In utriusque vesperis S. Thomæ apostoli, post collectam de S. Thomæ, antiphona* O *pro commemoratione adventus cantatur hoc ordine. Dum cantatur oratio de S. Thomæ, præcentor eodem ritu, quo suprà, annuntiat antiphonam, deambulat à parte illius qui illam imposuit, ut suprà n.* 5.

25. *Finitâ antiphonâ, conversus ad chorum, imponit* ℣. Gloria,

Digitized by Google

choro prosequente Patri &c. *Finito versu, chorus repetit eandem antiphonam, moxque præcentor nudat caput, & ab altera parte chori deambulat ut suprà n. 7.*

26. *Dum cantatur versus* Sicut erat, *præcentor eodem ritu quo suprà, n. 9. annùntiat eandem antiphonam* O, *quæ dum cantatur, præcentor converso capite deambulat à parte illius, qui imposuit antiphonam. Ante finem antiphonæ redit ad bancam; circa finem ipsius antiphonæ detegit caput, versiculum verò annuntiat, redit ad bancam, & stallum præcentoriæ repetit, inclinans infra tumbam ut suprà*

27. *Antiphonam* O Pastor, *præcentor stans annuntiat D. Archiepiscopo, vel illo absente, digniori post illum.*

CAPUT II.

De Vigilia, & Festo natalis Domini nostri Jesu Christi ad aliud usque ad Septuagesimam.

ARTICULUS I.

De Vigilia natalis Domini.

1. OFficium cantatur mensurâ graviori. Idem observatur in vigiliis festorum annualium, & solemnium majorum.

2. Ad officium nocturnum sacerdos in habitu chori ordinario & stans in stallo suo cantat invitatorium & ps. *Venite.* In missa celebrans & ministri utuntur albis paratis, & paramentis coloris albi, sacerdos verò moderans chorum induit cappam ejusdem coloris.

3. Si vigilia natalis Domini occurrat in dominica, duo presbyteri cantant invitatorium, & Ps. *Venite* in cappis albis. In missa, *Alleluia* cantant duo alii presbyteri.

IN ECCLESIA METROPOLITANA

4. *Beneficiati sacerdotes eadem cantant quæ presbyteri suprà.*

ARTICULUS II.

De Festo natalis Domini.

1. POst primas vesperas, sacrista præparat in vestiario omnia necessaria ad officium nocturnum, & missam in galli-cantu.

2. Præparat etiam pro majori altari, & aliis altaribus vascula munda, & honesta, ad hoc tantùm destinata, ut in his reponatur ablutio digitorum ad primam, & secundam missam, sicque disponit omnia, ut nulla suboriatur confusionis occasio.

3. Ad

Digitized by Google

3. Ad officium nocturnum responsorium tertium cantant quatuor de invitatorio : alia responsoria cantant iidem qui in festis annualibus.

4. Circa finem noni psalmi, sacerdos, cujus est septimam lectionem legere, stolâ & cappâ ornatus, chorum ingreditur præcedentibus duobus ceroferariis : post solitas inclinationes ascendit in ambonem, vel accedit ad aquilam, more solito legit lectionem ceroferariis astantibus à dextris & à sinistris, eâque lectâ, redit in vestiarium præcedentibus iisdem ceroferariis : octavam & nonam lectionem alius sacerdos & celebrans respectivè legunt eodem ritu.

5. In quibusdam ecclesiis, sacerdotes, qui legunt easdem lectiones, induunt casulas & alia paramenta ut in missa, comitantibus illos diacono, subdiacono, ceroferariis & thuriferario, ut in missa.

6. Finito *Te Deum*, cantatur missa in galli-cantu, ritu solemni-minori. In illa sicut & in duabus aliis, dum in choro cantatur *Et incarnatus est*, celebrans genua flectit cum ministris, ut dictum est suprà parte 3. cap. 2. art. 6. num 16. fit etiam oblatio, & communio cleri, & populi.

7. In fine ejusdem missæ, & secundæ, celebrans non sumit purificationem; sed sumpto sanguine pretioso ac diligentiùs exhausto, dicit *Quod ore sumpsimus &c.* tum subdiacono fundente vinum & aquam, digitos abluit in vase ad id præparato, & non in calice, dicens *Corpus tuum Domine &c.* vinum autem hujus ablutionis servatur celebranti sumendum in tertia missa.

8. In hac, & secunda missa subdiaconus non extergit calicem, sed illum patena sine purificatorio operit, deinde pallâ & velo, atque hoc modo coopertum defert ad locum constitutum, vel ad credentiam, ubi supposito corporali propter sacras species, asservatur usque ad secundam missam : idem observat post secundam missam.

9. Cantatâ communione, primus choristа, more consueto, imponit primam antiphonam ad laudes, sedentibus interim celebrante & ministris.

10. Circa finem ultimi psalmi laudum, primus choristа accedit ad altare, ubi flexis genibus, celebranti annuntiat antiphonam ad *Benedictus*, eodem ritu quo *Gloria in excelsis* in missa.

11. Post decantatam quintam antiphonam laudum, celebrans surgit, imponit antiphonam ad *Benedictus*, posteà thuriferarii choristas & clerum incensant ab utraque parte chori, more solito.

12. Circa finem antiphonæ, celebrans & ministri redeunt ad

Digitized by Google

altare viâ longiori, &, finitâ antiphonâ, celebrans osculatur altare cantat *Dominus vobiscum*, & postcommunionem, deinde diaconus cantat *Ite missa est*, & sic missa & laudes simul terminantur.

13. Missa in aurora cantatur ritu solemni-minori, ante officium primæ.

14. Caveant diaconus & subdiaconus ne in hac & tertia missa purificatorio tergant calicem, antequam in eum infundant vinum & aquam pro oblatione.

15. Missa in die cantatur post tertiam ritu annuali, & ante illam fit processio solemnis, ordine infrà scripto.

16. Ad verba evangelii *Et verbum caro factum est*, diaconus genuflectit versùs librum, celebrans in ora supremi gradûs genua flectit conversus ad altare, chorus verò convertit se ad altare, & inclinat,

17. In missis sine cantu, præter ea quæ missæ solemni speciatim conveniunt, hæc diligenter attendenda. Primò, sacerdos tres hostias defert ad altare, unam super patenam, duas alias in bursa. Secundò, quamvis prima missa dicatur post auroram, ad *Communicantes* tamen dicendum *Noctem*; in secunda verò, & tertia dicendum *Diem* licet dicantur ante auroram. Tertiò, in prima & secunda sacerdos non sumit purificationem, sed exhausto diligentiùs toto sanguine dominico, calicem operit pallâ dicens *Quod ore*, deinde abluit digitos vino & aquâ in aliquo vase mundo & non in calice, & eos abstergit purificatorio dicens *Corpus tuum Domine*: post hæc purificatorium ponit ad dextram calicis, ablatâ pallâ, calicem tegit patenâ, quam hostiâ superpositâ cooperit pallâ & velo sine bursa, & relinquit corporale explicatum subtus calicem, si alias missas consequenter velit celebrare, nec ullas facit genuflexiones dum accedit ad medium altaris vel recedit, quamvis forsitan aliquæ species in vase remanserint, verùm eodem prorsus modo se gerit, ac si nullæ restarent.

18. Cum legerit ultimum evangelium in prima, & secunda missa, redit statim ad medium altaris, & factâ cruci debitâ inclinatione, descendit in planum, ubi profundè inclinat, deinde inchoat missam more solito.

19. In secunda, & tertia missa non extergit calicem ad offertorium antequam infundat vinum. In tertia missa sumit purificationem, & ablutionem, ut moris est, & curat cum ablutione in calicem infundi ablutionem primæ & secundæ missæ. In fine, loco ultimi evangelii, dicit evangelium Epiphaniæ *Cum natus esset Jesus.*

Digitized by Google

20. Qui hac die unicam tantum missam celebrat, si à mediâ nocte ad auroram celebret, dicit primam missam; si celebret circa auroram, dicit secundam; si in die, dicit tertiam.

21. Qui non dicit tres missas consequenter, peractâ communione, calicem cooperit patenâ, pallâ, & velo; finitâque missâ, & non priùs, plicat corporale, & in bursam cum purificatorio reponit, ac de cætero se gerit ut aliis diebus. In vestiarium reversus, calici supponit corporale propter reverentiam sacrarum specierum.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

22. *Ad officium nocturnum & missam in galli-cantu ministri utuntur paramentis rubeis; ad missam in aurora paramentis albis: ad missam in die & reliquum officium paramentis purpureis, iisque pretiosissimis.*

23. *Ad officium nocturnum, tertium responsorium cantant quatuor de invitatorio, quartum duo macicoti subdiaconi, quintum duo beneficiati subdiaconi, sextum duo macicoti diaconi: lectiones tertii nocturni leguntur ut suprà num.* 4.

24. *Ad missas in galli-cantu, & in aurora, ministrant quatuor induti tantum: epistola, ac evangelium cantantur ad aquilam sine cruce:* Alleluia *cantant duo pueri ad rostrum aquilæ.*

25. *Post tertiam fit processio ordine, qui dicetur infrà.*

26. *Ad vesperas, circa finem collectæ præcentor antiphonam de S. Stephano annuntiat seniori canonico diacono à quacunque parte stet, deinde post* Benedicamus *idem diaconus illam imponit, choro prosequente mensura gravi.*

27. *Quando celebrat D. Archiepiscopus, nonam lectionem legit more solito, duobus pueris faces accensas ante illum sustinentibus.*

ARTICULUS III.

De festo sancti Stephani & aliis usque ad festum S. Genovefæ.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

1. *AB hac die usque ad festum Circumcisionis exclusivè interrumpitur ordo hebdomadarum, & singulis diebus mutantur celebrans & ministri. Idem observatur in quibusdam aliis ecclesiis.*

2. *In festo S. Stephani, ad officium nocturnum, octavam lectionem legit decanus, qui die sequenti debet missam celebrare, & nonam D. Archiepiscopus. Quatuor diaconi beneficiati cantant invitatorium*

Digitized by Google

ad laudes & vesperas antiphona imponuntur à canonicis diaconis. In missa quatuor beneficiati diaconi cantant Alleluia, *cum versu sequenti: ad vesperas, antiphonam pro commemoratione sancti Joannis imponit decanus, annuntiante primo choristâ. Decano absente, dignior sacerdos post illum eandem antiphonam imponit, annuntiante choristâ à parte illius qui illam imponit.*

De festo S. Joannis Evangelistæ.

3. *Invitatorium cantant quatuor beneficiati sacerdotes. Octavam lectionem cantat canonicus qui debet missam die sequenti. Ad laudes & vesperas antiphona imponuntur à beneficiatis sacerdotibus. Ad missam, epistolam & evangelium legunt respectivè duo sacerdotes.* Alleluia *cum versu sequenti cantant quatuor beneficiati sacerdotes. Ad vesperas, antiphonam pro commemoratione sanctorum innocentium imponit minimus puerorum, annuntiante primo choristâ.*

De festo SS. Innocentium.

4. *Pueri cantant invitatorium & funguntur officio choristarum. Octavam lectionem cantat canonicus qui debet missam die sequenti. Quando festum occurrit in dominica, ad missam quatuor pueri in cappis laneis cantant* Alleluia *cum versu sequenti.*

5. *Die 29. decembris, octavam lectionem legit beneficiatus sacerdos, qui debet missam die sequenti.*

6. *Die trigesimâ decembris, octavam lectionem legit beneficiatus sacerdos, qui debet missam die sequenti.*

7. *Die trigesimâ primâ decembris, octavam lectionem legit diaconus beneficiatus.*

8. *In festo Circumcisionis Domini, ad secundas vesperas antiphonam pro commemoratione S. Stephani imponit senior ex canonicis diaconis, annuntiante choristâ ejusdem partis.*

9. *In octava S. Stephani, invitatorium cantant duo macicoti diaconi: in missa,* Alleluia *cum versu sequenti cantant duo alii macicoti diaconi.*

10. *Ad primas vesperas S. Genovefæ, antiphonam pro commemoratione octavæ S. Joannis imponit decanus stans in stallo honoris sui: absente decano eandem imponit dignior sacerdos post illum, eodem ritu quo suprà in festo S. Stephani.*

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

De festo sanctæ Genovefæ.

IN ECCLESIA METROPOLITANA, fit processio ad S. Genovefam in monte, hoc ordine.

1. *CLericus fabricæ curat transferri ad monasterium S. Genovefæ quatuor cappas, quarum una sit auro intexta pro beneficiato choristæ, & tres aliæ minus pretiosæ pro tribus beneficiatis, qui debent cantare* Alleluia *in missa.*

2. *Eundo cantantur responsoria ut in processionali. Processio intrat per minorem portam claustri, & rectâ pergit in capitulum, ubi cantatur tertia; deinde clerus ecclesiæ metropolitanæ procedit ad ecclesiam & chorum per januam meridionalem, sistit se in stallis superioribus & inferioribus à parte epistolæ, canonicis regularibus S Genovefæ stantibus à parte evangelii.*

3. *Missam celebrat abbas S. Genovefæ, ministrantibus illi canonicis ejusdem basilicæ.*

4. *Chorum tenent in cappis unus ex beneficiatis ecclesiæ metropolitanæ à parte epistolæ, & præcentor S. Genovefæ à parte evangelii.*

5. *Choristæ ecclesiæ metropolitanæ, & præcentor S. Genovefæ imponunt introitum* Gaudens gaudebo *ut in missali, quem chorus S. Genovefæ integrum prosequitur, sicut & psalmum & ℣.* Gloria Patri *& repetitionem ejusdem introitûs. Dum cantatur introitus, ante & post psalmum choristæ ab utraque parte chori deambulant.*

6. *Ad primum* Kyrie eleison *pulsantur organa, secundum canitur à choro ecclesiæ metropolitanæ, ad tertium pulsantur organa. Primum* Christe eleison *cantatur à choro S. Genovefæ; ad secundum pulsantur organa, tertium cantatur à choro ecclesiæ metropolitanæ; ad primam repetitionem* Kyrie *pulsantur organa, secundam cantat chorus S. Genovefæ, & ad ultimam pulsantur organa.*

7. *Choristæ B. Mariæ, genibus flexis, more solito, annuntiat celebranti hymnum* Gloria in excelsis, *quem canonici S. Genovefæ prosequuntur alternatim cum organis.*

8. *Lectâ epistolâ, graduale imponunt, & versum illius concinunt ad aquilam tres canonici S. Genovefæ in cappis, prosequente choro S. Genovefæ, deinde* Alleluia, *cum versu sequenti concinunt tres beneficiati subdiaconi ecclesiæ metropolitanæ in cappis, inter altare & aquilam, prosequente choro beatæ Mariæ.*

9. *Prima strophe prosæ cantatur ab organis, secunda à choro bea-*

Digitized by Google

tæ Mariæ, tertia ab organis, quarta à choro S. Genovefæ, quinta ab organis, sexta à choro B. Mariæ, & sic de reliquis.

10. Post evangelium, soli celebranti ad osculum exhibetur liber evangeliorum, & incensum datur.

11. Inceptum à celebrante symbolum prosequitur chorus B. Mariæ.

12. Choristæ imponunt offertorium, prosequentibus organis.

13. Post præfationem, cantatur Sanctus à choro S. Genovefæ alternatim cum organis.

14. Ad elevationem sanctissimi sacramenti, chorus beatæ Mariæ cantat O salutaris, deinde ad Benedictus organa pulsantur.

15. Ad primum & tertium Agnus Dei pulsantur organa, secundum cantatur à choro S. Genovefæ, imponentibus choristis.

16. Antiquior puerorum chori ecclesiæ metropolitanæ à parte epistolæ, & acolythus S. Genovefæ à parte evangelii, pacis instrumenta ante pectus deferentes, ea primùm choristis ad osculum respectivè exhibent, deinde reliquis de choro.

17. Advertat acolythus ecclesiæ metropolitanæ, ut pacis instrumentum offerat ad osculandum primùm choristæ ecclesiæ metropolitanæ, deinde decano, dignitatibus, & canonicis sacerdotibus, ac diaconis, tertio beneficiatis sacerdotibus, & diaconis, prout sedent in superioribus stallis, quarto canonicis subdiaconis, & beneficiatis subdiaconis, & aliis prout sedent in inferioribus stallis, denique capellanis macicotis, canonicis in minoribus, & pueris prout sedent in scamnis, incipiendo à parte superiori versùs altare, & redeundo versùs ambonem, usque ad minimum puerorum.

18. Communionem imponunt choristæ, & complet chorus S. Genovefæ.

19. Versum Domine salvum fac Regem cantat chorus beatæ Mariæ.

20. Post missam, chorus beatæ Mariæ cantat antiphonam de S. Genovefa, versiculum cantant pueri, & orationem hebdomadarius beatæ Mariæ ad aquilam.

21. Redeundo cantantur litaniæ sanctorum. Processione in chorum reversâ finis imponitur litaniis; cantatur antiphona de B. Maria, imponente clerico præcentoris: versiculum concinunt pueri. Interim hebdomadarius è stallo suo descendit ad bancam, ubi stans collectam dicit memoriter: si verò illam recitat ex libro, eandem cantat stans ad aquilam. Idem observatur in fine aliarum processionum, nisi aliter notetur.

22. Ad 2. vesperas S. Genovefæ, antiphonam pro commemoratione octavæ SS. Innocentium imponit minimus puerorum, annuntiante primo choristâ.

Digitized by Google

23. *In octava SS. Innocentium, chorum tenent duo pueri. Ad missam* Alleluia *canunt alii duo pueri in cappis laneis.*

Articulus V.

De festo Epiphaniæ Domini.

1. AD officium nocturnum non dicuntur *Domine labia, Deus in adjutorium*, invitatorium, psalm. *Venite* & hymnus, sed dictis secretò, *Pater, Ave* & *Credo*, primus choristà absolutè imponit antiphonam *Afferte*, moxque unus è sacerdotibus à parte dextra chori, imponit psalmum more solito.

2. In primo nocturno nulla fit thurificatio.

3. In secundo nocturno SS. Sacramentum, reliquiæ & chorus incensantur, præterea in ecclesia metropolitana canonici *in minoribus* & pueri incensantur: in tertio incensantur SS. Sacramentum & chorus tantùm.

4. In missâ, ad verba evangelii *Et procidentes adoraverunt eum*, diaconus genuflectit versùs librum, celebrans genua flectit in ora supremi gradûs, conversus ad altare, & chorus convertit se ad altare inclinans.

5. Lecto evangelio, diaconus stans in eodem loco, in quo cantavit evangelium, convertit se ad altare, & annuntiat diem S. Paschæ cantans, *Noverit caritas vestra &c.* ut in missali, deinde more solito redit ad altare.

CAPUT TERTIUM.

De Septuagesima, & aliis usque ad feriam quartam cinerum.

Articulus Primus.

De Dominica Septuagesimæ.

1. SAbbato ante Septuagesimam, ad missam additur *Alleluia* in fine communionis tantùm. Ad vesperas, si sint de sabbato, in fine quintæ antiphonæ cantatur *Alleluia* cum neumate in fine, si verò vesperæ sint de festo duplici & suprà, in fine antiphonæ ad Magnificat additur *Alleluia*. Et deinceps usque ad pascha, post *Deus in adjutorium* in principio horarum, loco *Alleluia* cantatur *Laus tibi Domine rex æternæ gloriæ.*

2. Dominicâ septuagesimæ, ad officium nocturnum, ubi pro prima lectione legitur præfatio sancti Hieronymi in Pentateuchum, quæ incipit *Desiderii mei*, illam legit dignior chori, nisi celebret, tunc enim legitur à digniori post illum. Pro secunda

Digitized by Google

lectione legitur initium Geneſis, duabus primis lectionibus, quæ aſſignantur in breviario, in unam junctis.

3. Ab hac die uſque ad Paſcha, in dominicis & feſtis, ad miſſam, poſt graduale, loco *Alleluia* cantatur tractus hoc ritu: in duplicibus & ſuprà, quatuor in cappis ſtantes inter aquilam & bancam tractum concinunt, eoque decantato, ad utramque partem chori ſecedunt, & ad latera graduum, qui ſunt è regione aquilæ ſe ſiſtunt in plano, primi quidem versùs altare, & alii versùs ambonem. Cum illuc pervenerint, faciem vertentes ad ſuam quiſque chori partem, convertunt ſe ad ambonem. Ad verba *Gloria tibi Domine*, eodem modo vertunt ſe ad altare. Deinde ſimili modo vertunt ſe ad ambonem & audiunt evangelium, quo lecto, accedunt ad ſuperiorem chori partem, ubi altari, & choro inclinant de more, & in veſtiarium revertuntur: ubi evangelium legitur ad aquilam, ad illam converſi audiunt evangelium ut ſuprà.

4. In ſemiduplicibus, & dominicis, duo in cappis concinunt tractum niſi aliter notetur, & completo tractu, ſecedunt ut ſuprà, & ſtantes ad latera graduum, qui ſunt è regione aquilæ versùs altare, audiunt evangelium, & cætera perficiunt ut ſuprà.

5. In ſimplicibus occurrentibus à dominica ſeptuageſimæ ad feriam quartam cinerum, tractus cantatur à choriſta ſolo.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

6. *Ad officium nocturnum, pro prima lectione, cancellarius, vel, illo abſente, dignior poſt illum legit prafationem S. Hieronymi in Pentateuchum, ut ſuprà num. 2.*

7. *Ab hac dominica ad dominicam quinquageſimæ, poſt laudes matutinas, quando officium fit de feria, antiphona de B. Maria cantatur extra chorum, ante capellam B. Mariæ.*

8. *Tractum in miſſa cantant in duplicibus quatuor beneficiati, eoque cantato, ad utramque partem chori ſecedentes, ſiſtunt ſe ad ſcamna puerorum, primi inter ſecundam & tertiam ſedem puerorum, & alii inter gradus adverſos aquilæ & quartam ſedem puerorum & cætera ut ſuprà num. 3.*

9. *In Semiduplicibus, tractum cantant duo macicoti, qui poſt cantatum tractum, ab utraque parte chori ſiſtunt ſe inter ſecundam & tertiam ſedem puerorum & cæteraut ſuprà num. 3.*

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De Dominica Quinquagesimæ.

1. ANte missam fit processio ecclesiarum urbis & suburbiorum, ad ecclesiam metropolitanam, pro obtinenda indulgentia vescendi lacticiniis tempore quadragesimæ, hoc ordine.

2. Paratis omnibus, choristа hebdomadarius imponit responsorium *Creavit Deus*, moxque proceditur; deinde in via (si necesse sit) ante versum ejusdem responsorii interseruntur septem psalmi pœnitentiales, aut aliquot ex iis tantùm, secundùm itineris longitudinem.

3. Processione ingressâ in ecclesiam metropolitanam, fit statio in navi: cantatur *Ave regina cælorum* cum versu, & oratione, ut in processionali; deinde clerus progreditur in silentio per circuitum chori, à latere septentrionali redeundo per latus meridionale. Quando festum purificationis celebratur feriâ secundâ post dominicam, vel ipsâ dominicâ quinquagesimæ, loco antiphonæ *Ave regina* cantatur antiphona *Alma*.

4. In egressu ecclesiæ metropolitanæ cantantur litaniæ sanctorum, & postquam clerus propriam ecclesiam ingressus fuerit, pueri cantant in choro versum *Circumdederunt*, & celebrans orationem *Preces populi*, ut in processionali.

CAPUT IV.

De Feria quarta cinerum.

1. HOrâ convenienti ante benedictionem cinerum, sacrista scamnum oblongum vel mensam præparat in presbyterio ante medium altaris: Illam operit tapete vel panno cujus pars anterior tres vel quatuor pedes pavimenti operiat. Deinde superextendit mappam albam. Super illam ponet 1. missale suppositо pulvino, 2. à dextris missalis stolam nigri coloris, 3. inter missale, & stolam ponet in vase argenteo cineres de combustis ramis palmarum, sive aliarum arborum præcedenti anno in dominica palmarum benedictis, aut ex ornamentis benedictis vetustate attritis, & vas aquæ benedictæ, cum aspergillo. In quibusdam locis, ut in ecclesia metropolitana, supra dicta omnia collocantur super bancam.

2. Post sextam, celebrans stolâ nigri coloris super vestem chori ordinariam, ornatus accedit ad mensam, medius inter duos clericos, genua flectit facie ad altare conversâ.

3. Paratis omnibus, choristа hebdomadarius imponit sine cantu

Digitized by Google

antiphonam *Intret*, moxque chorus flexis genibus, alternatim distinctè cantat recto vocis tono, septem psalmos pœnitentiales, ordine qui descriptus est in missali.

4. Post singulos psalmos, celebrans surgit, & nudo capite cantat versus & orationes ex missali, quod ante illum sustinent duo clerici.

5. Finitâ oratione *Precor Domine &c.* prostratis omnibus & nudo capite, celebrans cooperto capite stans conversus ad populum, & manu extensâ super illum cantat altâ voce absolutionem, ex libro quem sustinent ante illum clerici.

6. Post factam absolutionem, surgunt omnes, celebrans in eodem loco stans detecto capite, facie conversâ ad altare, cineres benedicit, cantans *Dominus vobiscum* & orationes *Deus qui non mortem*, & *Omnipotens sempiterne Deus &c.* ut in missali; iisque finitis, cineres ter aspergit aquâ benedictâ.

7. Factâ cinerum benedictione, dignior sacerdos, impositâ collo stolâ nigrâ super habitum chori, accedit ad locum ubi facta est benedictio, & stans nudo capite cineres in modum crucis imponit capiti celebrantis, stolâ suâ etiam ornati, & genuflexi dicens *Memento homo.* Deinde depositâ stolâ genua flectit ante celebrantem, qui ipsi stans in eodem loco cineres imponit ac reliquis de clero genuflexis, qui inclinant ante & post, deinde populo per ordinem eodem ritu imponit.

8. Dum cineres imponuntur, cantatur antiphona *Exaudi nos* cum psalmo *Salvum me fac Deus*, imponente choristâ hebdomadario, & ubi propter multitudinem populi diutiùs durat impositio cinerum, post versum *Salvum me fac Deus*, repetitur antiphona *Exaudi nos*: deinde continuantur eodem ritu reliqui versus ejusdem psalmi, & post singulos versus repetitur eadem antiphona, donec finita fuerit cinerum impositio, sub cujus fine additur ℣. *Gloria Patri*, & *Sicut erat* unico versu; tum repetitur antiphona *Exaudi.*

9. Deinde celebrans stans in loco ubi cineres benedicit absolutè cantat *Oremus*, & orationem *Deus qui humilitate flecteris.*

10. Postea fit processio per circuitum ecclesiæ, intra ipsam ecclesiam, & cantatur responsorium *Emendemus*, ut in processionali.

11. Processione in chorum ingressâ, omnes genua flectunt, cantatur *Kyrie eleison* cum *Pater noster*, versibus, & oratione, ut in processionali. Tum cantatur nona, deinde missa.

12. Ubi major est populi concursus, dum cineres imponuntur in choro, unus vel plures sacerdotes, cum stolis nigris penden-

Digitized by Google

tibus ante pectus, imponunt cineres in locis constitutis, clerico à dextris cujuslibet sacerdotis vas tenente.

13. In minoribus ecclesiis, celebrans ministrante clerico, cineres benedicit ut suprà, deinde, si nullus alius adsit sacerdos, genua flectit & cineres sibi imponit nihil dicens: posteà stans cineres imponit clericis & populo ut suprà.

14. Ab hac die usque ad feriam quartam majoris hebdomadæ, in missis de feriâ ministri utuntur planetis transversis.

15. Graduale imponitur à puero, choro prosequente; versum etiam gradualis imponit idem puer, choro prosequente & complente.

16. Tractus *Domine non secundùm* imponitur à choristâ, choro dextræ partis prosequente primum versum, secundus versus canitur ab altero choro, tertius ab utroque.

17. Ad versum *Adjuva nos Deus*, celebrans in infimo gradu altaris genua flectit, & chorus convertit se ad altare. Idem observatur feriâ secundâ, quartâ, & sextâ cujuslibet hebdomadæ, usque ad feriam quartam majoris hebdomadæ exclusivè, nisi aliter notetur.

18. Ante orationem super populum, dum celebrans dicit *Oremus*, diaconus convertit se ad populum, faciem vertens ad partem epistolæ, deinde junctis manibus cantat *Humiliate capita vestra Deo*, moxque convertit se ad altare per eandem viam.

19. Iidem ritus observantur in missis de feriâ usque ad feriam quartam majoris hebdomadæ.

20. Quando missa celebratur sine diacono, celebrans cantat *Humiliate capita vestra Deo*, & non convertit se ad populum.

21. Ab hac die usque ad pascha, vesperæ cantantur quotidie ante comestionem, exceptis dominicis.

22. In ecclesiis, ubi cantantur duæ missæ, quando occurrit festum novem lectionum, prima missa de festo cantatur post tertiam, ritu convenienti, secunda verò de feriâ post nonam, ritu feriali.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

23. *Post sextam, decanus stolam nigri coloris super habitum chori ordinarium assumit, ministrante vicario suo, medius inter eundem vicarium suum, & clericum præcentoris genua flectit ponè bancam. Illo absente præcentor, vel in ejus absentia dignior sacerdos chori medius inter clericum præcentoris & alium clericum genua flectit ponè bancam.*

24. *Paratis omnibus præcentor vel ejus clericus imponit anti-*

Digitized by Google

phonam Intret, moxque omnibus genuflexis cantantur alternis recto vocis tono septem psalmi pœnitentiales cum versiculis & orationibus, ut suprà num. 3. & 4.

25. Dum datur absolutio, pœnitentes publici, si qui sint, in vestibulo ecclesiæ jacent prostrati.

26. Post factam absolutionem, benedicuntur cineres ponè bancam, eodem ritu quo sup. n. 6. illisque benedictis, præcentor, vel illo absente, dignior sacerdos chori, impositâ collo à clerico præcentoris stolâ nigrâ, ascendit ad stallum dignitatis decani, & stans nudo capite, decano nudo etiam capite & super gradum stalli inferioris genuflexo cineres imponit in modum crucis dicens Memento homo &c. deinde descendit. Tum decanus surgit, ascendit ad idem stallum & nudo capite stans, cineres eodem modo imponit præcentori nudo capite & super eundem gradum genuflexo & aliis de clero à parte dextrâ, genuflexis in eodem gradu, ac etiam populo, dicens cuilibet Memento homo &c.

27. Interim præcentor, vel illo absente, dignior sacerdos post illum nudo capite & stolâ nigrâ ornatus ascendit ad stallum dignitatis præcentoris, ibique stans cineres similiter imponit clero à parte sinistrâ super gradum stalli inferioris genuflexo, ac etiam populo, cuilibet dicens Memento homo.

Quando D. Archiepiscopus cineres benedicit.

28 Post sextam, D. Archiepiscopus stolâ, & pluviali nigris, & mitrâ albâ ornatus, sinistrâ baculum pastoralem gerens & dextrâ benedicens populum, è vestiario procedit in chorum, præcedentibus capellano, qui defert crucem archiepiscopalem in habitu chori ordinario, & pueris ceroferariis, accedit ad bancam; omnes genua flectunt videlicet; ponè bancam pontifex medius inter capellanos suos; inter aquilam & bancam crucifer à sinistris, & pedifer à dextris, facie ad D. archiepiscopum versâ; ceroferarii verò ad oram utramque bancæ facie ad se invicem versâ, dicuntur septem psalmi pœnitentiales ut suprà. Post singulos psalmos D. archiepiscopus surgit, & mitrâ depositâ dicit versiculos & orationes. Finitâ oratione Precor Domine, omnes nudant caput, D. archiepiscopus mitram assumit & manu extensâ super populum altiori voce cantat absolutionem ut in missali: deinde cantat Sit nomen Domini, & genuflexis omnibus, more solito solemnem dat benedictionem. Posteà mitram deponit, & cineres benedicit ut sup. deinde accedit ad stallum, quod subest stallo dignitatis decani, mitram deponit & super gradū ejusdem stalli inferioris genua flectit. Interim decanus, vel illo absente, dignior sacerdos accedit ad stallum decani, ubi stolâ nigrâ

Digitized by Google

ornatus, & ſtans nudo capite, cineres imponit D. archiepiſcopo dicens Memento homo, moxque deſcendit in planum. D. archiepiſcopus ſurgit, mitram aſſumit, aſcendit in ſtallum decani, eique ſuper gradum ejuſdem ſtalli inferioris genuflexo cineres imponit, & aliis ab eadem parte ſuper eundem gradum genuflexis. Decanus verò poſt acceptos cineres ſurgit, D. archiepiſcopo. Profundè inclinat, & aſſumptâ ſtolâ aſcendit in ſtallum præcentoris; ubi ſtans nudo capite, clero & populo ſuper ſtallum gradûs inferioris genibus flexis & nudo capite cineres imponit ut ſuprà. Denique D. archiepiſcopus redit in veſtiarium, ubi veſtes pontificales exuit.

In eadem Eccleſia Metropolitana.

29. Poſt impoſitionem cinerum, habetur concio ad populum; eâque finitâ, fit proceſſio ad eccleſiam ſancti Chriſtophori hoc ordine.

30. In choro, clericus præcentoris imponit antiphonam Exaudi nos, proſequente choro; deinde pſalmum Salvum me fac Deus, & ℣. Gloria, & iterum imponit eandem antiphonam: poſteà hebdomadarius cantat ad aquilam orationem Actiones.

31. Dictâ oratione, idem clericus imponit ℟. Emendemus, moxque proceditur ad S. Chriſtophorum, macicoto in alba cineres in vaſe argenteo deferente ponè crucem.

32. Cum pervenerit proceſſio in chorum S. Chriſtophori, hebdomadarius genibus flexis ante altare cantat Kyrie eleiſon cum verſibus ſequentibus & oratione Preces noſtras &c.

33. Deinde cantatur antiphona de S. Chriſtophoro, cum verſu, & oratione, quam celebrans cantat ad aquilam, eâque dictâ proteſſio redit in eccleſiam metropolitanam, per januam ſeptentrionalem cantans ℟. Tu Domine, poſtea choriſta macicoti imponunt antiphonam Ave regina cœlorum pro ſtatione quotidiana qua fit in choro.

34. Interim D. archiepiſcopus, vel eo abſente, pœnitentiarius brevem concionem habet ad populum, deinde, ſi qui ſint pœnitentes, ducit illos ad majorem portam eccleſiæ, impoſitoque capitibus eorum cinere, illos ejicit, & claudit januam, ſcholâ cantante ℟. In ſudore, & Ejecit Dominus Adam.

Digitized by Google

CAPUT V.

De tempore Quadragesimæ.

1. SAbbato præcedente dominicam primam quadragesimæ, ante vesperas velantur omnes imagines, & cruces, illis exceptis, quæ in processionibus deferuntur, & in altari collocantur.

2. A vesperis hujus sabbati usque ad vesperas feriæ quartæ majoris hebdomodæ exclusivè, hymni cantantur solemniter, & mensurâ gravi in officio nocturno, laudibus, vesperis & completorio.

3. Dominicâ primâ quadragesimæ, ad missam tractum cantant quatuor in cappis, stantes ante aquilam, inter duos choristas, unâ cum ipsis choristis hoc ordine. Primum versum cantant sex insimul, secundum duo qui stant à parte dextra, tertium duo, qui sunt in medio, quartum qui sunt à læva parte, reliquos versus cantant eodem ordine bini & bini alternis; ultimum verò sex insimul: finito tractu, quatuor qui cum choristis decantaverunt tractum, ad utramque partem chori secedunt, ut sup. cap. 3. art. 1. num. 3.

Eodem ritu tractus cantatur in ecclesia metropolitana à quatuor macicotis unà cum choristis.

4. Ubi non suppetit sufficiens numerus capparum, tractus cantatur à sex de choro in habitu chori ordinario, & eodem ritu quo suprà. In minoribus ecclesiis cantatur à duobus in cappis, unà cum choristis. In minimis imponitur à choristis, choro prosequente alternis, & idem observatur Dominicâ in ramis palmarum.

5. Feriâ 2. infra hebdomadam 1. quadragesimæ, ante officium nocturnum inter altare & chorum expanditur majus velum, quo prospectus altaris impediatur per totam quadragesimam in feriali officio, exceptâ missâ, à cujus principio reducitur, eâque finitâ mox expanditur. Eodem modo reducitur à vesperis sabbati usque ad completorium dominicæ sequentis inclusivè, quoties fit officium de festo semiduplici & suprà, & quoties missa cantatur de defunctis.

6. Eadem die, & in reliquis feriis quadragesimæ, usque ad vesperas feriæ quartæ majoris hebdomadæ exclusivè, quando fit officium de tempore, ad versum *Deus in adjutorium* in principio cujuslibet horæ, qui stant in stallis inclinantes illa osculantur, cæteri prostrati osculantur terram.

7. Eodem tempore, ad missam de feria, omnes in choro

Digitized by Google

flectunt genua ab elevatione sanctissimi sacramenti usque ad primum *Agnus Dei*, nisi eâdem die, aut sequenti, fiat de festo novem lectionum.

8. Feriâ quartâ quatuor temporum, ad Missam omnia fiunt eodem ordine, quò feriâ quartâ quatuor temporum adventûs. Tractum post Epistolam decantat Choristа.

9. Sabbato Quatuor temporum, ad Missam omnia cantantur eodem ordine quo sabbato quatuor temporum adventûs.

10. Feriâ quartâ infrà hebdomadam quartam Quadragesimæ, ad Missam, Lectio & Graduale post illam cantantur eodem ordine quo feriâ quartâ quatuor temporum adventûs, exceptis quæ sequuntur. Graduale post Epistolam imponitur à Choristа qui Versum illius cantat: Tractus verò imponitur à Sacerdote dextræ partis Chori, cui Choristа illum priùs annuntiaverit. In fine Evangelii ad verba : *Et procidens adoravit eum*, Diaconus genuflectit versùs librum, Celebrans in ora supremi gradûs genua flectit conversus ad altare, & Chorus convertit se ad altare.

CAPUT VI.

De tempore Passionis.

1. A Completorio sabbati ante Dominicam Passionis, usque ad Nonam feriæ quartæ majoris Hebdomadæ, quando officium fit de tempore, etiam in festo Compassionis beatæ Mariæ, Responsoria brevia Horarum & Completorii cantantur sine ℣. *Gloria Patri*, sed ejus loco qui cantavit Responsorium, illud repetit usque ad mediationem.

2. Ad Officium nocturnum, non cantatur *Gloria Patri* in fine psalmi *Venite exultemus*, sed loco illius repetitur Invitatorium integrum. In Responsoriis etiam, non dicitur *Gloria Patri*.

3. Dominicâ Passionis, in Compassione beatæ Mariæ, Dominicâ Palmarum, & triduo ante Pascha, in fine noni Responsorii omittitur *Gloria Patri*, & loco illius Celebrans resumit Responsorium, annuntiante priùs Choristâ à parte ipsius.

4. In fine Antiphonæ *Asperges*, non dicitur *Gloria Patri*; sed loco illius, si non sufficiat primus Psalmi Versus, dicitur secundus, vel etiam tertius, quartus & quintus, in quorum fine repetitur antiphona *Asperges* usque ad Psalmum.

5. Ad Missam de Tempore, & de Compassione beatæ Mariæ, non dicitur psalmus *Judica me Deus*; sed sacerdos, dicto versu *Introibo ad altare Dei*, subdit versum *Adjutorium &c.* moxque facit confessionem.

Digitized by Google

6. In fine Introitûs non cantatur *Gloria Patri*, sed illo omisso repetitur Introitus.

7. In fine psalmi *Lavabo &c.* omittitur *Gloria Patri.*

CAPUT VII.

De Dominica Palmarum, & aliis diebus majoris Hebdomadæ usque ad triduum ante Paschæ.

ARTICULUS I.

De Dominica Palmarum.

1. ANte Officium, paratur mensa ad latus Epistolæ, quæ mappâ lineâ usque ad terram fluente tegitur, & super illam collocantur rami in sufficienti quantitate, qui etiam alterâ mappâ obteguntur donec fiat Benedictio.

2. Celebrans indutus albâ, manipulo, & stolâ nigri coloris decussatâ, præcedente diacono albâ, manipulo, & stolâ transversa induto, procedit ad Aquilam Chori, ubi benedicit aquam more solito.

3. Post benedictionem aquæ, Celebrans procedit ad Altare, ante medium illius profundè inclinat, ascendit, illud osculatur in medio, accedit ad cornu epistolæ, ubi stans ramos juxtà Altare positos benedicit cantans *Dominus vobiscum*, & orationes *Deus cujus Filius*, & *Deus qui Filium tuum &c.* & eosdem ramos aquâ benedictâ ter aspergit; videlicet in medio, à sinistris, & à dextris.

4. Finitâ benedictione, distribuuntur rami per clericum ad id destinatum, cunctisque ramos manu gestantibus, fit aspersio solita altaris, cleri, populi, & ramorum populi, choro cantante *Asperges* sine *Gloria*, ut suprà cap. 6. num. 4.

5. Post aspersionem aquæ, dum dicitur oratio *Exaudi nos*, thuriferarius, ceroferarii, acolytus crucem gestans, & subdiaconus veniunt in chorum, ubi more solito ordinantur ad processionem.

6. Post cantatam Orationem, Processio fit extra Ecclesiam, cunctis ramos gestantibus, & choro cantante antiphonam *Ante sex dies* cum sequentibus, vel parte illarum, prout necesse fuerit, ut in Processionali.

7. In Statione, quæ fit ante Crucem in Cœmeterio, aut in alio loco præparatam, diaconus dalmaticam induit, deinde genibus flexis ante crucem dicit *Munda cor meum*, accedit ad celebrantem, & genibus flexis petit ab illo benedictionem ad Evangelium. Celebrans benedicit Diaconum dicens *Dominus sit in corde tuo &c.* Thuriferarius à dextris

Digitized by Google

tris diaconi genuflexus thus in navicula celebranti præsentat ad benedicendum dicens *Benedic Pater* Celebrans benedicit illud dicens *Ab illo benedicaris &c.* tum diaconus, præcedentibus thuriferario, ceroferariis, crucifero, & subdiacono, pergit ad pulpitum præparatum, ubi stans more solito cantat evangelium, *Cum appropinquassent &c.*

8. Lecto evangelio celebrans porrectum à subdiacono librum evangelii osculatur, & incensatur à diacono stante, deinde diaconus dalmaticam exuit, & fit concio ad populum, si sit consuetudo loci.

9. Post concionem, vel ubi non habetur, post evangelium, cantatur antiphona *Ave rex noster*, tuncque celebrans, ministri, ac reliqui de clero per ordinem, & populus, prostrati crucem osculantur, & ad ejus pedem projiciunt surculum rami, profundè inclinantes ante & post.

10. Cum pervenit processio ante januam ecclesiæ, vel civitatis, pueri seu clerici ingrediuntur ecclesiam, vel civitatem, moxque, januis clausis, iidem pueri cantant primam strophen hymni *Gloria, laus*, choro post singulos versus eandem strophen repetente.

11. Finito hymno, celebrans baculo crucis portam ecclesiæ tribus distinctis vicibus percutit cantans *Attollite portas &c.* pueri totidem vicibus respondent *Qui est iste rex gloriæ?* ritu qui descriptus est in processionali.

12. Apertâ januâ ecclesiæ, vel civitatis, processio intrat cantans impositum à choristis responsorium *Ingrediente Domino*, eoque finito pueri ante aquilam cantant versiculum *Ex ore infantium*, & celebrans ad aquilam cantat orationem *Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi &c.*

13. Si propter tempus pluviâ infestum, vel aliam causam, processio fieri non possit extra ecclesiam, fiet intra illam, & statio ante crucem in porticu; vel in navi præparatam, ubi legetur evangelium, & fiet crucis adoratio ut suprà, deinde clausis foribus ecclesiæ, vel chori, cantabitur *Gloria, laus & honor &c.* & celebrans majorem portam ecclesiæ vel chori percutiet & cætera ut suprà n. 11.

14. Ad missam, cum subdiaconus cantat *Ut in nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum*, ipse genuflectit versus librum, celebrans in loco suo, & omnes alii in locis suis similiter genua flectunt versus altare.

15. Tractum cantant choristæ, cum quatuor aliis in cappis ante aquilam, eodem ritu, qui dictus est suprà dominicâ primâ quadragesimæ.

Digitized by Google

16. Diaconus acceptâ benedictione, more solito procedit ad ambonem vel ad aquilam ubi cantat passionem, non dicit *Dominus vobiscum*, nec *Sequentia*; non signat librum, neque seipsum; sed absolutè sine ullo titulo incipit à verbis *Passio D. N. J. C.* cætera fiunt more solito, ut in missali pag. 151.

17. Ad verba *Emisit spiritum*; diaconus humi prostratus ante librum terram osculatur: celebrans descendit ad secundum gradum; in ora illius genua flectit conversus ad altare; partem anteriorem casulæ humi extendit, prosternit se, & terram deosculatur: cum illo cæteri omnes de choro nudo capite prosternunt se in locis suis versùs altare, & terram deosculantur. Fit autem ipsa prostratio per breve temporis spatium, ita ut commodè possit dici *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem; mortem autem crucis*, & *Qui passus es pro nobis, miserere nobis.* Deinde surgit diaconus, & passionem prosequitur: cum illo surgunt omnes.

18. Dum cantatur passio, celebrans, & reliqui omnes de choro conversi ad diaconum ramos tenent dexterâ.

19. Cantatâ passione, subdiaconus librum defert ad celebrantem, & dicit: *Hæc sunt verba sancta*: cætera fiunt more solito. Idem observatur in passionibus feriæ tertiæ, & quartæ.

20. Ubi duæ missæ cantantur, in prima non legitur passio, sed loco illius cantatur evangelium *Cum appropinquassent*, & in fine legitur evangelium *In principio.*

21. In missis sine cantu, celebrans dicit *Munda cor meum &c.* more solito, in cornu evangelii legit passionem, in principio non signat librum, neque seipsum: ad verba *Emisit spiritum*, genua flectit, & terram deosculatur, ut suprà num. 17. deinde redit ad altare, & reliquum passionis prosequitur. In fine osculatur librum dicens *Per evangelica dicta.* In fine missæ legit evangelium *Cum appropinquassent.*

22. In minoribus ecclesiis, ubi non est diaconus, ad processionem celebrans genibus flexis dicit *Munda cor meum*, deinde stans cantat evangelium. Idem passionem cantat in missa. Tractus cantatur à choro alternis.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

24. *Dum cantatur prima, fit benedictio aquæ in vestiario.*

25. *Post officium capituli, congregatis in ecclesiæ processionibus ecclesiarum SS. Stephani, Benedicti, & Medardi ac Dominici sepulchri capitulo B. Mariæ subjectarum, proceditur in silentio, & junctis choris ad ecclesiam sanctæ Genovefæ in monte. Defertur capsa ea-*

Digitized by Google

le Mariæ virginis à duobus presbyteris in cappis albis. Sub ejus sacro ferculo appenditur laterna, in quâ cereus continuò ardet. Illam hinc inde comitantur capicerius à parte dextrâ, & unus è pueris à sinistra, qui virgas præ manibus gestant. Idem observatur quoties capsa ejusdem beatæ Mariæ defertur in publicis supplicationibus.

26. *In ingressu ecclesiæ S. Genovefæ canonici regulares in cappis excipiunt clerum ecclesiæ metropolitanæ.*

27. *Cappiferi depositam capsam beatæ Mariæ tradunt duobus canonicis regularibus in cappis, qui, præcedente thuriferario, & comitantibus ceroferariis, illam deferunt in capellam beatæ Mariæ virginis.*

28. *Clerus ecclesiæ metropolitanæ chorum ingressus, sistit se ad partem epistolæ, & canonici regulares S. Genovefæ, depositis cappis, sistunt se ad partem evangelii.*

29. *Dominus archiepiscopus, vel, illo absente, dignior chori ascendit ad sanctuarium, profundè inclinat, stolam induit super habitum chori, ascendit ad altare, illud osculatur in medio, accedit ad cornu epistolæ, ubi stans nudo capite, ramos juxta altare positos benedicit ut suprà, ministrante clerico præcentoris.*

30. *Ramis benedictis, D. Archiepiscopus, vel, illo absente, dignior chori deponit stolam, ante altare profundè inclinat, descendit, & pergit ad primum stallum chori à parte epistolæ, moxque duo canonici regulares ramos benedictos distribuunt ab utraque parte chori, incipientes respectivè à digniori utriusque partis.*

31. *Interim unus è canonicis regularibus S. Genovefæ vestibus diaconi indutus ut in missa, præcedentibus thuriferario, ceroferariis, & subdiacono ejusdem ecclesiæ, descendit in chorum, per latus evangelii procedit, inter bancam & majorem portam chori transit, & accedit ad stallum D. Archiepiscopi, vel dignioris ecclesiæ metropolitanæ, genibus flexis petit ab illo benedictionem ad evangelium dicens* Jube domne benedicere, *& acceptâ benedictione surgit: thuriferarius genibus flexis incensi benedictionem ab eodem petit dicens* Benedic &c. *illoque benedicto, diaconus, præcedentibus ministris, ascendit in ambonem, ubi cantat evangelium* Cum appropinquassent, *more solito.*

32. *Lecto evangelio, diaconus librum clausum tradit subdiacono, deinde descendit. Subdiaconus accedit ad D. archiepiscopum, vel illo absente, ad digniorem ecclesiæ metropolitanæ, librum apertum offert illi ad osculandum, dicens* Hæc sunt verba sancta, *& inclinat. Tum diaconus stans in plano illum trino ductu thurificat,*

Digitized by Google

inclinans ante & post: thuribulum reddit thuriferario, & per latus evangelii redit in vestiarium.

33. *His completis fit concio in navi à concionatore ecclesiæ metropolitanæ.*

34. *Post concionem, duo canonici regulares, eodem ritu, quo suprà, capsam beatæ Mariæ referunt ad majorem januam ecclesiæ, & illam reddunt capiceriis beatæ Mariæ. Tum clerus ecclesiæ metropolitanæ per eandem viam redit in urbem, in silentio.*

35. *Perveniens ad sacellum collegii Chauletæorum, sistit gradum ante crucem infra muros ejusdem sacelli præparatam, clericus præcentoris imponit* ℣. Circumdederunt, *cujus versus cantatur à tribus beneficiatis subdiaconis ante eandem crucem.*

36. *Finito responsorio clerus captum iter prosequitur per viam Jacobæam, cantans antiphonam* Cum appropinquaret, *deinde* ℣. Cum audisset populus.

37. *Perveniens clerus ante portam civitatis, seu minoris castelli gradum sistit, & habetur statio. D. Archiepiscopus proximam domum ingreditur, paramenta pontificalia rubei coloris induit, & locum suum petit. Primus chorus cantorum carcerem ingreditur, & è majori ejus fenestrâ, quâ prospectus est in vicum sancti Jacobi, accepto signo à præcentore cantat primam strophen hymni* Gloria, laus & honor.

38. *Interim præcentor, acceptâ almutiâ de manu clerici, accedit ad D. Archiepiscopum, & stans annuntiat illi* Gloria, laus & honor.

39. *Decantatâ à primo choro strophe* Gloria, laus & honor &c. *D. Archiepiscopus imponit* Gloriâ, laus, *prosequente secundo choro, eâque finitâ, primus chorus cantat secundam strophen* Israel es & tu rex. *Interim præcentor ab eadem parte deambulat, & solitas facit inclinationes.*

40. *Deinde præcentor eodem modo accedit ad decanum, aut ea absente, ad digniorem, & annuntiat illi strophen* Gloria, laus, *quæ similiter ab eo imponitur.*

41. *Post repetitam secundò eandem strophen, primus chorus cantat tertiam strophen* Cætus in excelsis. *Interim præcentor eodem modo annuntiat eandem strophen digniori post decanum, qui similiter illam imponit, prosequente secundo choro. D. Archiepiscopo & decano absentibus, eadem strophe à præcentore annuntiatur tribus dignioribus de choro, incipiendo à digniori ipsorum.*

42. *Dum ultimò repetitur* Gloria, laus, *processio progredi-*

Digitized by Google

tur usque ad partam domus Dei parvo ponti contiguam, ubi gradum sistit. D. Archiepiscopus paramentis pontificalibus indutus accedit ad januam carceris, eamque clausam tribus diversis vicibus pedo pastorali percutit cantans Attollite portas, cui primâ vice respondet puer, secundâ vice alticantor, tertiâ verò bassicantor, moxque apertis januis D. Archiepiscopus carcerem ingreditur, & unum è vinctis liberat, statimque depositis pontificalibus ornamentis, induit vestem chori, cujus posteriorem laciniam idem vinctus, qui ejus beneficio liberatus est, usque ad majorem ecclesiam à tergo sublevat.

43. Absente D. Archiepiscopo, decanus, vel dignior chori, qui ramos benedixit, accedit ad januam carceris, illam tribus vicibus baculo crucis percutit. Cætera omnia observantur ritu suprà notato.

44. His finitis, processio revertitur in ecclesiam metropolitanam, & statim in ingressu civitatis; clericus præcentoris imponit ℣. Ingrediente Domino, deinde antiphonam Pueri hebræorum &c.

45. Processione ingressâ in ecclesiam, fit statio in navi more solito, choristis macicotis in habitu chori ordinario imponentibus antiphonam Aye regina cælorum, D. Archiepiscopus dicit orationes, & in fine dat benedictionem pontificalem.

46. Dum processio chorum ingreditur, iidem choristæ imponunt antiphonam de beata Maria, versiculum Ora pro nobis cantant pueri ante aquilam, & orationem Famulorum ante eandem aquilam cantat D. archiepiscopus ex collectario.

47. Absente D. Archiepiscopo, easdem orationes cantat qui ramos benedixit.

48. Si propter tempus pluviâ infestum, aut aliud impedimentum, processio fieri non possit ad ecclesiam sanctæ Genovefæ, finito officio capituli, hebdomadarius, more solito facit aquæ benedictionem in choro, ejusque aspersione factâ, redit in vestiarium. Tum D. Archiepiscopus accedit ad altare, & in cornu epistolæ facit benedictionem palmarum ut suprà, eâque factâ, rami distribuuntur à clerico fabricæ.

49. Interim diaconus, præcedentibus thuriferario, cruce, ceroferariis, & subdiacono, accedit ad altare, post finitam benedictionem, genibus flexis petit benedictionem more solito, deinde thuriferarius eodem ritu petit thuris benedictionem, eâque datâ, diaconus pergit ad aquilam, ubi evangelium cantat more solito, D. Archiepiscopo ad cornu altaris stante, facie ad diaconum versâ. Lecto evangelio liber offertur celebranti ad osculandum; diaconus stans illum thurificat, & redit in vestiarium. Postea fit concio.

Digitized by Google

50. *Post concionem, Antiphona* Cum appropiquasset *imponitur à clerico præcentoris, & fit processio intrà vel extrà septa ecclesiæ. Ante majorem portam ecclesiæ, vel chori fit statio, moxque clausis foribus, cantatur hymnus* Gloria, laus & honor, *cum versibus sequentibus; D. Archiepiscopus majorem portam ecclesiæ, vel chori baculo crucis percutit tribus distinctis vicibus, ritu supra notato.*

51. *Apertâ januâ, choristæ macicoti imponunt responsorium* Ingrediente, *eoque finito, cantatur antiphona* Ave regina cœlorum, *& cætera omnia superiùs notata observantur n. 46.*

52. *Absente D. Archiepiscopo, Decanus, vel eo absente dignior chori ramos benedicit, & eadem facit quæ suprà dicta sunt de D. Archiepiscopo n. 46.*

53. *Ad missam, tractum cantant quatuor macicoti in cappis, unà cum choristis, ut suprà, numero* 15.

Articulus II.

De Feriis tertia, & quarta majoris hebdomadæ.

1. Feriâ tertiâ majoris hebdomadæ, in missâ passio legitur ad aquilam ut suprà dominicâ palmarum, sed ritu feriali.

2. Feriâ quartâ majoris hebdomadæ, ad missam velum expanditur. Lectio, & graduale cantantur eodem ritu, quo feriâ quartâ quatuor temporum adventûs. Tractum cantat choristæ. Passio cantatur eodem ritu, quo feriâ præcedenti. Ad verba *Et velum templi scissum est*, curat sacristæ ut velum, quod per totam quadragesimam inter altare & chorum fune suspensum fuerat, laxato ab utraque parte fune spontè corruat in pavimentum, & statim auferatur.

3. Eâdem die, vesperæ cantantur ritu semiduplici.

4. Officium deinceps usque ad pascha cantatur sine *Deus in adjutorium, Gloria Patri, Dominus vobiscum, Oremus*, &c. sine *Benedicamus.*

5. Non dicuntur etiam capitula, responsoria brevia nec hymni, nec accinitur jubilus in fine antiphonarum, usque ad vesperas sabbati in albis.

6. Hodie, finitâ missâ, primus choristæ uni ex sacerdotibus à parte dextra annuntiat primum psalmum vesperarum; redit ad bancam more solito, moxque conversus ad chorum imponit antiphonam.

7. Ad quintum psalmum, celebrans vadit in vestiarium, unde, acceptâ cappâ, redit in chorum, altare &c. more solito thurificat.

Digitized by Google

8. Post quintam antiphonam, statim imponitur antiphona *Quotidie*: deinde cantatur *Magnificat*, & incensatur chorus more solito.

9. Finitâ antiphonâ, celebrans ad aquilam, more solito, cantat orationem *Respice* usque ad verba *& crucis subire tormentum* inclusivè, deinde secretò prosequitur *Qui tecum &c.* & nihil addit, moxque celebrans & choristæ in vestiarium revertuntur.

10. Ad completorium, celebrans absolutè inchoat psalmum *Cum invocarem*, & continuò psalmi consueti, & canticum *Nunc dimittis* cantantur recto vocis tono sine antiphona. Finito cantico, celebrans stans ad bancam dicit orationem *Respice* ut suprà, & nihil additur.

Articulus III.

De absolutione solemni, quæ fit à D. Archiepiscopo feriâ quartâ majoris hebdomadæ.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

1. *Completorium hora tertiâ cantatur in ambone deinde ex eodem ambone versùs navem, habetur concio ad populum. Ad illam sedet D. Archiepiscopus cum mitra, & aliis ornamentis pontificalibus rubei coloris.*

2. *Finitâ concione, genuflexis omnibus in eodem ambone, dicitur psalmus* Miserere, *alternis à choro, sine* Gloria Patri, *deinde antiphona* Intret &c. *cum* Kyrie &c. Pater &c. *Tum D. Archiepiscopus sine mitra stans in medio ambonis, facie conversâ ad navem, cantat* Et ne nos, *cum versiculis, & precibus quæ habentur in missali post psalmos pœnitentiales, & finitâ oratione* Deus humani generis, *accipit mitram, & manu extensâ super pœnitentes, profert absolutionem, ut in eodem missali; deinde solemnem dat benedictionem & discedit. Absente D. Archiepiscopo, eadem absolutio fit à decano, vel à dignieri, & in fine non datur solemnis benedictio.*

3. *Feriâ quintâ in cœna Domini, tres aliæ absolutiones fiunt à D. Archiepiscopo, aut ab ejus delegatis eodem ritu videlicet in cœmeterio sanctorum Innocentium, in ecclesia sancti Maglorii prope S. Jacobum de alto passu & in ecclesia sancti Eligii ad palatium. Post absolutionem, quæ fit in cœmeterio sanctorum Innocentium, additur psalmus* De profundis, *cum oratione* Fidelium.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De officio Tenebrarum tridui ante Paschæ.

1. ANte officium, quindecim cerei ejusdem ponderis, & figuræ, ponè altare, aut in candelabro triangulari ante medium infimi gradûs altaris posito collocantur, & juxta illud extinctorium ad extinguendos cereos. Præterea super altare collocantur sex cerei, ut in duplicibus.

2. Officium tenebrarum tridui ante paschæ cantatur ritu semiduplici, sed mensurâ gravi, non ante horam quartam serotinam, nec post horam sextam matutinam.

3. In ecclesiis collegiatis, chorista hebdomadarius in habitu chori ordinario solus chorum moderatur hoc ordine.

4. Paratis omnibus, dictisque secretò *Pater*, *Ave*, & *Credo*, uni ex sacerdotibus à parte dextra annuntiat primum psalmum de tono conveniente, & redit ad bancam.

5. Choristæ conversus ad eundem chorum, nudo capite, imponit antiphonam, moxque sacerdos succinit psalmum. Tum choristæ nudo capite procedit versùs altare, in superiori & inferiori parte solitas facit inclinationes, caput regit, & ab eadem parte deambulat, dum cantatur psalmus.

6. Circa finem psalmi, redit ad bancam: dum antiphona cantatur, secundam antiphonam annuntiat uni ex pueris à læva parte chori, & redit ad bancam.

7. Impositâ antiphonâ, conversus ad eumdem chorum, psalmum inchoat, deinde nudo capite procedit versùs altare, in superiori, & inferiori parte solitas facit inclinationes, regit caput, & ab eadem parte deambulat dum canitur psalmus.

8. Eodem ritu, antiphonas annuntiat, psalmos inchoat, & deambulat vicissim ab utraque parte chori.

9. Circa finem ultimi psalmi, primi, & tertii nocturni, versiculum annuntiat puero à parte dextra, & circa finem ultimi psalmi secundi nocturni, versiculum annuntiat puero à parte sinistra, & dum cantantur lectiones sedet in medio bancæ.

10. Quintum responsorium cantat subdiaconus, vel alius de choro stans in stallo suo, sextum choristæ ad bancam.

11. Lectiones, & alia responsoria cantant iidem qui in semiduplicibus, & eodem ritu.

12. Finitâ quâlibet antiphonâ nocturnorum, & laudum, clericus ad hoc deputatus accedit ad altare, profundè inclinat, accipit extinctorium, & successivè extinguit cereos hoc ordine.

Digitized by Google

Finitâ primâ antiphonâ, extinguit cereum, qui est in parte inferiori candelabri, sive altaris, à latere evangelii positus, & in fine secundæ antiphonæ extinguit alterum cereum, qui est etiam in inferiori parte à latere epistolæ, & ita successivè alternatim ab utroque latere singulos cereos post unamquamque antiphonam extinguit, deinde extinctorium in loco suo deponit, profundè inclinat, & locum suum repetit.

13. Ad *Benedictus*, dum inchoatur versus *Ut sine timore*, clericus accedit ad partem evangelii, & in fine cujuslibet versus extinguit unum ex cereis altaris, incipiendo ab illo, qui est à cruce vel à tabernaculo remotior; deinde tribus primis extinctis, per planum transit ad partem epistolæ profundè inclinans in medio, & eodem ordine tres alios extinguit incipiendo ab illo qui est à cruce, vel à tabernaculo remotior. Interim lampades & alia luminaria per ecclesiam à sacrista extinguuntur, iis exceptis, quæ ardent coram SS. Sacramento extra chorum.

14. Circà finem cantici, cereus, quî in cuspide candelabri restat accensus, aufertur, & absconditur retro altare, vel sub illo, aut alio modo, ita ut lumen non appareat,

15. Antiphonâ post *Benedictus* decantatâ, *Kyrie eleison*, & versus sequentes cantantur ponè altare hac nocte à duobus sacerdotibus, secundâ nocte à duobus diaconis, & tertiâ à duobus subdiaconis, genibus flexis, choro flexis similiter genibus, post quemlibet versum repetente *Kyrie* vel *Christe eleison*, ut notatur in antiphonali. Ubi non suppetit hujusmodi ordinum numerus, *Kyrie &c.* cantant duo de choro.

16. Post cantata verba *Mortem autem crucis*, celebrans genibus flexis inchoat psalmum *Miserere* medioeri voce, choro genibus flexis eâdem voce alternis prosequente; eoque finito, celebrans genibus flexis, eâdem voce absolutè dicit orationem *Respice*, in cujus fine dicit secretò *Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum*, *Amen*, moxque fit strepitus, profertur cereus accensus, in summa cuspide candelabri reponitur, omnes cum silentio discedunt, & posteà lampades accenduntur.

17. In parochialibus ecclesiis, officium eodem ritu celebratur, sed choristæ pluviali nigri coloris ornatus chorum moderatur, ordine, qui suprà descriptus est pro ecclesiis collegiatis.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

18. *Officium tenebrarum celebratur eodem ritu quo suprà, sed chorum tenet præcentor, responsorium 5. cantat macicotus subdiaconus, & sextum macicotus diaconus.* ℣. Kyrie *primâ nocte cantant*

Digitized by Google

duo beneficiati presbyteri, secundâ nocte duo beneficiati diaconi, & tertiâ nocte duo beneficiati subdiaconi. Cætera fiunt ut suprà.

19. *Finitis laudibus, absolutio fit in choro, hoc ordine. Banca mappâ cooperitur, super illam collocatur missale, suppositò pulvinari, decanus, vel, illo absente dignior chori, acceptâ stolâ rubeâ, genua flectit ponè bancam, nudo capite; deinde impositâ à præcentore antiphonâ* Intret, *septem psalmi cantantur genibus flexis à choro alternis recto vocis tono. Post finitos psalmos, chorus dicit antiphonam* Intret &c. *deinde dicitur secretò* Pater noster, *in cujus fine celebrans surgit, & cantat* Et ne nos inducas &c. *cum versiculis, & orationibus, ut in missali, iisque finitis, operto capite, & manu dextrâ super populum extensâ, absolutionem profert altiori voce cantans* Dominus Jesus Christus &c. *ut in missali*

CAPUT IX.

De feria quinta in cœna Domini.

ARTICULUS I.

De præparandis pro officio hujus diei.

1 OPportuno tempore, præparetur locus aptus in aliquâ ecclesiæ capellâ, vel loco opportuniori, aliquantulùm remoto ab altari majori, & decentissimè, quantum fieri poterit, ornetur affixis, velis, & luminaribus. Sex saltem candelabra, cum totidem cereis collocabuntur hinc & inde super gradus altaris. Vela nigra, & alia, quæ luctum indicant, nullatenus ibi appareant.

2. Super altare ejusdem capellæ collocetur in medio, & loco patenti, capsa in modum sepulcri, cujus altitudo in modum fornicis attollatur. Ponatur in ea corporale supponendum bursæ, aut arcæ, in qua asservabitur sanctissimum sacramentum. Ante eandem capsam in medio altaris explicetur aliud corporale supponendum bursæ, antequam in capsa collocetur.

3. Horis matutinis, parabitur altare majus paramentis rubeis pretiosis.

4. Super credentiam, præter consueta, ponantur super calicem duæ majores hostiæ. Item arca argentea, ad formam sepulcri elaborata, aut major bursa.

5. Ante majus altare collocetur scamnum oblongum, & cooperiatur tapete sive panno, cujus pars anterior duos aut tres pedes pavimenti operiat, & super scamnum ponatur missale, &

Digitized by Google

ſtola rubea, ad recitationem ſeptem pſalmorum pœnitentialium, & ad abſolutionem faciendam.

6. Horis pomeridianis, in veſtiario præparentur tres ſtolæ rubeæ pro ſacerdote, & duobus diaconis, ad lavanda altaria: lintea, quibus ſe præcingant: rami buxei, quibus vinum & aquam ſuper altaria diffundant: duo vaſa argentea cum vino, & aqua, quibus laventur altaria; mantilia, quibus altaria tergantur ab acolythis.

7. Item dalmatica, tunicella, ſtola, & manipuli rubei coloris, pro diacono, & ſubdiacono ad evangelium ante *Mandatum*. Lintea, quibus ſacerdos, & diaconus præcingant ſe ad lotionem pedum; pelvis major ſtannea, vel cuprea, cum aqua, & herbis odoriferis, ad eandem lotionem; mantilia, quibus pedes tergantur: demum panis in caniſtro, & vinum in vaſe argenteo, ad cœnam.

Articulus II.

De Horis, & Abſolutione.

1. Prima, tertia, ſexta, & nona in choro decantantur hoc ordine. Congregato clero, celebrans, dictis *Pater* & *Ave*, nudo capite, & converſus ad chorum abſolutè inchoat pſalmum convenientem, proſequente choro recto vocis tono cum aliis pſalmis, ſine *Gloria Patri*. Finitis pſalmis, celebrans eodem ritu imponit *Chriſtus*, proſequente choro, deinde, poſt finitum reſponſorium, celebrans, genibus flexis in ſtallo ſuo, inchoat pſalmum *Miſerere*, choro genibus flexis proſequente recto vocis tono, ſine *Gloria Patri*. Deinde celebrans eâdem voce cantat orationem *Reſpice*, quam ſub ſilentio concludit.

2. Hoc triduo, omittitur officium capituli.

3. Poſt nonam cantantur ſeptem pſalmi pœnitentiales, recto vocis tono choriſtâ imponente antiphonam *Intret*, & fit abſolutio ritu, qui dictus eſt ſuprà, cap 8. num. 19.

Articulus III.

De Miſſa & Veſperis.

1. Poſt abſolutionem, miſſa cantatur ritu ſolemni-majori.

2. Celebrans cum miniſtris accedit ad altare more ſolito; ſed ante confeſſionem non dicit pſalmum *Judica*, nec *Gloria Patri* ad introitum, nec ad *Lavabo*.

3. Graduale imponitur à choriſtis, ſed lentiùs ſolito cantatur, ut diacono & miniſtris detur tempus omnia ritè peragendi.

Digitized by Google

4. Celebrans consecrat duas hostias majores, quarum unam sumit, aliam ad communionem diei sequentis reservat.

5. Hostia major reservanda, post oblationem ponitur à celebrante super corporale à parte evangelii, è regione alterius hostiæ, si commodè fieri possit, nec ostenditur ad elevationem adoranda, sed in suo loco super corporale relinquitur.

6. Præfatio de cruce cantatur, *Communicantes*, *Hanc igitur*, & *Qui pridie* sunt hujus diei propria, & à diacono diligenter prævidenda, ut ea celebranti indicet tempore congruo. Dicitur *Agnus Dei*, & pax datur more solito.

7. In ecclesiis, in quibus major hostia asservatur in tabernaculo, vel in pyxide super altare suspensa, ea sumitur à celebrante ante sumptionem sanguinis Domini.

8. Ad *Agnus Dei* pulsantur omnes campanæ pro ultimo signo vesperarum, & deinceps non pulsantur usque ad *Gloria in excelsis* missæ sabbati sancti.

9. Postquam celebrans sumpsit sanguinem, subdiaconus genuflectit, bursam majorem, vel arculam, in qua hostia sacra in crastinum reservata conservabitur affert de credentia ad altare, genuflectit, & illam collocat à parte epistolæ prope corporale, tum rursus genuflectit, & transit ad sinistram celebrantis, & iteratò genuflectit.

10. Interim diaconus cum debitis genuflexionibus in accessu & recessu accedit ad dextram celebrantis, calicem removet à medio, & collocat ad partem epistolæ intrà corporale, ita ut pyxidem non impediat, genuflectit, descendit in planum, ubi facit confessionem, deinde fit communio cleri & populi more solito.

11. Factâ communione, celebrans, & ministri redeunt ad altare, & genuflectunt; diaconus sacram pyxidem dextrâ per nodum accipit, hostias è pyxide deponit super corporale, inflectendo tantùm pyxidem, absque ullo contactu hostiarum: celebrans illas involvit in eodem corporali cum hostia in crastinum reservatâ, corporale includit in bursa, vel arcula, deinde purificationem & ablutionem sumit, & legit communionem de more.

12. Interim quatuor vel duo sacerdotes, aut alii de choro, qui delaturi sunt hastas baldachini, cappis vel tunicis rubeis induti, aut in habitu chori ordinario, præcedentibus thuriferariis, & quatuor vel duobus pueris, qui faces accensas deferunt, accedunt ad altare. Pervenientes ad gradus presbyterii, omnes gradum sistunt, thuriferarii & pueri poplites flectunt, sacerdotes verò me-

Digitized by Google

dii inter thuriferarios & pueros genuflectunt. Thuriferarii ad gradus laterales epistolæ accedunt, in ora infimi gradûs flectunt genua: pueri in ora supremi gradûs presbyterii genua submittunt, locum in medio relinquentes thuriferariis; sacerdotes verò, si per situm loci liceat, ascendunt in presbyterium, & ab utraque parte graduum altaris in plano procumbunt in genua: si locus sit angustior, inter presbyterium & chorum flectunt genua. Ubi induti ministrant in missa, ipsi hastas baldachini deferunt.

13. Celebrans genuflectit, descendit in planum, medius inter ministros sacros genua flectit in ora infimi gradûs & profundè inclinat: incensum immittit in thuribula sine benedictione, diacono cochlear sine osculis, & thuriferariis thuribula ministrantibus: accipit thuribulum de manu diaconi, sanctissimum sacramentum trino ductu thurificat, profundè inclinans antè & pòst; deinde reddit thuribulum diacono, & diaconus thuriferario.

14. Reddito thuribulo, thuriferarii descendunt ad gradus presbyterii, in ora supremi gradûs genua flectunt: celebrans ascendit ad altare, genuflectit, utrâque manu accipit bursam, vel arculam, in qua reconditum est SS. Sacramentum; & conversus ad chorum, ter benedicit populum, thuriferariis interim SS. Sacramentum simul & continuè incensantibus.

15. Post datam benedictionem, sacerdotes supradicti pergunt ad baldachinum, & illud ante infimum gradum presbyterii constituunt; ubi genibus flexis tenent hastas baldachini donec celebrans sub illud ingrediatur. Celebrans verò ministris sacris ejus brachia sustentantibus, & vestes anteriores modicè elevantibus, bursam seu arculam utrâque manu tenens ob oculos elevatam, descendit, & intrat sub baldachinum.

16. Tum proceditur in silentio ad sacellum præparatum, per viam longiorem hoc ordine. Præcedunt ceroferarii, deinde crucifer: succedit clerus more solito. Posteà duo thuriferarii, incedentes retrorsum immediatè ante baldachinum, facie ad SS. Sacramentum conversâ, qui simul vel alternatim continuè incensant SS. Sacramentum; demùm progreditur celebrans sub baldachino, medius inter diaconum & subdiaconum, astantibus hinc & inde pueris vel acolytis, qui faces ardentes deferunt.

17. Sacerdotes, & acolyti, qui hastas baldachini & faces deferunt, ita disponuntur, ut digniores ferant hastas, & faces anteriores, & dignior respectivè ex illis, hastam, seu facem deferat, quæ est à dextris celebrantis.

Digitized by Google

18. Cùm pervenerint ad Capellam præparatam, omnes intra septa illius vel extra se sistunt secundùm situm locorum, & procumbunt in genua.

19. Celebrans, ministri sacri, thuriferarii, & qui faces deferunt, capellam ingrediuntur, atque etiam qui deferunt baldachinum, si locus patiatur. Sacrista cum ministris suis baldachinum amovet, & in loco debito collocat. Celebrans ascendit ad altare, & conversus ad populum, omnibus prostratis, ter benedicit populum ut suprà num. 14. thuriferariis genibus flexis SS. Sacramentum interim incensantibus.

20. Datâ benedictione, primus thuriferarius accedit ad dextram diaconi; celebrans convertit se ad altare, bursam, sive arculam super altare deponit, genuflectit, descendit in planum, super oram suppedanei genua flectit, thus inmittit in thuribulum, ministrantibus diacono, & thuriferario, ut suprà, n. 13. thuribulum accipit de manu diaconi, & SS. Sacramentum trino ductu thurificat.

21. Post factam incensationem, celebrans reddit thuribulum diacono, qui illud reddit thuriferario, moxque ascendit ad altare, ubi dorso aliquantulum ad partem epistolæ verso genuflectit, ne terga vertat celebranti, bursam sive arculam reponit in capsula, iterum genuflectit, capsulam claudit, tradit clavem sacristæ, ac statim, sine alia genuflexione, redit ad dextram celebrantis, ubi cum illo breviter orat.

22. Posteà surgunt omnes, genuflectunt & eodem ordine quo suprà num. 16. redeunt in chorum per breviorem viam, dum pueri & alii sacerdotes, qui faces & hastas baldachini detulerunt, in vestiarium revertuntur.

23. Celebrans perveniens ad altare, ante illud profundè inclinat in plano, deinde petit sedem suam à parte epistolæ, ubi sedens cum ministris recitat Vesperas. Tum primus choristа more solito imponit antiphonam *Calicem* ad Vesperas, quæ cantantur ritu solemni majori.

24. Circa finem ultimi psalmi, primus choristа accedit ad altare, ubi profundè inclinat, deinde super infimum gradum genibus flexis, celebranti stanti annuntiat antiphonam ad *Magnificat*, profundè inclinans antè & pòst; surgit, iterum profundè inclinat ante altare, & ad bancam redit.

25. Post decantatam quintam antiphonam, celebrans surgit, imponit antiphonam ad *Magnificat*, moxque primus choristа inchoat idem canticum more solito, deinde thuriferarii choristas & chorum ab utraque parte incensant de more.

Digitized by Google

26. Dum cantatur antiphona post *Magnificat*, celebrans & ministri redeunt ad altare viâ longiori, celebrans osculatus altare, cantat *Dominus vobiscum* & postcommunionem more solito, deinde diaconus conversus ad chorum cantat *Ite, missa est*, & sic missa & vesperæ simul terminantur.

27. Post depositas à celebrante & ministris vestes sacras in vestiario, sacrista cum duobus aut quatuor acolythis in albis denudat majus altare, deinde alia altaria per ecclesiam, amovendo mappas, & alia omnia, & profundè inclinans ante quodlibet altare in accessu & recessu.

28. In parochialibus ecclesiis, post altaria denudata & completam communionem populi, sacrista cum stola rubea accedit ad altare SS. Sacramenti, præcedentibus duobus clericis cum facibus accensis, ante infimum gradum genuflectit, deinde in infimo gradu genibus flexis orat per brevem moram, ascendit ad altare, aperit tabernaculum, & rursus genuflectit, tum reverenter accipiens pyxidem SS. Sacramenti, defert illam ad locum paratum, præcedentibus iisdem clericis. Illuc perveniens, deponit pyxidem sacram super altare suppositio corporali, genuflectit, capsulam aperit, in illa pyxidem reverenter ponit, ad latus bursæ, iterum genuflectit, & capsulam obserat clave. Tum genuflexus in infimo gradu, iterum orat per breve temporis spatium, clericis interim genuflexis, & revertitur in vestiarium.

29. Attendat sacrista ut capella, vel locus, ubi asservatur SS. Sacramentum, clave obseratur, & ante SS. Sacramentum, quantum fieri poterit, diu noctuque fiant excubiæ à clericis, vel saltem à laicis, ubi clericorum numerus non suppetit. Si verò locus clave obserari non possit, in illo ante SS. Sacramentum diu, noctuque fiant excubiæ à sacrista vel aliis ab ipso præpositis.

30. Interim in quibusdam ecclesiis præpositus ecclesiæ lavat pedes pauperum, ministrantibus tribus, aut quatuor clericis, dum alii cantant antiphonam *Mandatum* cum sequentibus.

31. In minoribus ecclesiis, si non adsit diaconus, celebrans post communionem populi, è sacra pyxide hostias deponit super corporale inflectendo pyxidem absque hostiarum contactu, illas involvit in corporali quod mittit in majorem bursam. SS. Sacramentum thurificat, populum benedicit ut suprà, majorem bursam, in qua servatur SS. Sacramentum, ad capellam vel locum præparatum defert sub baldachino, cujus hastæ à laicis deferuntur, in eadem capella populum benedicit, SS. Sacramentum thurificat, & majorem bursam ponit in capsa &c.

Digitized by Google

CAPUT X.

De Missa, consecratione chrismatis, & olei, ac vesperis.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

ARTICULUS PRIMUS.

De præparandis.

1. PRæter ea quæ dicta sunt suprà cap. 9. art. 1. *In ecclesia metropolitana, capellani D. Archiepiscopi præparant omnia ornamenta pontificalia cum pallio.*

2. *Sacrista præparat duas casulas pretiosas pro sacerdotibus concelebrantibus: duas alias pretiosas, & antiquas pro beneficiatis sacerdotibus, qui deferunt oleum & balsamum: tunicas & dalmaticas pro quatuor indutis; tunicam & manipulum pro subdiacono, qui defert oleum infirmorum; dalmaticam, stolam, & manipulum pro diacono beneficiato, qui defert oleum cathecumenorum, cum decem albis paratis pro singulis suprà dictorum; sex albas pro sex macicotis, qui thuribula & candelabra deferunt: tres cappas rubeas, pro duobus diaconis beneficiatis, qui deferunt cruces, & pro clerico præcentoris. Præterea cappam pretiosam, & baculum cantoralem pro præcentore, qui solus chorum moderatur. Insuper duas cappas pro beneficiatis subdiaconis, qui cantant graduale; duas majores cruces, & candelabra cum cereis.*

3. *In credentia præparat duas majores hostias, unam scilicet pro communione D. pontificis, alteram reservandam in diem crastinum, & duas minores pro communione sacerdotum concelebrantium, calicem, & mappulam, pro purificatione eorumdem.*

4. *In sacello sancti Nicasii, capicerius præparat tres ampulas plenas oleo, velis coopertas; item vas cum balsamo, cooperium velo.*

ARTICULUS II.

De Missa usque ad Nobis quoque peccatoribus *inclusivè.*

1. POst nonam, *præcentor in vestiario cappam induit, & baculum cantoralem accipit, ministrantibus clericis: cruci vestiarii inclinat, deinde pontifici, & solus procedit in chorum per portam meridionalem, præcedente libero serviente.*

2. *Ingressus chorum, nudo capite, inter altare & aquilam profundè inclinans salutat altare & chorum, per partem dextram pergit ad bancam, ante medium illius se sistit, altari mediocriter inclinat:*

Digitized by Google

clinat: imponit introitum Nos autem, à parte dextrâ chori deambulat, in superiori & inferiori parte chori more solito inclinat, redit ad bancam, ubi imponit psalmum Deus misereatur, & resumit introitum, moxque caput operit, & ab eâdem parte chori deambulat.

2. Interim D. Archiepiscopus procedit ad altare, hoc ordine. Praecedunt primo liberi servientes, qui populum submoveant: 2. thuriferarius: 3. duo beneficiati sacerdotes in habitu chori ordinario, qui concelebrantibus ministrant: 4. capellanus, qui defert crucem archiepiscopalem, solus: 5. subdiaconus medius inter duos indutos: 6. diaconus, qui minorem crucem defert, medius inter duos indutos: 7. ceroferarii: 8. procedit D. Archiepiscopus medius inter duos archidiaconos seu canonicos sacerdotes concelebrantes, sequentibus capellanis.

4. Perveniens Pontifex ad altare, mitrâ depositâ genua flectit medius inter primum archidiaconum, diaconum & primum ceroferarium à dextris, alium archidiaconum, subdiaconum, & secundum ceroferarium à sinistris, qui cum eo genua flectunt, facit confessionem & catera, more solito in missâ, cum duobus archidiaconis, sive canonicis sacerdotibus, qui cum ipso concelebrant: & stantes ad utrumque cornu altaris, eadem omnino dicunt, & faciunt, quae dicit, & facit D. Archiepiscopus, sed ad Dominus vobiscum non se convertunt ad populum, non elevant hostiam, & calicem, & submissâ voce dicunt eadem, quae cantat Pontifex. Quando Pontifex stat ad altare, concelebrantes stant ad utrumque cornu altaris; quando verò sedet in faldistorio à parte epistolae, ipsi sedent ad oram utramque altaris facie ad chorum versâ.

5. Dum Pontifex incensat altare, concelebrantes ab utroque cornu altaris aliquantulùm secedunt, ut dent locum Pontifici thurificanti.

6. Circa finem Kyrie praecentor genibus flexis D. archiepiscopo annuntiat Gloria in excelsis, profundè inclinans ante & post.

7. Post epistolam, sedente praecentore, duo beneficiati subdiaconi in cappis, stantes ad rostrum aquilae, imponunt graduale, & versum illius concinunt, deinde flexis genibus in infimo gradu presbyterii benedictionem recipiunt à Pontifice, & in vestiarium revertuntur.

8. Offertorium imponit praecentor, prosequente choro: tumque diaconus Pontifici patenam offert cum duabus majoribus hostiis, unâ scilicet pro communione Pontificis, aliâ verò reservandâ in diem sequentem, ac duabus minoribus, pro communione sacerdotum concelebrantium.

Digitized by Google

9. *Attendat diaconus, ut in calicem infundat vinum in sufficienti quantitate pro communione Pontificis & concelebrantium.*

10. *Dum Pontifex elevat hostiam & calicem, concelebrantes ad utrumque cornu altaris genua flectunt.*

11. *Finitâ oratione* Nobis quoque peccatoribus, *& dicto* Per Christum Dominum nostrum, *non pulsatur campanula; Pontifex, & concelebrantes genuflectunt, diaconus sacras hostias patena cooperit, Pontifex digitos abluit in calice vacuo, in quo ablutio digitorum ipsius Pontificis reservatur sumenda post communionem, convertit se ad chorum, in faldistorio sedet & mitram accipit: archidiaconi seu canonici concelebrantes eodem modo convertunt se ad chorum & caput amictu operiunt.*

Articulus III.

De benedictione olei infirmorum, & aliis usque ad primum *Agnus Dei* inclusivè.

1. *Sedente Pontifice ut suprà, clericus præcentoris, cappâ rubeâ indutus chorum ingreditur per portam meridionalem, accedit ad altare, ante Pontificem profundè inclinat, aliquantisper secedens ad partem evangelii, convertit se ad chorum, illi profundè inclinat, & elatâ voce cantat ter* Oleum ad infirmos: *deinde Pontifici iterum inclinat, & per eandem portam egreditur, moxque, præcedentibus eodem clerico præcentoris in cappa solo; archipresbytero S. Severini in superpelliceo cum almutia & bireto, virgam dextrâ gestante; macicoto in albâ, qui thuribulum defert; duobus macicotis in albis, qui cereos deferunt in candelabris; & beneficiato diacono in cappâ rubeâ, qui nudo capite defert crucem; beneficiatus subdiaconus tunicâ rubeâ cum manipulo, super albam paratam indutus, acceptam in capella S. Nicasii ampullam olei velo coopertam, utrâque manu deferens chorum ingreditur. Hunc sequuntur alii sacerdotes in superpelliceis, qui alias ampullas olei deferunt.*

2. *Cum pervenerint ante altare, clericus præcentoris ascendit in planum presbyterii, ante Pontificem profundè inclinat, & secedit ad partem epistolæ. Archipresbyter eodem modo ascendit, inclinat & secedit ad partem evangelii, & secundo passu infrà gradum infimum uterque consistit facie ad se invicem versâ. Thuriferarius sistit se infrà gradus presbyterii ante medium altaris, & ponè illum diaconus deferens crucem, medius inter ceroferarios. Subdiaconus ascendit ad altare, sequentibus aliis sacerdotibus, ante Pontificem profundè inclinat, amictum super collum demittit, deinde in infimo gradu altaris genibus flexis, ampullam olei detegit, & Pontifici præsentat ad bene-*

Digitized by Google

dicendum, aliis sacerdotibus à dextris, & sinistris ejusdem subdiaconi genu flexis in modu hemicycli & ampullas olei eodem modo præsentantibus.

3. Pontifex surgit cum mitra, & manu extensâ super oleum, sine cantu dicit Exorcizo te immundissime spiritus, & super illud ter format signum crucis ad verba Patris, & Filii, & Spiritus sancti, archidiaconi seu canonici concelebrantes tecto capite & manu extensâ idem cum illo dicunt & ter formant signum crucis. Perfecto exorcismo, Pontifex mitram deponit, & stans junctis manibus benedicit oleum dicens Oremus, Emitte spiritum tuum &c. concelebrantes caput detegunt, & junctis manibus idem cum illo dicunt, & formant signum crucis ad verbum Benedictione.

4. Oratione finitâ, subdiaconus surgit, Pontifici profundè inclinat, & eodem ordine quo suprà, nudo capite oleum refert ad sacellum sancti Nicasii.

5. Tum more solito pulsatur campanula, Pontifex convertit se ad altare cum concelebrantibus & ministris; diaconus discooperit sacras hostias; Pontifex cum concelebrantibus & ministris genuflectit, deinde more solito dicit Per quem hæc omnia, & dicens Sanctificas &c. ter format signum crucis super hostiam, & calicem &c. & prosequitur missam more solito usque ad benedictionem pontificalem inclusivè.

6. Datâ benedictione, Pontifex conversus ad altare cantat more solito Et pax ejus sit semper vobiscum, particulam hostiæ non mittit in calicem, sed super patenam deponit, chorus respondet Et cum spiritu tuo, moxque precentor imponit Agnus Dei, prosequente choro.

7. Post cantatum primum Agnus Dei, diaconus particulas hostiæ, & alias hostias cooperit, Pontifex convertit se ad chorum cum concelebrantibus & ministris, in faldistorio sedet, mitram accipit, & abluit digitos ut suprà. Concelebrantes caput amictu operiunt.

ARTICULUS IV.

De Benedictione olei Catechumenorum.

1. Sedente Pontifice ut suprà, clericus precentoris stans, ut suprà, in plano presbyterii, elatâ voce cantat ter Oleum ad catechumenos, tumque beneficiatus diaconus, dalmaticâ rubeâ cum stola & manipulo super albam paratam ornatus, præcedentibus clerico precentoris, archipresbytero S. Mariæ Magdalenæ, & aliis, eodem ordine, quo subdiaconus suprà, art. 3. n. 1. ampullam olei velo coopertam deferens, chorum ingreditur sequentibus aliis sacerdotibus, qui vasa olei deferunt; accedit ad altare, pontifici profundè inclinat, genibus flexis ampullam olei ad catechumenos detegit, & præsentat illi ad

Digitized by Google

benedicendum, sacerdotibus aliis ampullas suas eodem modo præsentantibus, ut suprà art. 3. n. 2.

2. *Pontifex surgit, ter halat super quamlibet ampullam in modum crucis; eodem modo halant successivè archidiaconi seu canonici concelebrantes, tumque Pontifex stans manu dextrâ extensâ, ut suprà, art. 3. n. 3. facit exorcismum dicens* Exorcizo te creatura olei &c. *Idem faciunt concelebrantes extensâ manu.*

3. *Finito exorcismo, Pontifex deponit mitram, surgit; & junctis manibus benedicit oleum cathecumenorum dicens,* Dominus vobiscum, Oremus, Deus incrementorum omnium &c. *concelebrantibus nudato capite idem simul dicentibus, & signum crucis cum eo formantibus ad verbum* Benedictionem.

4. *Post factam benedictionem, Pontifex & sacerdotes concelebrantes successivè ter salutant oleum, & dicunt super singulas ampullas* Ave sanctum oleum, *& post salutatum oleum, Pontifex sedet, & mitram accipit, moxque diaconus beneficiatus surgit, Pontifici profundè inclinat, & oleum eodem ordine quo suprà art. 3. n. 1. refert in sacellum sancti Nicasii.*

Articulus V.

De Benedictione Chrismatis.

1. *Completâ benedictione olei cathecumenorum, Pontifex sedet, mitra capiti ejus imponitur: archidiaconi sive canonici concelebrantes caput amictu operiunt: tum clericus precentoris, stans ut suprà in plano presbyterii, elatâ voce cantat ter* Oleum cum balsamo, *moxque per eandem portam meridionalem chori procedit ad sacellum S. Nicasii, sequentibus quatuor indutis de altari.*

2. *Tunc ordinatur processio chrismatis in hunc modum: procedunt 1. clericus precentoris solus: 2. octo pueri bini & bini: 3. magister puerorum solus: 4. archipresbyter sancti Severini solus & indutus ut suprà art. 3. num. 1. 5. macicotus thuriferarius in alba solus, qui thuribulum defert: 6. beneficiatus diaconus in cappâ rubeâ, qui crucem nudo capite gestat, medius inter duos macicotos in albis, qui cereos in candelabris deferunt: 7. quatuor induti, qui hastas baldachini deferunt: 8. sub baldachino procedunt duo beneficiati sacerdotes, induti planetis antiquissimis, quorum primus à dextris balsamum defert in catillo argenteo incluso in pyxide eburnea velo cooperta, secundus verò à sinistris defert ampullam olei velo coopertam: 9. archipresbyter S. Mariæ Magdalenæ solus: 10. macicotus thurifera-*

Digitized by Google

vius in alba, solus, denique beneficiatus diaconus in cappa rubea, qui medius inter duos alios macicotos ceroferarios nudo capite crucem defert.

3. *Ordinatâ in hunc modum processione, è sacello sancti Nicasii proceditur ad altare juxta vestiarium incedendo, & duo pueri cantant* O redemptor, *deinde octo pueri idem repetunt procedentes ad altare Assumptionis. Ante altare Assumptionis fit statio. Duo pueri stantes cantant ut suprà* Audi judex &c. *eoque cantato proceditur, octo pueris repetentibus* O redemptor, *ut suprà. Eodem ordine duo pueri ad singulas stationes cantant versus infrà notatos, & illis cantatis, octo pueri repetunt* O redemptor *dum proceditur. Ante imaginem beatæ Mariæ in navi duo pueri cantant* Adsit nobis &c. *Ante majorem portam chori cantant* Stat ad aram, *deinde proceditur ad altare per dextram partem chori, octo pueris repetentibus* O redemptor. *prope præcentorem, è regione aquilæ, duo pueri cantant* Arbor fœta &c.

4. *Pervenientes ante stalla cancellarii & pœnitentiarii, omnes gradum sistunt. Duo pueri genibus flexis in infimo gradu presbyterii ante Pontificem cantant, mensurâ graviori* Consecrare tu dignare, *stantibus aliis, & post cantatum versum, benedictionem à Pontifice recipiunt, tumque octo pueri repetentes* O redemptor, *pergunt ad scamnum puerorum à parte dextra, ubi consistunt collaterales in recta linea, inter primam & tertiam sedem puerorum facie ad alteram partem chori versâ; duo archipresbyteri sistunt se in primis stallis inferioribus versùs altare; thuriferarii in stallis contiguis infrà archipresbyteros, & ceroferarii, depositis humi candelabris ad quatuor hastas baldachini, sistunt se infrà thuriferarios in stallis contiguis; diaconi verò, qui detulerunt cruces, & induti qui hastas baldachini gestant, consistunt inter presbyterium & aquilam, primus scilicet Diaconus versùs altare, & secundus versùs aquilam, & induti ad hastas baldachini, omnes versâ facie ad altare. Duo sacerdotes casulis induti accedunt ad altare, Pontifici profundè inclinant, in infimo gradu genua flectunt, & capite detecto offerunt illi balsamum & oleum ad benedicendum. Eodem modo alii sacerdotes ingressi per portam meridionalem genua flectunt à dextris & sinistris, & ampullas olei præsentant Pontifici ad benedicendum, ritu, qui dictus est suprà art. 3. n. 2.*

5. *His ordinatis, Pontifex mitram deponit, & surgit; concelebrantes caput detegunt. Primus beneficiatus sacerdos pyxidem eburneam detegit, & aperit; tumque Pontifex stans, junctis manibus, balsamum benedicit dicens* Dominus vobiscum, oremus,

Digitized by Google

Deus mysteriorum cælestium &c. ac Creator omnium Domino &c. *Archidiaconi seu canonici concelebrantes junctis manibus idem cum eo dicunt, & signum crucis formant ad verba* Benedictione sanctifica, & Sanctificationis infundas &c.

6. *Deinde Pontifex sedet, posito super illius genua gremiali, capicerius modicum olei sumit ex ampulla ad chrisma parata, & infundit in catillum balsami. Pontifex, accepto cochleari, balsamum miscet cum oleo, dicens* Hæc commixtio &c. *concelebrantibus idem cum illo dicentibus.*

7. *Post commixtionem balsami & olei, Pontifex utrumque mixtum cochleari accipit, & de illo immittit in ampullas olei ad chrisma paratas, dicens* Oremus Dominum Deum nostrum &c. *concelebrantibus idem cum illo dicentibus, & signum crucis formantibus ad verba* Benedicat, & Sanctificet.

8. *Hoc facto, Pontifex ter halat super singulas ampullas, in modum crucis & sedet. Post Pontificem concelebrantes successivè similiter halant super singulas ampullas.*

9. *Postea Pontifex surgit, & stans cum mitra, manu dextrâ extensâ facit exorcismum chrismatis dicens* Exorcizo te, *& ter formant signum crucis ad verba* Patris, Jesu Christi, & Spiritus sancti; *deinde, depositâ mitrâ, stans extensis manibus ante pectus, dicit præfationem ut in pontificali, ter formant signum crucis ad verba* Sanctificatione, Benedictione, & Sancti Spiritus. *Concelebrantes recto capite cum illo dicunt exorcismum & signa crucis faciunt, deinde nudato capite, cum illo præfationem dicunt & signa crucis faciunt.*

10. *Dictâ præfatione, Pontifex stans sine mitra, junctis manibus, salutat sanctum chrisma inclinato capite ter dicens super singulas ampullas* Ave sanctum chrisma, *deinde sedet, & mitram assumit. Concelebrantes nudo capite & junctis manibus eodem ritu salutant sanctum chrisma.*

11. *Post consecrationem chrismatis, omnes ministri processionis chrismatis caput detegunt: duo beneficiati sacerdotes, planetis antiquissimis induti, surgunt, Pontifici profundè inclinant, accedunt ad baldachinum, & sub illo procedunt per partem dextram, egrediuntur per majorem portam chori, sanctum chrisma referunt nudo capite in sacellum sancti Nicasii, eodem ordine quo suprà, thuriferariis inter primam crucem & baldachinum, facie ad idem baldachinum versâ, retrò incedentibus, & continuè incensantibus sanctum chrisma.*

12. *Advenientibus sub baldachinum sacerdotibus, duo pueri*

Digitized by Google

cantant Ut novetur &c. *moxque processio progreditur, octo pueris repetentibus ut suprà* O redemptor. *Deinde ante altare sancti Martini cantant* Lotâ mente &c. *ante portam septentrionalem chori,* Corde natus &c. *ante caput chori facie ad chorum versâ* Sit dies hæc festa &c. *tumque octo pueri ultimò repetunt* O redemptor.

13. *Beneficiati sacerdotes ingressi sacellum sancti Nicasii, sanctum chrisma deponunt, & recondunt; deinde eodem ordine revertuntur in vestiarium, ubi sacras vestes exuunt, indutis ad altare redeuntibus.*

Articulus VI.

De secundo *Agnus Dei*, & aliis usque ad finem missæ, & vesperarum.

1. *Dum sanctum chrisma refertur in sacellum S. Nicasii, Pontifex lavat manus: post egressum processionis chrismatis è choro, præcentor imponit secundum* Agnus Dei, *deinde tertium: diaconus detegit particulas; Pontifex cum ministris, & concelebrantibus genuflectit, minorem particulam mittit in calicem dicens* Hæc commixtio &c *concelebrantibus idem dicentibus, & missam more solito prosequitur usque ad communionem inclusivè.*

2. *Postquam Pontifex corpus Domini sumpsit, non sumit totum sanguinem, sed partem illius tantùm, cum particula hostiæ in calicem missa; sacerdotes concelebrantes in ora supremi gradûs altaris genua flectunt. Pontifex nihil dicens communicat illos sub utraquè specie, deinde diaconus illis ministrat vinum aquâ mixtum in calice ad purificationem.*

3. *Posteà Pontifex majorem hostiam, quæ in diem sequentem reservata est, & alias minores demissas ex suspensione, involvit in corporali, illud ponit in arcula argentea, quam diaconus in medio altaris collocat & operit. Tum Pontifex genibus flexis SS. Sacramentum trino ductu thurificat, cum illo clerum & populum ter benedicit, deinde, præcedentibus ceroferariis crucifero, pedifero, subdiacono, diacono & thuriferariis, viâ breviori SS. Sacramentum defert in capellam præparatam, incedens sub baldachino, cujus hastas induti gestant, comitantibus ad quatuor angulos baldachini quatuor pueris, qui faces accensas deferunt, & sequentibus capellanis suis binis & binis.*

4. *Pervenientes in capellam, omnes se sistunt ante altare eodem ordine, quo ad missam. Pontifex ascendit ad altare, populum ter benedicit, SS. Sacramentum genibus flexis ter incensat. Diaconus arcu-*

Digitized by Google

lam in capsa præparata recondit & velamine operit. Cætera fiunt eodem ordine, quo suprà cap. 9. art. 13.

5. Demum Pontifex assumptâ mitrâ præcedentibus crucifero, subdiacono & diacono cum suis indutis, pedifero, & ceroferariis redit ad altare.

6. Interim vesperæ cantantur in choro, præcentore antiphonam Calicem more solito imponente. Idem præcentor alias antiphonas annuntiat canonicis ab utraque parte chori, psalmos inchoat, antiphonam ad Magnificat Pontifici stanti ad faldistorium annuntiat genibus flexis, & canticum Magnificat imponit. Circa finem postcommunionis, præcentor, salutatis de more altari & choro, per portam meridionalem revertitur in vestiarium: sacerdotes concelebrantes vesperas recitant, postcommunionem & cætera cum Pontifice dicunt.

7. Finitis vesperis, Pontifex revertitur in vestiarium eodem ordine quo accessit ad altare.

Articulus VII.

De mandato, distributione panis & vini, & cœna pauperum, in domo Archiepiscopali.

1. Reversus Pontifex in vestiarium, vestes pontificiales exuit. Pueri ecclesiæ metropolitanæ, sequente magistro, procedunt bini & bini in auditorium officialis Parisiensis, ubi super mensam mappâ albâ opertam paratus est panis cum phiala vini & aqua, & pauperes, quorum pedes lavandi sunt, sedent ordine super scamnum, & dextrum pedem habent nudatum.

2. Pontifex, præcedente crucifero, pergit in idem auditorium, & cum in illud pervenit, sistit se ante eandem mensam, & cruci profundè inclinat.

3. Tum unus ex pueris imponit antiphonam Mandatum & sequentes antiphonas, prosequentibus aliis pueris.

4. Interim Pontifex linteo præcingitur à primo capellano, deinde ministrantibus capellanis, primo scilicet & tertio à dextris; secundo & quarto à sinistris, accedit ad pauperem, qui primus est in ordine, & nudato capite singulorum pedes successivè lavat, extergit, & osculatur hoc ordine.

5. Secundus capellanus à sinistris Pontificis supponit pelvim, cum aqua temperata & herbis odoriferis respersa, sub cujusque pede dextro, quem postea ambabus manibus aliquantulum elevat. Tum quartus capellanus super singulorum pedem guttatim infundit aquam temperatam. Pontifex eâdem aquâ pedem cujusque lavat, extergit mappulâ quam ministrat primus capellanus, deinde osculatur. Tertius capellanus à dextris primi stans, manibus gestat canistrum cum mappulis, quas identidem ministrat primo capellano, quando opus est.

Digitized by Google

6. Expletâ lotione pedum, Pontifex manus lavat, extergit, mantili distinguitur, redit ad eandem mensam & conversus ad crucem, dicit versum Ostende, *cum sequentibus, & oratione, ut in missali, dum pauperes calceant pedes.*

7. *His peractis, Pontifex dicit* Benedicite *: pueri respondent* Dominus. *Pontifex subjungit* Oculi omninum &c. Pater noster *secretò, & altâ voce* Et ne nos inducas &c. *deinde manu extensâ super panem & vinum dicit* Benedic Domine dona tua &c. *ut in missali, & aqua benedicta aspergit.*

8. *Tum unus est pueris flexis genibus dicit* Jube domne benedicere, *Pontifex subjungit* Ad cænam perpetuæ vitæ &c. *puer surgit & stans legit ex cap. 13. Evangelii S. Joannis incipiendo ab his verbis* Amen, amen dico vobis : non est servus major &c.

9. *Interim Pontifex cuilibet pauperum panem distribuit, deinde vinum in refectionem crastinam, & peractâ distributione, puer dicit* Tu autem domine &c. *& pueri & respondent* Deo gratias.

10. *Mox Pontifex pauperibus sequentibus pergit in aulam in qua cœna iisdem pauperibus parata est ; & cum in eam pervenit conversus ad crucem cœnam benedicit dicens* Christus factus est &c. *deinde* Pater noster *secretò : fercula singulis ministrat, & erogat eleemosynam, deinde pro gratiarum actione dicit* Christus factus est, *&* Respice quæsumus, *ut in breviario, tumque discedunt pauperes. D. Archiepiscopo absente, supradicta omnia iisdem in locis perficiuntur ab episcopo, qui ipsius loco missam solemnem in ecclesia Metropolitana celebravit & olea benedixit, sed ante illum non defertur crux archiepiscopalis.*

CAPUT XI.

De lotione Altarium.

1. ANte completorium, pulsato signo ligneo, convenit clerus in chorum, & fit ablutio altarium.

2. Paratis omnibus itur processionaliter cum silentio sine cruce & sine luminaribus ad singula altaria, vel ad partem illorum secundùm consuetudinem locorum, incipiendo à majori altari. Ante quodlibet altare cantatur antiphona de sancto, sub cujus invocatione altare consecratum est, hoc ordine. Celebrans albâ & stolâ rubei coloris decussatâ paratus, ac ramum buxeum dextrâ deferens, præcedentibus duobus clericis, qui vasa vini & aquæ deferunt, duobus acolythis, qui mappulas deferunt, & duobus diaconis in albis cum stolis transversis, qui ramos buxi manu gestant, accedit ad majus altare ; ante illud profundè inclinat medius inter hos omnes similiter inclinantes, ascendit ad altare, il

Digitized by Google

lud osculatur in medio; tum accepto de manu primi diaconi urceo, aquam fundit in modum crucis super quamlibet crucem altaris, ordine in sequenti figura descripto.



Deinde accepto de manu secundi diaconi alio urceo, vinum similiter fundit super quamlibet crucem.

3. Tum celebrans, & diaconi aquam, & vinum ramis buxeis per totum altare diffundunt, deinde acolythi mappulis altare extergunt, choro interim cantante antiphonam sancti, sub cujus invocatione consecratum est altare, deinde descendunt in planum & altari profundè inclinant.

4. Post antiphonam decantatam, pueri cantant versiculum, & celebrans stans ante medium altaris, cantat orationem de sancto, sub cujus invocatione altare erectum est, & orationem minori conclusione terminat.

5. Postea celebrans, & ministri altari inclinant profundè, & proceditur ad alia altaria, quorum quodlibet eodem ritu lavatur.

6. Lotis altaribus, clerus redit in chorum; celebrans verò, & ministri eodem ordine, quo suprà, revertuntur in vestiarium, ubi vestes exuunt, & redeunt in chorum, ad audiendam lectionem evangelii.

7. Post lotionem altarium in multis locis, ut in ecclesia Metropolitana, redeunt omnes in vestiarium, ubi celebrans benedicit panem cantans *Benedicite*, cui respondet chorus *Dominus*: Tum subjungit celebrans *Benedic Domine creaturem istam panis &c.* ut suprà. Deinde eodem ordine benedicit vinum dicens *Benedicite*, & *Potum servorum suorum &c.* Postea singulis fit distributio panis, & vini in refectionem craftinam.

CAPUT XII.

De Mandato, seu lotione pedum.

1. POst lotionem altarium [& distributionem panis & vini, ubi viget ejusmodi consuetudo] diaconus dalmaticam rubei coloris induit in vestiario, genua flectit ante crucem vestiarii, & dicit *Munda cor meum*, surgit, accedit ad præpositum, vel, eo absente, ad digniorem, ante illum genua flectit, & benedictionem

Digitized by Google

ab illo petit, dicens *Jube domne benedicere* : præpositus, vel dignior stans nudo capite dicit de more *Dominus sit in corde tuo &c.* & manum non porrigit ad osculandum, deinde conversus ad thuriferarium, à dextris diaconi genuflexum thus benedicit dicens *Ab illo benedicaris &c.*

2. Thure benedicto, diaconus, & thuriferarius surgunt. Tum præcedentibus thuriferario cum thuribulo, ceroferariis, & subdiacono tunicam rubeam induto & pulvinar gestante, diaconus procedit in chorum.

3. Perveniens in chorum, profundè inclinans altare & chorum salutat, & codicem transversim ferens ut in missa, pergit ad aquilam, ubi cantat evangelium *Ante diem festum paschæ &c.* eodem ritu quo in missa.

4. Evangelio finito, diaconus revertitur in vestiarium, deinde fit concio, si sit talis consuetudo.

5. Post concionem, proceditur in locum consuetum, ubi præpositus, vel illo absente, dignior lavat pedes duodecim puerorum chori; vel clericorum hoc ordine.

6. Pueri sedent ordine super scamnum, & dextrum pedem habent nudatum.

7. Præpositus super habitum chori ordinarium mantili longo præcingitur à clerico: diaconus & qui ministraturi sunt, eodem modo mantilibus se præcingunt, deinde præpositus, & ministri nudant caput.

8. Paratis omnibus, choristæ imponit antiphonam *Mandatum novum do vobis*, cum reliquis sequentibus, choro prosequente.

9. Tum præpositus, assistentibus diaconis, accedit ad eum qui primus est in ordine, & coram singulis genuflexus, & nudato capite, singulorum pedes successivè lavat, extergit, & osculatur.

10. Expletâ lotione, præpositus, ministrantibus clericis, lavat manus, easque altero linteo extergit; deinde deponit linteum, quo erat præcinctus. Post hæc accedit ad locum suum; nudo capite, & facie ad chorum conversâ, cantat versum *Ostende nobis Domine*, cum precibus sequentibus, & oratione *Adesto*, ex libro, quem ante illum sustinet puer de collectario, ut moris est.

11. Dictâ oratione, ubi cœna fieri consuevit, præpositus dicit *Benedicite*, & chorus respondet *Dominus*, & continuò *Oculi omnium*. Deinde præpositus dicit secretò *Pater noster*, in cujus fine dicit altâ voce *Et ne nos &c.* choro respondente *Sed libera nos &c.* Postea præpositus extensâ manu super panem & vinum dicit *Benedic Domine dona tua &c.* ut in missali.

Digitized by Google

12. Tum clericus flexis genibus dicit *Jube domne benedicere*, & præpositus *Ad cœnam perpetuæ vitæ &c.*

13. Clericus stans legit in tono lectionum, ex capite decimo tertio evangelii secundum Joannem & sequentibus, si opus fuerit, incipiendo ab his verbis *Amen, amen dico vobis: non est servus major &c.*

14. Interim panis, & vinum distribuuntur à diaconis vel aliis clericis nudo capite, & in habitu chori ordinario, omnibus de clero sedentibus, & aliis assistentibus, demum dato signo à præposito, lector dicit *Tu autem Domine miserere nostri*, & chorus respondet *Deo gratias.* Mox clerus redit in chorum, ubi completorium cantatur alternis recto vocis tono hoc ritu: dicuntur psalmi consueti sine *Gloria Patri*: celebrans imponit psalmum *Cum invocarem*, choro prosequente. Finitis psalmis, celebrans imponit *Nunc dimittis*, choro prosequente sine *Gloria Patri*, & finito cantico celebrans dicit orationem *Respice* & in fine dicit sub silentio *Qui tecum &c* ut suprà ad vesperas.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

15. *Post lectum evangelium* Ante diem festum paschæ, *cancellarius, vel alius illius nomine concionatur latinè in choro. Mandatum fit in capitulo. Clericus præcentoris imponit antiphonam* Mandatum, *& alias antiphonas. Decanus & præcentor, vel illis absentibus duo digniores lavant pedes puerorum, iisque lotis Decanus facie conversâ ad barram capituli cantat versum* Ostende *cum precibus sequentibus. Dum fit cœna, macicotus legit lectionem* Amen, amen dico vobis. *Panis & vinum assistentibus distribuuntur à clerico præcentoris & ab aliis.*

CAPUT XIII.

De feria sexta Paraſceves.

ARTICULUS I.

De præparandis pro officio hujus diei.

1. ALtare involvatur linteo candido. In ecclesiis, ubi tabernaculum est super altari, ostium illius sit apertum. In altari collocentur missale suppositio pulvino coloris nigri, liber epistolarum, & liber passionum. Item suppedaneum sit penitus nudum, & credentia præparetur more solito.

2. Infra gradus altaris, vel ponè bancam, aut in alio loco com-

Digitized by Google

modiori, pro cujusque ecclesiæ situ, collocetur mensa humilis tapete cooperta, cum pulvinari superposito.

3. In vestiario parentur duo thuribula, cum naviculis; candelabra ceroferariorum cum candelis, & quatuor faces cereæ. Item vestes nigræ pro celebrante & ministris, scilicet casula pro celebrante, & transversæ pro diacono, & subdiacono: sex albæ pro lectoribus primæ & secundæ lectionis, & pro cantoribus primi & secundi tractûs. Item duo pluvialia nigra pro sacerdotibus, qui cantaturi sunt improperia *Populo meus &c.* albæ duæ, cum totidem stolis, & manipulis rubeis pro diaconis, qui delaturi sunt crucem; duo pluvialia rubea pro sacerdotibus, qui cantaturi sunt *Agios*; albæ duæ pro duobus subdiaconis, qui cantabunt hymnum *Pange lingua*: duo, vel quatuor pluvialia nigra, pro totidem sacerdotibus qui hastas baldachini deferent. Item baldachinum. Demum in loco, ubi servatur sanctissimum Sacramentum, vel in alio commodiori, pro situ ecclesiæ, præparetur crux velo lineo cooperta. Ubi habetur crux, cui inserta sit particula ligni vivificæ crucis Domini nostri Jesu Christi, eadem præparetur ad adorationem.

Articulus II.

De officio hujus diei usque ad crucis adorationem.

1. DUm in choro recitantur horæ ritu, qui dictus est capite decimo, art. 2. num. 1. celebrans, & ministri vestes sacras induunt in vestiario.

2. Tempore congruo, & paratis omnibus, celebrans procedit ad altare præcedentibus uno ex subdiaconis qui lecturus est primam lectionem in alba sine manipulo, subdiacono & diacono officii in transversis.

3. Pervenientes ad altare, profundè inclinant, deinde celebrans, & ministri sacri genibus flexis in ora infimi gradûs per breve temporis spatium orant, profundè inclinati.

4. Finitâ oratione, celebrans de more ascendit ad altare, illud osculatur in medio. Ad lectiones & tractus sedent omnes, & ad orationes stant.

5. Interim lector primæ lectionis ascendit ad cornu epistolæ, librum epistolarum ex eo sumit, ante medium altaris profundè inclinat, descendit in chorum, inter altare & aquilam profundè inclinans salutat altare & chorum, pergit ad aquilam, ubi nudo capite legit prophetiam *In tribulatione* in tono lectionum, eâque finitâ, duo in albis concinunt tractum *Domine, audivi &c.*

Digitized by Google

6. Circa finem tractûs, surgit celebrans, per breviorem viam accedit ad cornu epistolæ, & finito tractu, cantat *Oremus*, extendens, & jungens manus, & inclinans versûs medium altaris, moxque diaconus more solito cantat *Flectamus genua*, & interpositâ morâ, per quam ipse & reliqui omnes, excepto celebrante, genua flectunt, surgens cantat *Levate*. Tum celebrans extensis manibus, cantat orationem *Deus, à quo & Judas &c.*

7. Dum cantatur tractus, alius subdiaconus vel lector secundæ lectionis in alba accedit ad altare, librum epistolarum ex eo sumit, deinde eodem ritu quo suprà num. 5. accedit ad aquilam, ubi cantat sine titulo prophetiam *In diebus illis: dixit Dominus ad Moysen*, eâque finitâ, duo alii in albis concinunt tractum *Eripe me.*

8. Circa finem tractûs, pueri bini & bini accedunt ad altare, poplites flectunt, diaconus deponit casulam transversam, per latus epistolæ pergit ad posticam partem altaris, si per situm loci liceat, nudat pedes, per latus evangelii redit ad altare, librum passionum ex illo sumit, & in medio altaris more solito collocat; genibus flexis dicit *Munda cor meum &c.* non petit benedictionem, surgit, deinde præcedentibus pueris binis & binis, ac subdiacono, procedit more solito ad aquilam, sive pulpitum præparatum. Pueri circà pulpitum se sistunt in modum hemicycli facie ad diaconum versâ; & finito tractu, diaconus inchoat absolutè *Passio Domini nostri Jesu Christi &c.* & non signat librum, neque seipsum.

9. Celebrans stans inter medium altaris & cornu epistolæ facie ad diaconum conversâ audit passionem ut sup. p. 146. n. 12.

10. Ad verba *Tradidit spiritum*, celebrans, diaconus, & omnes alii ad terram se prosternunt, & illam deosculantur ut sup. p. 146. n. 12.

11. Finitâ passione, diaconus more solito redit ad altare; à tergo illius pedes calceat. Celebrans non osculatur librum, sed postquam Diaconus rediit ad altare, stans ad cornu epistolæ, junctis manibus cantat primam monitionem *Oremus, dilectissimi &c.* ut in missali, eâque finitâ extendens & jungens manus, ac caput inclinans versûs medium altaris, subjungit *Oremus*; moxque diaconus more solito cantat *Flectamus genua*, procumbit in genua &c. ut suprà, n. 6. omnibus cum illo genua flectentibus, & post brevem moram, idem diaconus surgens, subdit *Levate*, surgentibus omnibus, tumque celebrans extensis manibus cantat orationem in tono orationis missæ. Eodem ritu diaconus ante singulas orationes cantat *Flectamus genua*, exceptâ oratione pro Judæis; cele-

Digitized by Google

brans verò cæteras monitiones cantat junctis manibus, orationes verò manibus extensis, & in eodem tono quo primam. In fine cujuslibet orationis, chorus respondet *Amen*. Sede apostolicâ vacante, celebrans omittit monitionem & orationem pro papa. Similiter, sede Parisiensi vacante, omittit monitionem & orationem pro D. Archiepiscopo. In minoribus ecclesiis lectiones leguntur ab uno vel duobus clericis, si tot sint, in habitu chori ordinario. Tractus cantantur à choristis vel à choro alternis, imponente choristâ.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

12. *Primam, & secundam lectionem legunt successivè duo beneficiati subdiaconi in albis sine manipulo ut suprà n.* 2.

13. *Primum tractum concinunt duo macicoti in albis, & secundum duo alii macicoti in albis.*

14. *Passionem cantat diaconus nudis pedibus, super pulpitum, infra sedem speciosi, præparatum, subdiacono ponè diaconum stante, & pueris circà pulpitum in modum hemicycli stantibus.*

Quando D. Archiepiscopus celebrat.

15. *D. Archiepiscopus, albâ, cruce pectorali, stolâ, tunicellis, & casulâ nigri coloris indutus, cum mitra simplici, sine caligis, & sandaliis sericis, sine chirotecis, & pedo pastorali, procedit ad altare, præcedentibus crucifero, subdiacono beneficiato in alba, subdiacono & diacono canonicis, & sequentibus capellanis binis & binis.*

16. *Perveniens ad altare mitram deponit, genibus flexis orat per breve temporis spatium, surgit, ascendit ad altare, illud osculatur, mitram assumit, accedit ad faldistorium ubi sedet.*

17. *Cantato tractu, mitram deponit, cantat* Oremus, *& collectam, deinde sedet & assumit mitram.*

18. *Stans inter medium altaris & cornu epistolæ sine mitra, & conversus ad diaconum audit passionem.*

19. *Post cantatam passionem, accedit ad cornu epistolæ sine mitra, cantat monitiones & orationes ut suprà, n.* 11. *& omittit monitionem & orationem pro seipso. Cætera fiunt ut suprà ibidem.*

ARTICULUS III.

De Crucis adoratione.

1. DUm cantantur orationes, quatuor presbyteri, duo diaconi, duo subdiaconi, & omnes pueri vel clerici è choro procedunt in vestiarium, ubi nudant pedes; duo presbyteri cappas nigras induunt, duo alii cappas rubeas; diaconi albas cum mani-

Digitized by Google

pulis & stolis transversis rubei coloris; & duo subdiaconi albas sine manipulis.

2. Circa finem orationum, bini & bini vadunt ad locum, in quo crux adoranda præparata est: ante illam genibus flexis orant aliquantulum, moxque surgunt, & duo diaconi crucem utrâque manu assumunt, unâ manu pedem, & alterâ partem superiorem crucis sustinentes. Ubi eminentior est altitudo crucis, ut in ecclesia metropolitana, duo diaconi humeros & colla brachiis crucis supponunt, & utrâque manu pedem ejusdem crucis sustinent.

3. Finitis orationibus, celebrans accedit ad medium altaris, inclinat, descendit, ante medium altaris profundè inclinat, & præcedentibus ministris sacris, redit in vestiarium, ubi casulam exuit, & subdiaconus transversam: deinde celebrans & ministri denudant pedes.

4. Tum crux, linteo cooperta, defertur in chorum, hoc ordine.

5. Præcedunt pueri sive clerici bini & bini, succedunt duo subdiaconi in albis, sequuntur duo presbyteri in cappis rubeis, deinde duo diaconi in albis, cum stolis transversis & manipulis rubeis, qui crucem linteo coopertam gestant, facie crucifixi ad chorum conversâ, demum duo sacerdotes in cappis nigris, omnes nudis pedibus.

6. Cum pervenerint ad medium viæ, quæ ducit ad chorum, ordine prædicto genua flectunt, videlicet presbyteri in cappis nigris ponè diaconos, & diaconi facie ad chorum versâ; reliqui verò facie ad crucem conversâ, omnibus in ecclesia pariter genuflexis.

7. Tum duo presbyteri in cappis nigris cantant improperium *Populo meus &c.* deinde duo presbyteri in cappis rubeis cantant græcè *Agios ô theos &c.* postea surgunt omnes, & dum procedunt ad chorum, pueri cantant *Sanctus Deus.*

8. Pervenientes in chorum, è regione portæ, per quam ingressi sunt, eodem ritu genua flectunt, sacerdotes in cappis nigris cantant *Quia eduxi te &c.* deinde sacerdotes in cappis rubeis *Agios*, postea surgunt, & dum versûs medium chori progrediuntur, pueri cantant *Sanctus Deus.*

9. In medio chori, inter aquilam & presbyterium tertiò genua flectunt, sacerdotes in cappis nigris cantant *Quid ultra*, sacerdotes in cappis rubeis cantant *Agios*, postea surgunt, & dum versûs majorem portam progrediuntur, pueri cantant *Sanctus Deus.*

10. Dum cantatur *Sanctus*, duo diaconi ad mensam accedunt, crucem rectam super illam collocant, genuflectunt, & ponè mensam

Digitized by Google

mensam se sistunt, ubi genibus flexis perseverant usque ad finem adorationis, tum ad majorem decentiam, tum ut populi tumultum, si necesse sit, modestè compescant. Sacerdotes verò, subdiaconi, & pueri secedentes sistunt se ad loca ipsis ad hoc designata secundùm situm locorum.

11. Si celebrans ex devotione vel ex consuetudine velit crucem propriis manibus clero & populo osculandam exhibere, diaconi, collocatâ cruce super mensam, se sistunt ad utrumque latus mensæ, ubi genibus flexis perseverant ut suprà, & posteriorem mensæ partem cedunt celebranti, diacono, & subdiacono.

12. Dum crux collocatur in mensa, celebrans nudis capite & pedibus, cum stola & manipulo nigris, brachiis ante pectus complicatis, chorum ingreditur, sequentibus diacono cum stola & manipulo, & subdiacono cum manipulo, nudis capite & pedibus, ac brachiis ante pectus complicatis, altari profundè inclinat, si ante illud transeat, procedit ad crucem; diaconus verò, & subdiaconus sistunt se in locis, ipsis ad hoc assignatis.

13. Celebrans perveniens ad locum designatum pro prima genuflexione, in eo genua flectit, & profundè inclinat. Deinde post brevem moram surgit, & perveniens ad locum pro secunda genuflexione designatum, iterum procumbit in genua, & profundè inclinat. Tum perveniens ad locum, ubi tertiò genua flectenda sunt, submittit genua, & profundè inclinat, tuncque adrepens super genua, accedit ad crucem, velum ab illa amovet, diaconis illum adjuvantibus si necesse sit, profundè inclinat, deinde imponit antiphonam *Ecce lignum crucis &c.* choro prosequente. Diaconi crucem super pulvinar mensæ superpositum transversim ponunt, pedibus crucifixi ad partem epistolæ versis, moxque celebrans genibus flexis profundè inclinat & osculatur crucem. Post osculum, iterum profundè inclinat, surgit, & pergit ad locum ipsi destinatum, ubi brachiis ante pectus complicatis, & facie ad alteram chori partem versâ, expectat donec diaconus, & subdiaconus adoraverint.

14. Dum celebrans accedens ad crucem genua flectit pro secunda vice, diaconus pro prima vice genua flectit in loco, in quo celebrans primò genua flexit. Deinde celebrante genua flectente pro tertia vice, diaconus pro secunda vice genua flectit in loco, ubi celebrans secundò genua flexit. Postea dum celebrans, post osculum crucis discedit, diaconus pro tertia vice genua flectit, ubi priùs celebrans tertiò genua flexit, crucem osculatur eodem ritu, quo celebrans, & secedit ad locum ipsi designatum, ubi expectat subdiaconum facie ad alteram partem chori versâ.

Digitized by Google

Eodem ordine subdiaconus iisdem in locis tribus vicibus genua flectens, accedit ad crucem, illam osculatur, & post osculum surgit, & redit in vestiarium, præcedens diaconum & celebrantem, ubi celebrans, & ministri se calceant.

15. Ubi celebrans crucem osculandam exhibet, impositâ ab ipso antiphonâ *Ecce lignum*; primus diaconus crucem utrâque manu tenens celebranti offert osculandam. Celebrans post osculum accedit ad posteriorem partem mensæ, & genibus flexis crucem accedentibus offert osculandam. Diaconus post osculum crucis accedit ad dexteram celebrantis ponè mensam, ubi genua flectit. Eodem ordine subdiaconus, post osculum crucis accedit ad sinistram celebrantis ponè mensam & genua flectit.

16. Post subdiaconum, sacerdotes induti cappis nigris & rubeis singuli eodem ordine ad crucem adorandam, & post osculum crucis, loca sua respectivè repetunt, & cum ultimus ad locum suum redierit, iidem quatuor revertuntur in vestiarium; ubi cappas exuunt.

17. Sacerdotibus succedunt duo subdiaconi in albis; eodem ordine accedunt ad crucem, & post osculum illius, pergunt ad locum, in quo debent cantare hymnum *Pange lingua glorioſi prelium certaminis.*

18. Post subdiaconos, reliqui de clero ad crucem accedunt, incipiendo à digniori, & ter genua flectunt in tribus distinctis locis. Ultimo accedunt pueri, & post illos populus.

19 Cæterum ad prædictas stationes, prostrationes, & adorationes ritè & decentiùs faciendas, convenit, ut in qualibet ecclesia præfectus cæremomniarum, habitâ ratione situs loci, & majoris vel minoris concursûs populi, pensatisque omnibus pensandis designet: 1. locum, in quo parabitur crux deferenda pro adoratione: 2. locum mensæ, in qua collocabitur eadem crux: 3. loca, in quibus diaconi crucem deferentes, & alii præcedentes ac subsequentes facient tres stationes suprà dictas: 4. loca, ad quæ post depositam crucem secedent quatuor suprà dicti sacerdotes cappis induti, duo subdiaconi, & pueri, dum celebrans, diaconus, & subdiaconus crucem adorabunt: 5. loca, in quibus celebrans, & alii facient tres supradictas genuflexiones, antequam crucem adorent: 6. loca, ad quæ celebrans, diaconus, & subdiaconus sistent se ante & post adorationem crucis, denique locum, in quo duo subdiaconi suprà dicti cantabunt hymnum *Pange lingua*, & quatuor pueri hymnum *Vexilla.*

Digitized by Google

20. Ut autem in adoratione crucis nulla interponatur mora, nec confusio oboriatur, diligentissimè observandum erit, ut dum primus secundò genua flectet, sequens eodem tempore genua flectat pro prima vice, & quando primus tertiò genua flectet, sequens genua flectat pro secunda vice, & cum primus post osculum crucis discedet, sequens genua flectat pro tertia vice, atque alii deinceps, ita ut qui sequuntur succedant præcedentibus absque mora, neque priùs ab una prostratione surgant, quam alii discedant ab altera.

21. Dum fit adoratio crucis, cantatur antiphona *Ecce lignum*, imponente celebrante, ut suprà, n. 13. psalmum *Deus misereatur* imponit choristа hebdomadarius in habitu chori ordinario. Deinde cantatur antiphona *Tuam crucem*, cum sequentibus antiphonis, psalmis, & hymnis *Pange lingua*, & *Vexilla*, ut habentur in graduali, vel omnes aut pars illorum, prout multitudo vel paucitas adorantium requisierit, hoc ordine. Antiphonas & psalmos imponit idem choristа, hymnum *Pange lingua* concinunt duo subdiaconi supradicti in albis, nudis capite & pedibus stantes ante crucem in loco eis assignato; & post finem illius redeunt in vestiarium; hymnum *Vexilla* quatuor pueri concinunt eodem modo.

22. Circà finem hymni *Vexilla*, sacristа refert ad altare casulam celebrantis & transversam subdiaconi. Celebrans, sequentibus diacono, & subdiacono, redit ad mensam, in qua crux adoratur.

23. Pervenientes ad mensam, genua flectunt, duo diaconi surgunt, assumunt crucem & elevant. Tum celebrans genibus flexis, medius inter diaconum, & subdiaconum, imponit antiphonam *Super omnia*, quam chorus prosequitur. Tum diaconi crucem ad altare deferunt, sequentibus subdiacono, diacono, & celebrante, eâque super altare depositâ, genuflectunt, & revertuntur in vestiarium.

24. Si crux, propter eminentiorem altitudinem super altare collocari non possit, circa finem adorationis, sacristа cappâ rubeâ indutus, minorem crucem defert ad mensam, & solus redit in vestiarium: deinde celebrans accedit ad mensam, ut suprà, ibique medius inter diaconum & subdiaconum genua flectit, crucem utraque manu sumit, deinde elevat imponens antiphonam *Super omnia*, ut suprà, surgit, & medius inter ministros, qui anteriores vestes illius elevant, defert ad altare, & in medio illius collocat. Si celebrans crucem adorandam offerat, eodem modo imponit antiphonam *Super omnia*, crucem elevat & defert ad altare.

Digitized by Google

25. Ubi major est concursus populi, postquam clerus, & præcipui è laicis crucem in choro deosculati sunt, crux refertur ad altare, ut suprà, & duo, vel plures sacerdotes in stolis rubeis, cruces deferunt ad mensas per ecclesiam dispositas cum pulvinis, ubi stant vel sedent dum crucis adoratio fit à populo.

26. In minoribus ecclesiis celebrans solus, vel si habeat ministros sacros, medius inter diaconum & subdiaconum crucem defert in chorum præcedentibus choristis. Solus vel cum ministris cantat improperia. Choristæ cantant *Agios &c.* chorus cantat *Sanctus.* Idem choristæ cantant hymnos suprà dictos.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

27. *Crux defertur in chorum hoc ordine, procedunt* 1. *omnes pueri:* 2. *duo beneficiati subdiaconi in albis:* 3. *duo beneficiati sacerdotes in cappis rubeis:* 4. *duo macicoti diaconi in albis cum stolis transversis & manipulis rubeis crucem humeris deferentes ut suprà; denique sequuntur duo beneficiati presbyteri in cappis nigris.*

28. *Prima statio fit in medio viæ, quæ ducit è sacello, ubi crux parata erat, ad chorum: secunda in introitu chori, prope sedem pontificalem: tertia in medio chori, inter aquilam & gradus presbyterii.*

29. *Crux super mensam inter bancam & tumbam eneam præparatam collocatur. Clericus fabricæ cappâ rubeâ indutus ad eandem mensam affert minorem crucem in qua servatur portio ligni vivificæ crucis D. N. J. C. & aliud vas in quo est frustulum coronæ spineæ ejusdem D. N. J. C.*

30. *Sacerdotes, subdiaconi, & pueri secedentes à tertia statione, sistunt se ad scamnum puerorum, à parte dextra, quisque in ordine suo à tertia sede puerorum ad sextam ita ut dignior sacerdos sit in tertia sede, & minimus puerorum in sexta: omnes facie ad alteram partem chori versâ.*

31. *Dum ultimò cantatur* Sanctus Deus, *celebrans, sequentibus diacono & subdiacono, revertitur in chorum ut suprà, & procedit ad crucis adorationem; pro prima vice genua flectit è regione aquilæ, pro secunda vice genua flectit è regione bancæ, deinde conversus ad crucem inter mensam illius, & tumbam eneam pro tertia vice genua flectit. Post hæc adrepens super genua accedit ad crucem, velum ab ea amovet adjuvantibus diaconis, imponit antiphonam* Ecce lignum, *crucem osculatur & recedit ad secundam sedem puerorum, à parte dextra, ubi facie ad*

Digitized by Google

alteram partem chori versâ expectat donec diaconus & subdiaconus adoraverint.

32. *Diaconus, reversus in chorum, sistit se in secunda sede puerorum, ab eadem parte, & subdiaconus in prima. Dum celebrans secundò genua flectit, diaconus genua flectit è regione aquilæ &c. ut suprà num. 13. & 14. & post adoratam crucem, recedit ad primam sedem puerorum. Subdiaconus verò, post adoratam crucem redit in vestiarium, præcedens diaconum & celebrantem.*

33. *Hymnus* Pange lingua *cantatur à duobus beneficiatis subdiaconis in albis, & nudis pedibus, inter sextam sedem puerorum, à parte dextra, & tumbam eneam. In eodem loco quatuor pueri, eodem modo cantant hymnum* Vexilla; *cætera fiunt ut suprà.*

Quando D. Archiepiscopus celebrat in pontificalibus.

34. *Dictis orationibus, pontifex descendit in planum, mitram assumit, & præcedentibus crucifero, subdiacono, & diacono, redit in vestiarium, ubi mitram deponit, casulam, & tunicellas exuit, ac pedes nudat.*

35. *Ad ultimum* Sanctus Deus, *D. Archiepiscopus, nudis pedibus, in alba cum stola & manipulo, complicatis ante pectus brachiis, redit in chorum, sequentibus diacono, subdiacono, & primo capellano, ter genua flectit ut suprà, adjuvante & illum sublevante capellano, si opus sit, crucem discooperit, antiphonam* Ecce lignum *imponit, crucem adorat, recedit ad secundam sedem puerorum, ubi expectat diaconum, & subdiaconum; & postquam subdiaconus adoravit, redit in vestiarium, præcedentibus subdiacono & diacono, ac sequente capellano. Cætera fiunt ut suprà.*

Articulus IV.

De reliquo officio.

1. Finitâ antiphonâ *Super omnia*, celebrans (cum ministris surgit, ascendit ad altare,) casulam induit, sicut & subdiaconus transversam, & ad cornu epistolæ lavat manus, nihil dicens.

2. Redit ad medium altaris, cruci inclinat, descendit in planum, medius inter diaconum & subdiaconum profundè inclinat, confessionem facit more solito, deinde dicit *Misereatur* & *Indulgentiam.*

3. Posteà celebrans profundè inclinat, & præcedentibus clero ut suprà cap. 9. art. 3. num. 16. subdiacono & diacono, procedit per viam breviorem ad locum, vel capellam, ubi SS. Sacramentum repositum est.

Digitized by Google

4. Interim luminaria altaris accenduntur, corporale explicatur, & missale ponitur à parte evangelii prope corporale : thuriferarii, ceroferarii cum cereis accensis, quatuor, vel sex clerici in albis, cum facibus accensis, duo, vel quatuor sacerdotes induti cappis nigris, vel in habitu chori ordinario, accedunt ad eundem locum ita tempestivè, ut advenientem celebrantem, & intrantem præcedentes comitentur.

5. Celebrans perveniens ad prædictum locum, genua flectit in infimo gradu medius inter diaconum, & subdiaconum, & profunde inclinat : thuriferarii genua flectunt in plano ad dextram diaconi : ceroferarii ad utrumque latus altaris, sacerdotes ad hastas baldachini & clerici qui gestant faces ponè ministros sacros, si per spatium liceat, vel in modum hemicycli ponè celebrantem genua flectunt, locum in medio relinquentes thuriferarii s.

6. Post brevem orationem, diaconus surgit, ascendit ad altare, genuflectit dorsum vertens ad latus epistolæ, ne terga vertat celebranti, corporale explicat super altare, capsam aperit, in qua reconditum est SS. Sacramentum, genuflectit, bursam, sive arculam è capsa depromit, & in medio altaris sicut & pyxidem in eadem arca pridie à sacrista in parochialibus ecclesiis collocatam ponit, bursam sive arculam & pyxidem aperit, corporale ex eadem bursa vel arcula extrahit, corporale explicat, minores hostias pridiè pro infirmis reservatas in supradicta pyxide, vel alia ad id præparata ponit : corporale plicat, & in bursa ponit, pyxidem operit & ponit in arca quam claudit. Attendat diaconus, ut : si sacras hostias tetigerit, illico non recedens à medio altaris, digitos abluat in aliquo vase ad id destinato, eosque purificatorio abstergat, ministrante sacristâ, qui ablutionem tempore congruo projiciet in sacrarium.

7. His peractis, diaconus genuflectit & redit ad dextram celebrantis, ubi genua flectit. Celebrans genuflexus, thuriferariis ministrantibus thuribula, & diacono cochlear sine osculis, thus immittit in thuribula nihil dicens. Posteà accepto de manu diaconi thuribulo SS. Sacramentum trino ductu thurificat, profundè inclinans ante & post, thuribulum reddit diacono : thuriferarii sistunt se in medio clericorum, qui faces gestant; celebrans surgit, ascendit ad altare, genuflectit profundè inclinans; bursam, vel arculam ambabus manibus accipit, & conversus ad astantes, populum ter benedicit, dum thuriferarii genibus flexis sine intermissione SS. Sacramentum thurificant.

8. Post datam benedictionem, sacerdotes baldachinum deferunt

Digitized by Google

ante infimum gradum altaris, vel januam capellæ, moxque celebrans, medius inter diaconum & ſubdiaconum, SS. Sacramentum ſub baldachino reverenter portans, cum ſilentio redit ad altare per viam longiorem, eodem ordine quo ſuprà pag. 157. cap. 9. art. 3. num. 16.

6. Cum perventum fuerit in chorum, omnes in locis ſuis genua flectunt, & SS. Sacramento tranſeunti profundè inclinant: ſacerdotes baldachinum referunt in locum ſuum, & in veſtiarium revertuntur: celebrans verò aſcendit ad altare, & converſus ad chorum, rurſus populum ter benedicit, thuriferariis interim genibus flexis SS. Sacramentum continuè incenſantibus. Deinde celebrans converſus ad altare, burſam in medio altaris collocat, genuflectit, deſcendit in planum, & genua flectit in infimo gradu. Poſt benedictionem SS. Sacramenti omnes ſurgunt, & converſi ad altare, nudo capite ſtant uſque ad communionem celebrantis inclusivè.

10. Poſteà thuriferarius accedit ad dextram diaconi, ubi genua flectit. Celebrans genibus flexis thus immittit in thuribulum ſine benedictione, miniſtrantibus de more diacono & thuriferario; accipit thuribulum de manu diaconi, & SS. Sacramentum trino ductu thurificat, profundè inclinans antè & poſt.

11. Factâ incenſatione, celebrans medius inter ſacros miniſtros aſcendit ad altare, ubi genuflectit, burſam, ſeu arculam aperit, depromptum ex illâ corporale deponit ſuper altare, & explicat dum ſubdiaconus burſam ad latus evangelii collocat, moxque ante ſacram hoſtiam genuflectit cum miniſtris.

12. Tum ſubdiaconus tranſit ad partem epiſtolæ, calicem more ſolito defert ad altare, & genuflectit, thuriferarii verò thuribula referunt in veſtiarium.

13. Deinde diaconus calicem diſcooperit, pallam amovet, patenam ponit ſubtus corporale more ſolito, calicem purificatorio tergit, imponit in eo vinum de more, & ſubdiaconus aquam nihil dicens, acolytho miniſtrante ampullas, quas, infusâ in calicem aquâ, illi reddit, moxque genuflectit, revertitur ad ſiniſtram celebrantis, & genuflectit.

14. Celebrans non benedicit aquam, nec dicit orationem ſolitam, ſed calicem à diacono ſine oſculis porrectum accipit, & ſtatim deponit ſuper corporale inter hoſtiam & crucem nihil dicens, nec ipſo calice formans ſignum crucis ſuper corporale.

15. Tum diaconus calicem pallâ cooperit; ſubdiaconus in libro miſſali indicat celebranti quæ agenda ſunt, & tempore ſuo vertit folium, deinde diaconus & ſubdiaconus genuflectunt, & loca ſua petunt ponè celebrantem.

Digitized by Google

16. Celebrans voce solitò minus elatâ, & manibus consueto more junctis cantat *Oremus. Præceptis salutaribus moniti &c.* deinde illas extendit dicens *Pater noster.*

17. Post finem orationis Dominicæ, chorus respondet *Sed libera nos à malo*; deinde celebrans dicit *Amen*, moxque eâdem voce quâ cantavit *Pater*, extensis manibus cantat recto vocis tono *Libera nos &c.* ut in missali.

18. Finitâ oratione *Libera nos*, chorus respondet *Amen*, tumque celebrans genuflectit, surgit, patenam supponit hostiæ, illam dextrâ tantùm accipit, & fixis in eam oculis ita elevat ut videri possit à populo, sinistrâ interim super corporale positâ retinens patenam, quam non elevat. Cum celebrans genuflectit, diaconus & subdiaconus genuflectunt, deinde in orâ secundi gradûs hinc & inde procumbunt in genua.

19. Ad elevationem non incensatur SS. Sacramentum: diaconus, & subdiaconus genibus flexis ut suprà num. 18. & corpore profundiùs inclinato adorant, & non elevant planetam celebrantis.

20. Dum celebrans demittit hostiam, diaconus surgit, ad dextram celebrantis accedit, calicem discooperit sine genuflexione, & subdiaconus ad sinistram, ut celebranti indicet quæ facienda sunt, tumque celebrans non deponens de manu sacram hostiam, dividit illam more solito super calicem in tres partes, quarum minimam partem mittit in calicem nihil dicens, nec ipsâ faciens signum crucis.

21. Non dicitur *Pax Domini*, nec *Agnus Dei*, neque datur pacis osculum.

22. Post immissam hostiæ particulam, diaconus operit calicem, celebrans genuflectit cum ministris, surgit, & junctis manibus super altare dicit *Perceptio &c.* ut in missali.

23. Interim diaconus transit ad librum, & subdiaconus ad dextram celebrantis, ubi finitâ oratione *Perceptio &c.* cum celebrante genuflectunt & surgunt.

25. Posteà celebrans accipit patenam cum SS. Sacramento dicens *Panem cœlestem &c.* tum se inclinans percutit pectus ter dicens *Domine non sum dignus &c.* deinde signat se SS. Sacramento dicens *Corpus Domini nostri Jesu Christi &c.* moxque sumit corpus Domini, inclinantibus se ministris, qui pectus tundunt ad *Domine non sum dignus.*

27. Post aliquam moram, dum celebrans disjungit manus, subdiaconus calicem discooperit, celebrans genuflectit cum ministris, & omissis omnibus, quæ dici solent ante sumptionem pretiosi san-

Digitized by Google

guinis, nihil dicens nec se signans, vinum cum admixta hostiæ particula sumit, ministris interim profundè inclinantibus; deinde omissâ purificatione calicis, digitos abluit de more super calicem, subdiacono fundente vinum & aquam, tersisque digitis stans in medio altaris ablutionem sumit more solito, omissis orationibus consuetis.

26. Sumptâ ablutione, celebrans junctis manibus & inclinatus ante altare dicit *Quod ore &c.* ut in missali.

27. Interim clerici faces accensas referunt in vestiarium, diaconus casulam transversam induit, & cum solitis inclinationibus in accessu, & recessu, transit ad dextram celebrantis, & librum defert ad cornu epistolæ, subdiaconus transit ad sinistram, ubi extergit calicem, plicat corporale, & in bursam reponit, de more calicem aptat & defert in locum constitutum vel ad credentiam.

28. Celebrans, factâ altari inclinatione, descendit in planum, antè medium altaris profundè inclinat, accedit ad sedem suam, ubi sedens cum ministris recitat vesperas ut in missali. Tum vesperæ dicuntur in choro eodem ritu, quo horæ minores

29. Ad canticum *Magnificat*, celebrans surgit cum ministris, deinde breviori viâ accedit ad cornu epistolæ, ubi sine *Oremus* dicit orationem *Respice*, cujus conclusionem dicit secretò, eâque finitâ, more solito redit in vestiarium.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

30. *Post antiphonam* Super omnia *decantatam, celebrans surgit; casulam induit, lavat manus, facit confessionem, & præcedentibus ceroferariis, subdiacono & diacono viâ breviori procedit in capellam, SS. Sacramentum incensat, populum benedicit, & præcedentibus ceroferariis subdiacono, diacono & thuriferariis, incedens sub baldachino, cujus hastas deferunt capellani ecclesiæ, comitantibus ad quatuor angulos baldachini quatuor pueris, qui faces accensas deferunt, SS. Sacramentum refert ad altare viâ breviori. Cætera fiunt ut suprà n. 9. & sequentibus.*

Quando celebrat D. Archiepiscopus.

31. *Post depositam in altari crucem & finitam antiphonam* Super omnia, *pontifex tunicellas, & casulam induit, mitram assumit, lavat manus ut suprà, deinde descendit in planum, mitram deponit, confessionem facit, & post* Indulgentiam *mitram assumit: præcedentibus thuriferariis, crucifero, subdiacono, & diacono, & ceroferariis, procedit ad capellam, ubi asservatur SS. Sacramentum, sequentibus capellanis.*

32. *Perveniens ad limen capellæ, mitram deponit, SS. Sacra-*

Digitized by Google

mentum thurificat, populum benedicit & præcedentibus ceroferariis crucifero, subdiacono, diacono, & thuriferariis incedens sub baldachino ut suprà, num. 30. SS. Sacramentum refert ad altare. Cætera perficit ut suprà n. 9. & sequentibus.

33. *Sumptâ ablutione, pontifex accedit ad cornu epistolæ, mitram assumit, lavat manus, redit ad medium altaris, procedit ad faldistorium, & sedens recitat vesperas cum ministris.*

34. *Ad antiphonam* Exclamans Jesus, *mitram deponit, stans ad faldistorium dicit* Magnificat, *antiphonam* Exclamans Jesus, *& orationem* Respice, *eâque dictâ, ante medium altaris profundè inclinat, mitram assumit, & præcedentibus crucifero, subdiacono, diacono, & ceroferariis, redit in vestiarium.*

CAPUT XIV.

De Sabbato Sancto.

ARTICULUS I.

De præparandis pro officio hujus diei.

1. MAnè horâ convenienti discooperiantur imagines, ornetur ecclesia; majus altare, ac cætera ecclesiæ altaria parentur ornamentis albis: gradus etiam altaris tapetibus festivis operiantur secundùm facultates cujuslibet ecclesiæ.

2. Pro litaniis, præparentur sex pluvialia albi coloris.

3. Pro novi ignis benedictione, præparentur duæ stolæ, & tres manipuli coloris albi pro celebrante, diacono, & subdiacono: silex, vas æneum, aut ferreum cum carbonibus aliquot, qui per sacristam accendantur ex igne novo, quem ex eodem silice excutiet: vas aquæ benedictæ, cum aspergillo: thuribulum ac forcipes ad immittendum ignem in thuribulum.

4. Pro præconio paschali, parabitur ante altare infra gradus presbyterii candelabrum majus, (in modum columnæ, si fieri possit, fabrefactum,) in quo ponetur cereus paschalis, trium vel plurium librarum, prout ecclesiæ tulerint facultates. Habebit autem cereus quinque foramina, & ad eam altitudinem à terra disponetur, ut diaconus facili negotio grana incensi in illis figere valeat, scabello pedibus ejus suppositio, si opus sit. Cerei summitas, sive ellychnium, ita præparetur ut flammam protinus concipiat. Cereus etiam sic collocabitur in candelabro, ut foramina ipsius respiciant partem epistolæ. In ecclesia metropolitana, & aliis in quibus cereus est altitudinis eminentioris, parabitur alius cereus minor, habens quinque foramina ut suprà, & benedi-

Digitized by Google

cetur unà cum majori cereo, eâdem benedictione per modum unius : eidem infigentur quinque minora grana incensi : idem collocabitur in candelabro majoris ceroferarii, & deferetur ad fontem, dum major cereus ardebit ante altare : infra candelabrum parabitur etiam pulpitum tapete coopertum.

5. Pro lectione prophetiarum, præparabuntur ornamenta violacei coloris, videlicet pro celebrante, casula, & pro diacono, & subdiacono planetæ transversæ, seu dalmatica, & tunica, cum stolis, & manipulis violaceis; alba cum stola & manipulo violaceis pro alio diacono, qui lecturus est primam lectionem, tres albæ mundæ pro lectoribus 2. 3. & 4. prophetiæ : quatuor albæ mundæ pro cantoribus, primi & secundi tractûs, & duo pluvialia violacea pro cantoribus tractûs *Sicut cervus.*

6. Pro benedictione fontis baptismalis, curabit sacrista, ut in piscinam, vel si non cesse sit, in aliquod vas ad hoc destinatum, effundatur quod reliquum fuerit aquæ baptismalis anni præcedentis, & fons intus, & exteriùs diligenter mundetur. Juxta fontem verò à latere ponentur duo, vel plura vasa aquæ miscendæ cum aqua benedicta, pro aspersione facienda, antequàm oleum & chrisma infundantur in aquam fontis. Item mantile ad extergendas manus celebrantis, cùm opus fuerit. Pretereà in vestiario duo vasa argentea, cum oleo sancto, & chrismate hoc anno consecratis, quantum fieri poterit.

7. Pro missa solemni, debent in sacristia præparari ornamenta alba pro celebrante, & ministris sacris.

8. Denique sacrista paratus stolâ super habitum chori, præcedentibus duobus acolythis, cum cereis vel facibus accensis pyxidem cum particulis consecratis referet ad locum consuetum.

Articulus II.

De prima litania, & benedictione ignis.

1. Post nonam, prima litania hoc ordine quater decantatur. Tres diaconi & tres subdiaconi, vel illorum defectu sex de choro in cappis albis chorum ingressi, cum debitis inclinationibus sistunt se ad bancam, deinde duo, qui sunt à parte dextra stantes præcinunt *Kyrie eleison* : tum duo medii idem succinunt, hinc duo, qui sunt à parte sinistra, idem concinunt, demum chorus stans innixus stallis quartò idem repetit quod bini & bini priùs dixerunt. Eodē ordine reliqui versus decantantur, ita ut quilibet versus quater dicatur. Finitâ litaniâ, cantores in vestiarium revertuntur. In minoribus ecclesiis eadem litania quater cantatur hoc ordine : primus

Digitized by Google

choristа præcinit *Kyrie eleison*, secundus choristа idem succinit, tum chorus dexter idem cantat, quartò denique chorus sinister idem repetit & sic de reliquis.

2. Dum cantatur prima litania, novus ignis in vestibulo ecclesiæ, vel in vestiario benedicitur hoc modo.

3. Si in vestibulo ecclesiæ benedicatur ignis, celebebrans in alba, stola & manipulo albi coloris, præcedentibus acolytho, qui defert missale, thuriferario cum thuribulo, deindè duobus acolythis, quorum alter defert vas aquæ benedictæ cum aspergillo; alter verò quinque grana incensi gestat in pelvi, tum subdiacono in alba cum manipulo albi coloris, ac diacono in alba cum stola & manipulo ejusdem coloris, procedit ad vestibulum ecclesiæ, ubi, medius inter hos omnes, sistit se ante fores ecclesiæ, facie ad illas conversâ. Ubi non est vestibulum celebrans sistit se ante crucem vestiarii, cum ministris, eodem ordine quo suprà.

4. Thuriferarius forcipibus accipit aliquot carbones priùs à sacristа accensos ex supradictis carbonibus, & mittit in thuribulum, deinde sistit se ad dextram diaconi, carbones celebranti præsentans in thuribulo.

5. His ita constitutis, celebrans benedicit ignem, dicens ex libro, quem ante illum sustinet acolythus, *Dominus vobiscum* cum orationibus sequentibus. Ad verba *Novum hunc ignem sanctifica*, & *Benedic hoc lumen &c.* dextrâ format signum crucis super ignem.

6. Post ignem benedictum, acolythus utrâque manu portans pelvim, in qua sunt quinque grana incensi cereo infigenda, accedit ad dextram celebrantis, qui illa benedicit dicens *Veniat quæsumus &c.* & ad verba *Tuæ benedictionis infusio*, format signum crucis super eadem grana.

7. Completâ benedictione incensi, thuriferarius cum thuribulo & navicula, & alius acolythus cum vase aquæ benedictæ & aspergillo, accedunt ad celebrantem. Tum celebrans, ministrantibus diacono & thuriferario, thus immittit in thuribulum, & benedicit more solito dicens *Ab illo benedicaris*, deinde similiter accipit aspergillum à diacono, ter aspergit grana incensi, & ignem novum, dicens *Asperges me*, sine psalmo. Posteà reddit aspergillum diacono, à quo porrectum cum osculis thuribulum sumens, ter incensat ipsa grana, nihil dicens, & thuribulum reddit diacono; acolythi verò aspergillum & thuribulum, cum opus est, præbent diacono, & ab illo more solito recipiunt sine osculis. Ubi duo cerei benedicuntur, celebrans decem grana incensi benedicit.

Digitized by Google

IN ECCLESIA METROPOLITANA

8. *Ignis benedicitur in vestiario eodem ordine.*

Quando celebrat D. Archiepiscopus.

9. *D. Archiepiscopus albâ, cruce pectorali, stolâ & cappâ ornatus sine mitra ignem novum & grana incensi benedicit ut suprà num. 5. & sexto, iisque benedictis, thus mittit in thuribulum dicens* Ab illo benedicaris, *grana incensi, & ignem aquâ benedictâ aspergit, & grana incensi thurificat.*

ARTICULUS III.

De præconio Paschali.

1. FInitâ primâ litaniâ, celebrans induit casulam albam, diaconus & subdiaconus dalmaticam, & tunicam ejusdem coloris, moxque celebrans, præcedentibus thuriferario unâ manu thuribulum, alterâ verò naviculam, vel pelvim, cum quinque granis incensi benedictis, deferente, ceroferariis cereos extinctos gestantibus, acolytho in cappa alba crucem ferente, subdiacono, & diacono, procedit ad altare.

2. Perveniens ad altare in infimo gradu genua flectit cum ministris, ascendit ad altare, illud osculatur in medio, & sistit se inter medium altaris & cornu epistolæ.

3. Diaconus accipit librum de altari, genuflectit, & more solito benedictionem petit à celebrante dicens *Jube domne benedicere*: Tum celebrans ad illum conversus benedicit illum, dicens *Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis, ut dignè & competenter annunties paschale præconium &c.* & illi manum non porrigit osculandam, & format super illum signum crucis.

4. Acceptâ benedictione, diaconus surgit, ante altare profundè inclinat, & præcedentibus acolythis, & subdiacono, procedit ad pulpitum paratum infra cereum paschalem.

5. Pervenientes ad pulpitum, ceroferarii, & acolythus cum cruce, & subdiaconus sistunt se, ut ad evangelium in missa: thuriferarius verò cum thuribulo, & granis quinque incensi benedicti, ad dextram diaconi, facie ad pulpitum conversâ: pueri ad sinistram diaconi; facie ad idem pulpitum versâ.

6. Diaconus statim librum deponit super pulpitum, illum aperit, & non signans librum, nec se ipsum, junctis manibus cantat præconium paschale, dicens *Exultet &c.* & non incensatur.

Digitized by Google

7. Interim celebrans, & omnes de choro convertunt se ad diaconum, sicut ad evangelium.

8. Post verba *Sacrosancta reddit Ecclesia*, diaconus cantum intermittit, & ministrante thuriferario, quinque grana incensi cereo infigit ordine in sequenti figura descripto.



eaque admovet ad ignem si necesse sit, antequam foraminibus inserat. In ecclesia metropolitana, & aliis, ubi cereus est altitudinis eminentioris, diaconus alia quinque minora grana incensi infigit cereo minori.

9. Infixis granis, prosequitur cantum dicens *Sed jam columnæ.* Post verba *Rutilans ignis accendit*, iterum cantum intermittit, & ex novo igne, quem ministrat thuriferarius in thuribulo, cereum paschalem accendit & prosequitur *Qui licet.*

10. Post verba *Apis mater eduxit*, diaconus pauliſper remittit cantum, dum thuriferarius cereos ceroferariorum, & lampadem accendit.

11. Advertat diaconus circà finem benedictionis, ut sede Romanâ vacante, omittat verba *Papa nostro*: similiter sede Parisiensi vacante, prætermittat verba *Antistite nostro &c.*

12. Completo præconio, diaconus redit ad altare, librum super illud collocat, acolythus crucem ad latus epistolæ deponit in loco suo; deinde celebrans, cum ministris accedit ad medium altaris, profundè inclinat, descendit in planum, ante medium altaris profundè inclinat, & præcedentibus thuriferario, ceroferariis, & ministris redit in vestiarium, ubi ornamentis albis depositis, ipse & ministri ornamenta ferialia violacei coloris sumunt.

Digitized by Google

13. In eccleſiis in quibus miſſa cantatur ſine diacono, celebrans cantat præconium paſchale.

14. Cereus paſchalis, ab hac horâ, uſque ad officium completum in die paſchæ ardere debet. Præterea ardere debet ad miſſam, & veſperas, uſque ad miſſam ſabbati *In albis* incluſivè, & à principio veſperarum vigiliæ aſcenſionis, uſque ad completum officium in die aſcenſionis incluſivè, atque ab ultima prophetia vigiliæ pentecoſtes uſque ad finem officii completi in die pentecoſtes.

Quando celebrat D. Archiepiſcopus.

15. *D. Archiepiſcopus indutus caſulâ albâ ſine pallio, perveniens ad altare mitram deponit, genua flectit cum miniſtris, aſcendit ad altare, illud oſculatur in medio, mitram aſſumit, vadit ad faldiſtorium, ſedet, diaconum benedicit, mitram deponit, ſurgit, pedum inter ambas manus accipit, & ſtans facie converſâ ad diaconum audit præconium paſchale.*

Articulus IV.

De Prophetiis.

1. CElebrans, poſt aſſumpta ornamenta violacei coloris, revertitur ad altare, præcedentibus ceroferariis, diacono, qui lecturus eſt primam lectionem, in alba, cum ſtola tranſverſa, & manipulo coloris violacei, ſubdiacono, & diacono: ante medium altaris profundè inclinat cum miniſtris & prædicto diacono ad ſiniſtram ſubdiaconi, aſcendit ad altare, illud oſculatur in medio. Dum cantantur lectiones & tractus ſedent omnes; dum verò dicuntur orationes ſtant.

2. Interim diaconus, qui lecturus eſt primam prophetiam, aſcendit ad altare, librum ex eo ſumit, deſcendit in planum ante medium altaris profundè inclinat, & cum debitis inclinationibus procedit ad aquilam, ubi legit lectionem *In principio creavit Deus &c.* eâque lectâ eodem ordine redit ad altare, infrà gradum infimum profundè inclinat, librum tradit ſubdiacono vel lectori qui lecturus eſt ſecundam prophetiam, & poſt mutuam inclinationem redit in veſtiarium.

3. Circa finem lectionis, celebrans per breviorem viam redit ad altare, ubi ſtans ad cornu epiſtolæ cantat *Oremus*, deinde diaconus more ſolito dicit *Flectamus genua*, & poſt brevem moram ſubdit *Levate*. Tum celebrans dicit orationem. Eodem ordine celebrans cantat alias orationes.

4. Lectiones 2. 3. & 4. ſine titulo cantantur in tono lectionum ad aquilam chori ritu, qui deſcriptus eſt ſuprà num. 2. à

Digitized by Google

cribus subdiaconis in tabulâ notatis, vel lectoribus in albis si subdiaconorum numerus non suppetat.

5. Primum tractum cantant duo de choro in albis, secundum alii duo cantores in albis, tertium duo in cappis violacei coloris ad bancam.

6. Finito tractu *Sicut cervus*, celebrans redit ad altare, ut suprà, & stans ad cornu epistolæ dicit *Dominus vobiscum* non se vertens ad populum, deinde orationem *Omnipotens sempiterne Deus respice propitius &c.*

7. In minoribus ecclesiis lectiones cantantur à clericis, tractus verò decantantur à choro, imponentibus choristis.

IN ECCLESIA METROPOLITANA,

8. *Primam prophetiam legit beneficiatus diaconus, 2. 3. & 4. respectivè legunt tres beneficiati subdiaconi ut suprà. Primus tractus cantatur à duobus macicotis in albis, secundus à duobus aliis macicotis in albis, tertius à duobus aliis in cappis violaceis.*

Quando celebrat D. Archiepiscopus.

9. *Completo præconio paschali, D. Archiepiscopus exuit indumenta alba & induit violacea sine pallio.*

10. *Stans ad faldistorium cantat orationes sine mitra & dum cantantur lectiones & tractus, sedet cum mitra.*

ARTICULUS V.

De secunda litania, benedictione fontis, & baptismo.

1. POst orationem *Omnipotens sempiterne Deus &c.* celebrans accedit ad medium altaris, inclinat, descendit, ante medium altaris, profundè inclinat cum ministris, deinde iisdem præcedentibus revertitur in vestiarium, ubi cum ministris deponit ornamenta violacea, deinde sumit manipulum, stolam, & cappam albi coloris, diaconus manipulum, stolam, & dalmaticam; subdiaconus verò manipulum & tunicam ejusdem coloris: & præcedentibus ceroferariis, duobus presbyteris in cappis albis, qui oleum cathecumenorum, & S. chrisma deferunt in vasis argenteis, subdiacono, & diacono, redit in chorum.

2. Interim duo diaconi, & duo subdiaconi, vel illorum defectu quatuor de choro in cappis albis, secundam litaniam cantant ad bancam ut sup. p. 187. n. 1. hoc ordine. Duo, qui sunt à parte dextra præcinunt *Kyrie eleison*, deinde duo, qui à parte sinistra idem succinunt; postea chorus tertiò idem repetit, & sic de reliquis.

In

Digitized by Google

In minoribus ecclesiis, eadem litania cantatur ut suprà [hoc modo : primus choristà præcinit *Kyrie eleison*, secundus choristà idem succinit, deinde uterque chorus tertiò idem repetit] excepto versu *Ut cathecumenos &c.* qui bis cantatur à celebrante, & repetitur à choro, ut notatur in processionali.

3. Pervenientes in chorum ante altare se sistunt hoc ordine 1. clericus, qui cereum paschalem defert, sistit se infra gradus presbyterii ante medium altaris : 2. post illum clerici, qui deferunt vas lustrale & collectarium sive librum-missalem : 3. ceroferarii : 4. pueri bini & bini : 5. crucifer in cappa alba solus : 6. duo sacerdotes in cappis albis, qui olea sacra deferunt, à se invicem uno aut altero passu distantes & facie ad se invicem versâ ; celebrans verò medius inter diaconum & subdiaconum sistit se in plano, infra gradum infimum altaris. Ubi oleum catechumenorum & S. chrisma servantur in eodem vase, sacerdos qui illud defert stat solus post cruciferum facie versa ad altare. Cum dicitur *Sancte Gendulphe*, proceditur ad fontem, hoc ordine. Præcedit thuriferarius cereum paschalem deferens mappâ albâ circumdatum in inferiori parte, acolythi, qui vas lustrale & missale deferunt, ceroferarii, & pueri, bini & bini, crucifer, duo presbyteri in cappis albis, qui deferunt oleum catechumenorum, & S. chrisma, tum reliqui de clero in ordine suo, more consuero. In minimis ecclesiis celebrans defert olea sacra.

4. Pervenientes in baptisterium omnes ministri sistunt se in orbem circa fontem hoc ordine. Celebrans medius inter diaconum & subdiaconum, sistit se ad latus fontis à parte meridionali, & facie ad septentrionem conversâ. Ad dextram diaconi à parte orientali, sistit se crucifer, medius inter ceroferarios & clericum, qui defert collectarium seu librum-missalem à dextris, & clericos qui deferunt cereum paschalem, & vas lustrale à sinistris. Ubi major cereus paschalis non potest deferri ad fontem, major ceroferarius defert minorem cereum in candelabro suo, & sistit se à sinistris inter cruciferum, & clericum qui defert vas lustrale. A parte septentrionali pueri. A parte occidentali, inter fontem & majorem portam baptisterii, quatuor qui cantant litaniam, omnes facie ad fontem versa. Sacerdotes verò, qui olea sacra deferunt ad utrumque cornu altaris baptisterii, ubi vasa sua deponunt. Reliqui de clero in duos choros divisi stant ab utraque parte baptisterii, facie ad se invicem versâ.

5. Si in baptisterio non sit altare, sacerdotes, qui deferunt olea, sistunt se inter fontem, & quatuor qui cantant litaniam.

Digitized by Google

Si locus fuerit angustior, acolythus qui fert crucem, medius inter ceroferarios, & clericos de libro, de cereo paschali, & de vase lustrali, sistit se ad fontem à parte septentrionali, facie ad meridiem versâ. Celebrans medius inter diaconum, qui ministrat olea sacra, & subdiaconum à parte meridionali facie ad septentrionem versâ; reliqui verò de clero stant in ordine suo ante fores baptisterii, prout situs loci permiserit.

6. Dum chorus repetit versum *Ut remissionem &c.* acolythus, qui fert collectarium, accedit ad celebrantem, qui statim bis cantat versum *Ut catechumenos nostros &c.* choro etiam bis repetente; moxque choristæ prosequuntur *Ut nobis miseris*, cum sequentibus usque ad finem, & finitâ litaniâ redeunt in vestiarium. Duo choristæ hebdomadarii in cappis albis veniunt ad fontem.

7. Finitâ litaniâ, celebrans, medius inter ministros, ut suprà, propiùs accedit ad fontem, & facie ad septentrionem versâ, illum benedicit hoc ritu.

8. Junctis manibus mediocri voce cantat *Dominus vobiscum*, & orationem *Omnipotens sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysteriis*, & in fine ipsius cantat voce altiori *Per omnia sæcula sæculorum*, choro respondente *Amen*; tum cætera prosequitur junctis manibus ut in libro-missali, quem ante illum sustinent diaconus & subdiaconus, vel clericus de collectario, si per situm loci liceat.

9. Post verba *Sumat unigeniti tui gratiam de Spiritu sancto*, celebrans dextrâ manu extensâ dividit aquam in modum crucis, nihil extrà projiciendo, & dextram extergit linteo, quod porrigit illi diaconus. Post verba *Non inficiendo corrumpat*, aquam palmâ manûs dextræ tangit, & linteo manum extergit. Ad verba *Per Deum vivum*, *Per Deum verum*, *Per Deum sanctum*, ter formatsignum crucis super aquam fontis, & vasorum ut notatur in missali. Post verba *Totam terram rigare præcepit*, dextrâ effundit aliquot guttas aquæ in modum crucis, versùs quatuor mundi partes, eam ejiciendo extrà fontem, primò versùs septentrionem, secundò versùs meridiem, tertiò versùs occidentem, quartò versùs orientem, & manum linteo tergit. Post verba *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, non respondetur *Amen*, sed celebrans ter halat super aquam, in modum crucis, dicens semel sine cantu *Hæc nobis præcepta servantibus &c.* ut in missali. Post verba *Sint etiam purificandis mentibus efficaces*, celebrans accipit de manu clerici cereum paschalem, & cantans *Descendat in hanc plenitudinem fontis*, cereum

Digitized by Google

paululum demittit in aquam, adjuvante eodem clerico, deinde extractum cereum de aqua iterum profundiùs mergit, repetens, ut ſuprà *Deſcendat &c.* Poſteà cereum rurſus de aqua extractum tertiò immergens uſque ad fundum, tertiò repetit *Deſcendat &c.* ibique relinquens cereum proſequitur *totamque hujus aquæ ſubſtantiam regenerandi fœcundet effectu.* Tum extrahit cereum de aqua, illum reddit clerico & proſequitur *His omnium peccatorum macula deleantur &c.* & poſt verba *Et ſæculum per ignem,* chorus reſpondet *Amen.*

10. Deinde, clerico cereum inclinatum ſuſtinente, celebrans dicens *Sanctificetur &c.* de ipſo cereo inclinato, & ſtillante in aquam ter format ſignum crucis ad verba *Patris † & † Filii, & Spiritûs † ſancti :* tum extrahuntur guttæ ceræ, & de aqua fontis aliquantum infunditur in vas, ad aſperſionem mox faciendam. Immiſcetur etiam ex eadem aqua cum alia in vaſis ad id præparatis contenta, unde hauriunt fideles & domum portant.

11. Advertat diaconus, ut quoties celebrans tangit aquam, vel cereum, aut alia id genus præſtat, toties elevet anteriorem partem pl[illegible]ſalis à dextris; & ei, poſtquam aquam tetigerit, miniſtret mappulam ad extergendam manum, mappamque porrigendo quaſi oſculetur.

12. His peractis, duo ſacerdotes aſſumpta de altari vaſa olei catechumenorum & chriſmatis ad fontem afferunt, & ea celebranti miniſtrant ſucceſſivè. Celebrans verò ter infundit in aquam fontis de oleo cathecumenorum, in modum crucis dicens ſemel *Conjunctio olei unctionis &c.* deinde ter infundit de chriſmate eodem modo dicens ſemel *Conjunctio chriſmatis &c.* ut in miſſali.

13. Caveat celebrans ne fiat aſperſio de aqua oleo ſancto delibuta.

14. Peractâ benedictione fontis, ſi qui fuerint baptizandi, more ſolito baptizentur. In hoc caſu, curet præpoſitus eccleſiæ, ut dum leguntur prophetiæ, vicarius, vel alius ſacerdos patrinos & matrinas vel baptizandos, ſi ſint adulti, interroget, ſuper baptizandos exſufflet, ſignum crucis faciat in fronte, & pectore illorum, ſal ori imponat, exorciſmos faciat, introducat illos in eccleſiam; ut ſymbolum & orationem Dominicam baptizandi, vel patrini, & matrinæ pro ipſis reddant, & cætera more ſolito perficiat ut in rituali; ita ut celebrans poſt conjunctionem chriſmatis & aquæ, baptiſmum conferre incipiat ab his verbis *N. Credis in Deum patrem omnipotentem &c.* & proſequatur uſque ad traditionem cerei ardentis inclusivè, tumque vicarius baptiſmum re-

Digitized by Google

ferat in librum baptismalem, & cætera perficiat ut in rituali.

15. Deinde celebrans, ministrante clerico, lavat manus de aqua communi, quæ postea projicitur in piscinam & fons baptismalis tegitur.

16. Demum celebrans præcedente clerico, qui vas aquæ defert, redit ad majus altare, genibus flexis illud ter aspergit profundè inclinans ante & post, illud osculatur, deinde reliquias sanctorum ponè vel sub altari, tum crucem majori portæ chori superpositam stans ter aspergit, redit in baptisterium, ubi diaconum, subdiaconum, choristas & clerum more solito aspergit: posteà processionaliter in chorum rediens populum hinc & indè aspergit incipiendo à parte baptisterii. Si nulli sint baptizandi catechumeni, post commixtionem sacri chrismatis & aquæ, celebrans altare &cætera aspergit ut suprà.

17. In minoribus ecclesiis diaconus olea sacra defert ad fontem, & ubi missa sine diacono celebratur, eadem olea deferuntur à celebrante.

18. In ecclesiis in quibus non est fons baptismalis, lectâ quartâ prophetiâ, & dictâ oratione *Deus qui Ecclesiam tuam &c.* celebrans cum ministris redit in vestiarium, ubi deponit vestimenta violacea, & sumit alba. Interim omissis tractu *Sicut cervus*, & iis quæ sequuntur in missali, usque ad tertiam litaniam, choristæ incipiunt tertiam litaniam, choro repetente idem quod fuit ab iis præcantatum, & post tertium *Agnus Dei*, primus choristæ intonat *Kyrie eleison*, pro fine litaniæ, & principio missæ.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

19. *Secunda litania cantatur à duobus beneficiatis diaconis, & duobus beneficiatis subdiaconis in cappis albis.*

20. *Oleum catechumenorum & S. chrisma ad baptisterium deferuntur à duobus beneficiatis presbyteris.*

21. *Cereum paschalem minorem defert major ceroferarius in candelabro suo.*

22. *Fontes benedicitur in ecclesia S. Joannis Rotundi, & sistunt se omnes, ritu descripto suprà art. 5. num. 4.*

23. *Celebrans, genibus flexis altare S. Joannis Rotundi, ter aspergit deinde stans aspergit ministros altaris ut suprà, posteà clerum incedendo à decano ad precentorem à parte epistolæ, & à succentore ad archidiaconum Parisiensem à parte evangelii. Cætera fiunt ut suprà.*

Digitized by Google

Quando celebrat D. Archiepiſcopus.

℣ 24. *Depoſitis indumentis violaceis, induit ſtolam & pluviale coloris albi, & aſſumptâ mitrâ procedit ad S. Joannem Rotundum ordine conſueto in proceſſionibus.*

25. *Cum pervenit in eccleſiam S. Joannis Rotundi, gradum ſiſtit ponè cantores litaniæ. Dum chorus repetit* Ut remiſſionem omnium peccatorum &c. *mitram deponit, tum cantat bis* Ut cathecumenos noſtros *ut ſuprà, deindè mitram aſſumit.*

26. *Poſt finitam litaniam accedit ad fontem, mitram deponit, & ſtans à parte epiſtolæ facie ad partem evangelii verſâ fontem benedicit ut ſuprà.*

27. *Peractâ benedictione, ſi qui ſint catechumeni baptizandi, pontifex duos vel tres ex illis baptizat, cæteri verò baptizantur à ſacerdote, qui detulit S. chriſma.*

28. *Poſt baptizatos tres primos catechumenos cantatur tertia litania, ſacerdos qui detulit oleum catechumenorum, altare & chorum aſpergit ut ſuprà; Pontifex verò cum miniſtris ſacris & capellanis ſuis redit in veſtiarium, ut ſe ad miſſam præparet.*

ARTICULUS VI.

De tertia Litánia, miſſa, & veſperis.

1. DUm celebrans facit aſperſionem aquæ, duo choriſtæ cappis induti cantant tertiam litaniam, choro repetente quod ab illis fuit præcantatum.

2. Poſt *Sancte Joannes Evangeliſta, ora &c.* proceſſio redit in chorum.

3. Ad ultimum *Agnus Dei*, accenduntur luminaria, & primus choriſta, pro fine litaniæ, & principio miſſæ intonat *Kyrie eleiſon*, choro proſequente.

4. Interim celebrans accedit ad altare, ubi ſtans infra gradum infimum miniſtris adjuvantibus, cappam exuit, & planetam induit; deinde in infimo gradu genua flectit, miſſam incipit, dicit pſalmum *Judica* ſine *Gloria Patri*, facit confeſſionem, aſcendit ad altare quod oſculatur, & ſtans in medio dicit *Kyrie eleiſon* cum miniſtris.

5. In choro, *Kyrie* cantatur menſurâ gravi, ut celebrans hæc omnia compleat, priuſquam ultimum *Kyrie* finiatur.

6. Finito ultimo *Kyrie*, celebrans imponit *Gloria in excelſis*, in cantu, quem priùs annuntiavit primus choriſta; & cætera mo-

Digitized by Google

re solito prosequitur usque ad evangelium inclusivè. Interim pulsantur omnes campanæ.

7. Post epistolam, duo pueri mensura gravissima cantant *Alleluia* cum versu sequenti, complente choro: tractus cantatur à choristis.

8. Ad evangelium crux & luminaria non portantur, sed incensum tantùm: petitur benedictio, & alia fiunt more solito.

9. Finito evangelio, celebrans osculatur librum, accedit ad medium altaris, non dicit *Credo*, osculatur altare, & conversus ad chorum, cantat *Dominus vobiscum*, deinde *Oremus*, non dicit offertorium, sed acceptâ de manu diaconi patenâ cum hostia, dicit *Suscipe sancte Pater &c.* more solito.

10. Post confractionem hostiæ, celebrans dicit *Pax Domini &c.* non dicitur *Agnus Dei*, nec communio, dicit consuetas orationes ante communionem, & pacis osculum non datur.

11. Postquàm celebrans sumpsit sanguinem pretiosum, dicit more solito *Quod ore &c.* & *Corpus tuum*, deinde omissâ antiphonâ communionis, sedet cum ministris, & cum illis dicit vesperas.

12. Postquàm celebrans, medius inter diaconum & subdiaconum consedit, primus choristа uni ex sacerdotibus annuntiat psalmum *Laudate Dominum omnes gentes*, & statim pro vesperis imponit antiphonam *Alleluia*: deinde sacerdos inchoat psalmum, in cujus fine non dicitur *Gloria Patri.*

13. Dum cantatur antiphona, primus choristа accedit ad altare, & genibus flexis, annuntiat celebranti antiphonam *Cum transisset.*

14. Finitâ antiphonâ *Alleluia, quoniam*, celebrans surgit, & imponit antiphonam ad *Magnificat*, in cujus fine non dicitur *Gloria Patri.*

15. Dum cantatur *Magnificat*, celebrans & ministri stant, & thuriferarii more solito incensant choristas & chorum.

16. Post cantatam antiphonam *Cum transisset sabbatum*, celebrans via longiori redit ad altare ut sup. p. 81. n. 18. illud osculatur, conversus ad populum, cantat *Dominus vobiscum*, pergit ad cornu epistolæ, ubi cantat postcommunionem, redit ad medium, osculatur altare, more solito dicit *Dominus vobiscum*, deinde diaconus cantat *Ite, missa est* ut in missali.

17. Denique celebrans, dicto *Placeat*, more solito dat benedictionem, in vestiarium redit, & sic missa & vesperæ simul terminantur.

Digitized by Google

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

18. *Tertiam litaniam cantant duo beneficiati ſubdiaconi in cappis albis. Iidem tenent chorum ad miſſam, & veſperas.*

19. *Circa finem communionis, dignitates accedunt ad ſtalla honoris ſui propria. Primus choriſta è banca procedit ad tumbam aneam per partem dextram, ponè illam profundè inclinat, ante præcentorem ſe ſiſtit in plano, annuntiat illi antiphonam* Alle luia, *inclinans ante & poſt, & eâdem viâ, eodemque ordine redit ad bancam. Facta communione, præcentor imponit antiphonam* Alleluia, *moxque primus choriſta inchoat pſalmum* Laudate Dominum omnes gentes, *proſequente choro: cætera fiunt ut ſuprà.*

Quando D. Archiepiſcopus celebrat.

20. *Cum pervenit D. Archiepiſcopus ad altare, facit confeſſionem, & miſſam celebrat ut ſuprà, & more ſolito dat ſolemnem benedictionem ante* Pax Domini.

21. *Ad pſalmum* Laudate Dominum omnes gentes, *ſedet cum mitra in faldiſtorio. Antiphonam ad* Magnificat *more ſolito imposuit. Ad* Magnificat *ſtat ſine mitra, baculum tenens inter junctas manus.*

22. *Finitâ antiphonâ redit ad altare, mitram deponit, more ſolito oſculatur altare, cantat* Dominus vobiſcum, *& poſtcommunionem, & cætera more ſolito perficit.*

ARTICULUS VII.

De completorio Sabbati ſancti.

AD completorium non dicitur verſus *Converte nos*, nec *Deus in adjutorium*; ſed celebrans, converſus ad chorum, abſolutè imponit pſalmum *Cum invocarem.* Cantato *Alleluia* poſt. pſalmos *Cum invocarem*, *In te Domine ſperavi*, & *Ecce nunc benedicite Dominum*, qui cantantur ſine *Gloria Patri*, celebrans imponit antiphonam *Veſpere autem ſabbati*, moxque unus è ſacerdotibus ſuperioris ſtalli invitatus à celebrante, more ſolito inchoat canticum *Nunc dimittis*, choro proſequente ſine *Gloria Patri.* Deinde cantatâ à choro antiphonâ *Veſpere autem*, celebrans ſtans ad bancam cantat orationem more ſolito, ſed ante illam non dicit *Dominus vobiſcum*, nec *Oremus*, & poſt illam non dicit *Dominus vobiſcum* nec *Benedicamus.*

Digitized by Google

CAPUT XV.

De die sancto Paschæ.

1. AD officium nocturnum, tres antiphonas imponunt sacerdotes, primam & secundam lectionem legunt digniores post celebrantem, incipiendo à minori, tertiam celebrans. Primum responsorium cantant duo sacerdotes in cappis; secundum duo alii sacerdotes in cappis; tertium quatuor de invitatorio.

2. Ad laudes matutinas, non dicitur capitulum, nec hymnus, neque versiculus, sed horum loco, post quintam antiphonam, choristæ stantes ad bancam imponunt *Hæc dies*, utroque choro prosequente. Cætera perficiuntur more solito.

3. Ad horas, celebrans, post *Deus in adjutorium*, inchoat psalmum. Finitis psalmis, chorus cantat semel *Alleluia*, moxque celebrans imponit *Hæc dies*, prosequente choro, sine jubilo in fine.

4. In parochialibus ecclesiis, fit solemnis absolutio, ritu, qui præscriptus est in rituali.

5. Ante missam fit processio in cappis intrà ecclesiam.

6. In missa fit communio cleri, cum oblatione communicantium.

7. Ad vesperas, choristæ moderantur chorum in albis paratis & crispatis.

8. Non dicitur capitulum, neque hymnus, sed loco illorum choristæ imponunt graduale *Hæc dies*, & posteà versum illius cantant.

9. Interim quatuor de choro albis paratis & crispatis induti chorum intrant, post solitas inclinationes accedunt ad rostrum aquilæ, ubi finito graduali, imponunt *Alleluia*, deinde versum illius cantant, eodem ritu quo in missa solemni.

10. Post repetitum *Alleluia*, statim cantatur prosa *Victimæ*, incipiente primo choristâ, vel organo, & quatuor de *Alleluia* sistunt se ab utraque parte chori, ad utrumque latus graduum, qui sunt è regione aquilæ usque ad finem orationis, facie ad se invicem conversâ. Post choristas, quilibet ipsorum incensatur trino ductu à celebrante, & adjutore.

11. Post *Benedicamus* fit processio, in qua tres stationes fiunt hoc ordine; choristæ imponunt responsorium *Christus resurgens*, moxque proceditur ad baptisterium. Procedit primò thuriferarius: 2. clericus qui defert cereum paschalem: 3. ceroferarii: 4. puer de collectario: 5. pueri: 6. crucifer in cappa: 7. quatuor de *Alleluia*, bini & bini: 8. celebrans in cappa: 9. choristæ; demum reliqui de cle-

Digitized by Google

re, more solito. Ubi cantores incedunt inter postremos ordines processionis, quatuor de *Alleluia*, choristæ & celebrans procedunt, more solito, post seniores sacerdotes.

12. Completo responsorio, secundus choristæ inchoat psalmum *Laudate pueri Dominum*, prosequente choro secundo, & post *Gloria Patri*, uterque chorus concinit versum *Vetus homo*, cum reclamatione.

13. Cum processio pervenit in baptisterium, thuriferarius sistit se ad latus altaris sive crucis baptisterii, à parte epistolæ, facie versa ad altare; clericus, qui defert cereum paschalem, pueri & crucifer sistunt se inter idem altare & fontem, facie ad altare conversa. Quatuor de *Alleluia* ad utrumque latus fontis; facie ad se invicem versâ; choristæ & celebrans infra fontem, more solito; reliqui de clero adutrumque latus baptisterii, in duos choros divisi, & facie ad se invicem versâ.

14. Celebrans, ingressus baptisterium, rectà pergit ad altare, ante illud profundè inclinat, stans benedicit incensum, altare trino ductu thurificat, profundè inclinans ante & post; ascendit ad altare, illud osculatur in medio, inclinat, descendit infra fontem, ante illum profundè inclinat, secedentibus interim hinc & inde quatuor de *Alleluia*, circuit fontem, ter illum thurificat à parte epistolæ, & ter à parte evangelii, transiensque inter crucem & fontem profundè inclinat cruci, reversusque ad locum suum thuribulum reddit thuriferario, & non incesatur, revertentibus interim ad utrumque latus fontis quatuor de *Alleluia*, & post versiculum *Surrexit Dominus*, cantat collectam ut in collectario.

15. Post collectam, choristæ imponunt responsorium *Quicumque baptizati sumus*, eoque completo, primus choristæ inchoat psalmum *In exitu Israel de Ægypto*, prosequente primo choro, tumque, si aliqua fuerit imago picta vel sculpta sepulchri Dominici, salvatoris, agni à mundi origine occisi, vel antiqui dierum sedentis, ad illam proceditur, aut ad aliquod altare, vel capellam intrà vel extra ecclesiam, per partem evangelii aut alteram, secundùm situm locorum, ibique fit secunda statio.

16. In illa thuriferarius sistit se ad latus epistolæ altaris vel imaginis, quatuor de *Alleluia* sistunt se bini & bini ponè cruciferum, vel in ecclesiis parochialibus ante choristas: interim post *Gloria Patri* psalmi *In exitu*, uterque chorus concinit versum *Consepulti* cum reclamatione. Si baptisterium multùm distet à loco secundæ stationis, post impositum responsorium *Quicumque*, statim ad ipsum locum proceditur, & cætera fiunt ut suprà.

Digitized by Google

17. Perveniens celebrans in locum, in quo fit secunda statio, rectà pergit ad altare, vel imaginem, thus benedicit, altare vel imaginem stans trino ductu thurificat ut suprà, thuribulum reddit, & procedit ad locum suum, ubi post versiculum *Gavisi sunt*, cantat orationem, ut in collectario.

18. Finitâ oratione, choristæ imponunt responsorium *Sedit angelus*, prosequente choro, & per latus epistolæ, si per situm loci liceat, processio redit in navim, in qua fit tertia statio ante crucifixum chori, ut suprà, thuriferario stante in medio inter majorem portam chori & clericum, qui gestat cereum paschalem: & completo responsorio, quatuor de *Alleluia* stantes medii inter choristas in recta linea cum illis concinunt versum *Crucifixum in carne &c.* celebrante ponè illos stante. Ad verbum *Adorate* omnes convertunt se ad crucifixum.

19. Post versum *Crucifixum* decantatum, processio redit in chorum cantans reclamationem *Nolite metuere*, quatuor de *Alleluia* redeunt in vestiarium cum solitis inclinationibus: celebrans, & choristæ sistunt se ad bancam. Post finem reclamationis, puer à parte evangelii annuntiatum à secundo choristà versiculum *Nolite flere Maria*, cantat more solito, & celebrans stans ad aquilam cantat orationem ut in collectario cum majori conclusione, & more solito subdit *Dominus vobiscum*. Posteà *Benedicamus* canitur à pueris, vel ab organo, more solito, sicque vesperæ terminantur.

20. Si continuò cantetur antiphona *Regina cœli*, fit minor conclusio in fine collectæ, tuncque in fine orationis *Deus qui per resurrectionem*, fit major conclusio, deinde dicitur *Dominus vobiscum* & *Benedicamus*. In hoc casu, qui cantaverunt *Alleluia*, reversi in chorum, sistunt se ad utramque partem chori, ad scamna puerorum ut suprà, n. 10. deinde dum cantatur antiphona *Regina*, stant ad rostrum aquilæ ut sup. num. 11. & dum ceroferarii annuntiatum à primo choristà versiculum *Gaude & lætare* cantant, in vestiarium revertuntur.

21. Si in altari baptisterii, vel ecclesiæ, in qua fit secunda statio, servetur SS. Sacramentum, celebrans, genibus flexis, benedicit incensum, SS. Sacramentum thurificat, & cætera perficit ut suprà, n. 14.

22. Si præ angustia baptisterii, clerus intrà ambitum illius consistere non possit, ante fores illius fiet prima statio, ordine, qui priùs præscriptus fuerit, & celebrans altare vel crucem, aut principem imaginem baptisterii trino ductu thurificabit, deinde circuiens fontem, ter thurificabit à parte dextra, & ter à sinistra,

Digitized by Google

in secunda statione idem observabitur in casu simili, & celebrans trino ductu thurificabit imaginem; vel altare, ante quod fiet eadem statio.

23. In minoribus ecclesiis duo de choro in albis cantant *Alleluia*, & versum *Epulemur* unà cum choristis ante aquilam: In minimis verò ecclesiis cantantur à choristis: Iidem cantant versum responsorii *Sedit angelus*.

24. In ecclesiis, ubi circuitus ecclesiæ intra vel extra septa ipsius fieri non potest, post vesperas fit statio in navi ante crucifixum. In eadem navi cantantur omnia supra dicta. Post responsorium *Christus resurgens* & psalmum *Laudate &c.* celebrans fontem thurificat ut suprà. Post responsorium *Quicumque baptizati sumus*, & psalmum *In exitu Israel*, thurificat altare beatæ Mariæ, vel aliud ab altera parte fontis. Tertium responsorium *Sedit angelus &c.* cantatur ut suprà, clero interim stante in navi, ordine consueto, & facie ad se invicem versâ.

25. In Ecclesiis in quibus non est fons baptismalis, eadem cantantur in choro, & omittuntur thurificationes: choristæ deambulant ad psalmos, stantibus interim quatuor de *Alleluia* ab utraque parte chori, ad utrumque latus graduum, qui sunt è regione aquilæ ut suprà num. 10. & circà finem responsorii *Sedit angelus* accedunt ad bancam, & medii inter choristas cum iisdem concinunt versum *Crucifixum in carne &c.* eoque completo, redeunt in vestiarium, ut suprà, n. 19.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

26. *Ad nocturnum, antiphonas imponunt canonici sacerdotes primam, & secundam lectionem cantant digniores post celebrantem ut suprà. Ad responsorium cantant duo canonici, vel eorum vicarii in cappis pro ipsis: secundum reponsorium duo alii canonici, vel eorum vicarii in cappis: tertium responsorium quatuor de invitatorio.*

27. *Ad vesperas, qui tenent chorum induunt albas paratas & crispatas.* Alleluia *cantant quatuor beneficiati in albis paratis & crispatis ut suprà. Ex illis duo sunt diaconi & duo subdiaconi.*

28. *Prima statio fit ad fontem in ecclesia sancti Joannis Rotundi, ubi celebrans genibus flexis benedicit incensum, & SS. Sacramentum thurificat. Hinc proceditur ad claustra capituli, in quibus fit secunda statio ante imaginem salvatoris hoc ordine. Cum processio pervenit in claustra, thuriferarius sistit se ad partem dextram, ceroferarii, pueri, & quatuor de* Alleluia *sistunt se ad utrumque latus, ut locum cedant celebranti transeunti; eoque post thurificationem*

Digitized by Google

imaginis locum suum repetente, ceroferarii & alii suprà ad se invicem redeunt & cætera ut suprà. Inde processio procedens per ecclesiam sancti Dyonisii de Passu, & atria domûs archiepiscopalis, redit in ecclesiam per portam meridionalem, & tertia statio fit in navi, ante crucifixum chori, ubi quatuor de Alleluia, *& choristæ concinunt versum* Crucifixum &c. *eoque cantato, processio redit in chorum.*

29. *Processione reversâ in chorum, quatuor de* Alleluia *secedunt ad scamna puerorum, ab utraque parte chori: puer à parte sinistra cantat annunciatum à secundo choristâ versiculum* Noli flere, *& celebrans orationem cum minori conclusione; quâ finitâ choristæ imponunt antiphonam* Regina cæli, *prosequente choro, accedentibus interim ad rostrum aquilæ quatuor de* Alleluia, *ubi stantes perseverant usque ad* Ora pro nobis Deum *inclusivè, moxque, post solitas inclinationes, redeunt in vestiarium.*

30. *Post finitam antiphonam, ceroferarii annuntiatum à primo choristâ versiculum* Gaude & lætare *cantant. Celebrans dicit collectam, cum majori conclusione,* Benedicamus *cantatur ab organo cui chorus respondet* Deo dicamus gratias, *& cætera fiunt ut suprà.*

31. *Si propter tempus pluviâ infestum, aut aliud impedimentum, processio fieri nequeat extra ecclesiam, fiet intrà eandem hoc ordine. Processio navim emensa per latus evangelii progreditur ad altare S. Martini, . . . Ante illud fit prima statio, celebrans altare stans incensat &c. Deinde per circuitum chori procedit ad altare assumptionis. Ante illud fit secunda statio: celebrans altare stans incensat & cætera Postea per latus epistolæ procedit in navim, in qua fit tertia statio ante crucifixum & cætera ut suprà.*

Quando celebrat D. Archiepiscopus.

32. *Ad processionem, quatuor de* Alleluia *incedunt inter cruciferum & choristas.*

33. *In ecclesia S. Joannis Rotundi, D. Archiepiscopus perveniens ad altare, mitram deponit, genibus flexis benedicit incensum, SS. Sacramentum incensat, osculatur altare, descendit ad fontem, stans inter cruceem processionis & illi inclinat, eumdem circuiens incensat, ter à parte evangelii, & ter à parte epistolæ, redit ad altare, ubi stans ad infimum gradum dicit collectam.*

34. *Cum pervenit ante imaginem salvatoris in claustris, mitram deponit, imaginem stans incensat, ibique stans dicit collectam.*

35. *In tertia statione ante crucifixum, ad verbum* Adorate *mitram deponit, moxque resumit.*

36. *Reversus in chorum, ascendit in sedem pontificalem, deinde*

Digitized by Google

depoſitâ mitrâ, dicit orationes, & poſt Benedicamus *cantatur completorium D. Archiepiſcopo remanente, poſteà ſalus quâ finitâ D. Archiepiſcopus dat benedictionem pontificalem.*

Ad completorium.

37. Dictis more ſolito *Converte nos Deus*, & *Deus in adjutorium*, celebrans abſolutè imponit pſalmum *Cum invocarem.* Finitis pſalmis, chorus cantat ſemel *Alleluia*, moxque impoſitâ à celebrante antiphonâ *Hæc dies*, unus ex ſacerdotibus ſuperioris ſtalli, invitatus à celebrante inchoat canticum *Nunc dimittis*: oratio more ſolito cantatur à celebrante ad bancam, & cætera perficiuntur more ſolito.

38. Supradictus ritus horas, & veſperas cantandi, ſervatur per totam hebdomadam, uſque ad nonam ſabbati *In albis* incluſivè; ſed ad veſperas Feriæ quintæ & ſextæ, *Alleluia* cantatur à duobus de choro in albis.

CAPUT XVI.

De hebdomada Paſchæ, in eccleſia metropolitana.

1. *IN eccleſia metropolitana, infra hanc hebdomadam interrumpitur ordo hebdomadariorum. Celebrans ac alii officiarii quotidie mutantur.*

2. *Feriâ ſecundâ, officium debet præcentor.*

3. *Ad officium nocturnum, primam lectionem legit diaconus miſſæ, ſecundam canonicus, qui debet miſſam feriâ tertiâ ſequenti. Primum, & ſecundum reſponſorium cantant pueri bini & bini, tertium reſponſorium choriſta, cætera ut ſuprà in die Paſchæ.*

4. *Feriâ tertiâ, ſecundam lectionem legit canonicus, qui debet miſſam feriâ quartâ ſequenti; cætera ut ſuprà feriâ ſecundâ.*

5. *Feriâ quartâ, ſecundam lectionem legit beneficiatus ſacerdos, qui debet miſſam feriâ quintâ ſequenti, cætera ut ſuprà.*

6. *Feriâ quintâ, ſecundam lectionem legit beneficiatus ſacerdos, qui debet miſſam feriâ ſextâ ſequenti. Primum reſponſorium cantat puer à parte dextra chori, ſecundum alius puer à parte ſiniſtra, tertium primus choriſta; ad veſperas* Alleluia *cantant duo macicoti in albis ut ſuprà.*

7. *Feriâ ſextâ, ſecundam lectionem legit beneficiatus ſacerdos, qui debet miſſam ſabbato ſequenti. Cætera ut ſuprà feriâ quintâ.*

8. *Eâdem feriâ ſextâ, curia Parlamenti, camera computorum, curia ſubſidiorum, ac præpoſitus, & ædiles urbis conveniunt in navim eccleſiæ metropolitanæ, ubi ad altare beatæ Mariæ cantatur miſſa,*

Digitized by Google

ritu duplici ob reversam urbem in obsequium Caroli septimi, quondam francorum regis anno 1436.

9. Sabbato, secundam lectionem legit beneficiatus diaconus; cætera ut suprà feriâ quintâ præcedente.

CAPUT XVII.

De majoribus litaniis in festo S. Marci.

1. IN litaniis majoribus, congregato clero, chorum intrant clericus, qui vas aquæ defert; tum clericus, qui defert crucem, deinde subdiaconus in alba, gestans utrâque manu codicem evangeliorum ante pectus.

2. Pervenientes ante altare, clericus deferens vas aquæ sistit se infra medium ultimi gradûs presbyterii. Ponè illum sistit se crucifer, duobus vel tribus passibus ab illo distans, deinde subdiaconus sistit se ponè cruciferum, in eadem distantia, tumque altari profundè inclinant.

3. Paratis omnibus, hoc modo ordinatur processio: præcedit vexillum, succedit clericus deferens vas aquæ benedictæ, deinde pueri, sequitur clericus, qui defert crucem, tum subdiaconus in alba, gestans codicem evangeliorum ante pectus; deinde ubi deferuntur reliquiæ sanctorum, sequuntur clerici, qui illas deferunt in cappis vel tunicis de colore proprio sanctorum, quorum reliquiæ deferuntur; & post illos reliqui de clero. In parochialibus ecclesiis, ultimus omnium procedit parochus stolâ violacei coloris ornatus.

4. Antequam clerus exeat de choro, cantatur ante aquilam antiphona *Exurge*, ut in processionali, choristâ hebdomadario imponente, deinde celebrans stans ad aquilam dicit orationem *Mentem familiæ &c.*

5. Finitâ oratione, choristа imponit antiphonam *De Jerusalem*, si deferantur reliquiæ sanctorum; si non deferantur, imponit antiphonam *Cum jucunditate*, prosequente choro, moxque proceditur, deinde cantantur septem psalmi pœnitentiales, cum antiphonis, ut in processionali.

6. Cum processio ingressa est ecclesiam, in qua fit statio, absolvitur psalmus inceptus cum sua antiphona, deinde ante aquilam cantatur antiphona cum versiculo, & oratione de patrono ecclesiæ; postea cantatur missa *Exaudivit* ritu feriali.

7. Post missam, ante aquilam cantatur antiphona cum versu, & oratione de secundo patrono ejusdem ecclesiæ; tum pueri, sive cantores stantes ante aquilam cantant litanias sanctorum usque ad

Digitized by Google

Sancta Dei genitrix inclusivè, choro idem repetente, moxque processio discedit. Si Ecclesia unicum habeat patronum, finitâ missâ, statim cantantur litaniæ, ut suprà; sed mensurâ graviori, ut celebranti & ministris detur tempus exuendi vestes sacras.

8. Postquam processio in propriam ecclesiam rediit, cantatur ante aquilam antiphona cum versiculo, & oratione de titulari; & discedunt omnes in pace.

9. Si contingat processionem transire ante aliquod cœmeterium, finito psalmo, vel antiphonâ inchoatâ cantatur pro defunctis psalmus *De profundis* cum precibus, & oratione *Fidelium &c.*

10. Si processiones ecclesiarum urbis obviam fiant processioni ecclesiæ metropolitanæ, gradum sistunt, & interrumpunt cantum, donec processio ecclesiæ metropolitanæ transierit; moxque cantum intermissum resumunt.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

Proceditur ad ecclesiam sancti Mederici.

11. *Post sextam, congregatis ecclesiarum B. Mariæ subjectarum processionibus, videlicet S. Stephani de Gressibus, S. Benedicti, S. Mederici, & Dominici Sepulchri. Paratis quæ omnibus, clericus præcentoris stans ad bancam imponit antiphonam* Exurge, *quam chorus in turba stans ante aquilam prosequitur, ut notatur in processionali ejusdem ecclesiæ.*

12. *Post repetitam antiphonam, & versiculum, hebdomadarius stans ad aquilam cantat orationem* Mentem familiæ &c.

13. *Oratione finita, clericus præcentoris imponit antiphonam ut in processionali, moxque processio ab ecclesia discedit, hoc ordine: præcedunt primò vexilla ecclesiarum subjectarum: 2. pueri & cruces earumdem: 3. vexillum majoris ecclesiæ: 4. puer, qui fert vas aquæ benedictæ: 5. pueri & canonici* in minoribus *bini & bini: 6. spex deferens crucem ecclesiæ metropolitanæ in cappa lanea: 7. macicotus subdiaconus in alba, qui gestat codicem evangeliorum. Succedunt præcentor, & succentor, & reliqui omnes secundùm ordinem suum.*

14. *Post antiphonam* Cum jucunditate, *dicitur psalmus* De profundis *cum precibus & orationibus pro defunctis, clerico præcentoris inchoante. Ad preces ac orationes quas dicit idem clericus præcentoris, chorus detegit caput. (Hic psalmus olim cantabatur in cœmeterio SS. Gervasii & Protasii,) Post aliquod intervallum, cantatur antiphona ut in processionali.*

15. *Processione chorum S. Pauli ingressâ, cantatur ad aquilam*

Digitized by Google

antiphona de S. Paulo, clerico præcentoris imponente : versiculum cantant pueri ante aquilam, deinde hebdomadarius ad eandem aquilam dicit orationem.

16. *Posteâ processio discedit, & ad ecclesiam S. Mederici progreditur, cantans antiphonas, ut in processionali.*

17. *Ut pervenit processio in ecclesiam S. Mederici, cantatur ante aquilam antiphona cum versiculo, & oratione de S. Petro, eodem ritu, quo suprà in ecclesia S. Pauli. Deinde cantatur missa ab uno ex canonicis vel beneficiatis ecclesiæ metropolitanæ, ministrantibus diacono & subdiacono beneficiatis & duobus ceroferariis ejusdem metropolitanæ. Chorum tenet macicotus senior ; Alleluia cum versu concinunt duo pueri.*

18. *Post missam, cantatur ad aquilam antiphona cum versiculo, & oratione de sancto Mederico, eodem ritu quo suprà, n. 15. deinde processio redit in ecclesiam metropolitanam, cantans litanias sanctorum.*

19. *Processione chorum ingressâ cantatur ad aquilam antiphona, cum versiculo & oratione de B. Maria ut suprà ; eâque finitâ discedunt omnes in pace.*

CAPUT XVIII.

De minoribus litaniis in triduo Rogationum.

1. IN triduo ante festum Ascensionis Domini, processiones fiunt eodem ritu, quo suprà in majoribus litaniis, & in illis, eundo cantantur qualibet die quinque psalmi graduales, cum antiphonis notatis in processionali ; & in ecclesia, in qua fit statio principalis cantatur missa *Exaudivit*, ut in processionali, & missali. Redeundo cantantur litaniæ, ut in processionali notatur.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

2. *Ordinatur processio ut suprà in majoribus litaniis, sed ponè subdiaconum, qui sacrum evangeliorum codicem defert, duo sacerdotes, in cappis albis, portant humeris capsam B. Mariæ, eodem ritu quo suprà Dominica palmarum.*

3. *Cum processio ecclesiæ metropolitanæ aliquam ex ecclesiis urbis, & suburbiorum, habendæ stationis gratiâ intrat, sive illa sit collegiata, parochialis, aut conventualis, duo ex ejus presbyteris induti cappis albi coloris, ad limen ecclesiæ accedunt, profundè inclinant, capsam beatæ Mariæ humeris excipiunt, & super majus altare, vel mensam ad hoc præparatam collocant, & iterum ante illam profundè inclinant ; deinde finitâ statione ad eandem capsam accedunt,*

ante

Digitized by Google

ante illam inclinant, suppositis humeris ad idem limen referunt, & ubi prius acceperunt illam restituunt, & iterum inclinant. Idem observatur quoties defertur in publicis supplicationibus.

FERIA SECUNDA.

4. Proceditur ad ecclesiam Montis-martyrum eodem ordine quo suprà in majoribus litaniis. Cum processio pervenit ad pontem Nummulariorũ, vulgò Au change, ante imaginem B. Mariæ super januam unius ex domibus ejusdem pontis, ad partem orientis sitæ, gradũ sistit, & habetur statio. Hebdomadarius eandem domum ingreditur, precedente puero, qui vas aquæ benedictæ defert, è fenestra ejusdem domûs fluvium sequanam aquâ benedictâ aspergit, formans signum crucis, deinde egressus, locum suum repetit. Interim cantatur antiphona Exaudi Domine, deinde ℣. Ostende nobis Domine, & oratio Deus qui culpas delinquentium &c. quam idem hebdomadarius dicit.

5. Finitâ oratione, processio iter prosequitur, cantans antiphonam Ego sum, usque ad cœmeterium SS. Innocentium.

6. Cum pervenit ad idem cœmeterium, cantantur psalmi Miserere & De profundis, cum precibus & orationibus pro defunctis, eodem ritu quo in litaniis majoribus.

7. Postea cantantur antiphona Populus Sion, & Domine, & processio iter prosequitur usque ad ecclesiam Dominici Sepulcri, ubi gradũ sistit, & cantat antiphonam cum versiculo, & oratione de Dominico Sepulchro.

8. Finitâ oratione, processio cœptum iter prosequitur: clericus precentoris imponit Domine labia mea aperies, & Deus in adjutorium, choro prosequente; deinde recto vocis tono recitatur psalterium, cui finis imponitur, cum processio pervenit ad radicem Montis-martyrum, unde progreditur ad ecclesiam Martyrum.

9. In ecclesia Martyrum cantatur antiphona cum versiculo, & oratione de sanctis, deinde moniales cantant antiphonam Regina cæli, postea cantatur missa Exaudivit ritu feriali, eâque finitâ, cantatur responsorium O constantia martyrum, cum versiculo, & oratione martyrum. Tum cantatur antiphona Tu Domine, & proceditur ad S. Lazarum. Finita antiphona resumitur psalterium

10. Ubi processio pervenit ad ecclesiam S. Lazari, psalterio finis imponitur, eâque ecclesia chorum ingressâ, cantatur antiphona cum versiculo, & oratione de S. Lazaro. Deinde post aliquod temporis spatium quieti datum, cantatur antiphona cum versiculo & orat. de S. Augustino.

11. Post orationem, processio discedit in silentio, & progreditur ad ecclesiam sancti Laurentii, in qua cantatur antiphona cum versiculo & orat. de sancto Laurentio; deinde tres antiquiores matricoti incipiunt

Digitized by Google

litaniam, ut notatur in processionali, & statim proceditur ad basilicam sancti Martini-à-campis, ubi dimittuntur litaniæ, & in choro cantatur antiphona, cum versiculo & oratione de sancto Martino.

12. Finitâ oratione iidem macicoti concinunt Sancte Martine, deinde Omnes sancti & sanctæ Dei, tumque processio discedit, & progreditur ad basilicam S. Mederici, cantans quod reliquum est litaniarum, facto initio ab eo versu in quo dimissæ fuerant.

13. In choro S. Mederici cantatur antiphona cum versiculo & oratione de S. Petro: & post aliquod temporis spatium, cantatur antiphona cum versiculo & oratione de S. Mederico; eâque finitâ, duo pueri incinunt litanias sanctorum, & processio redit in ecclesiam metropolitanam, ritu qui dictus est suprà in majoribus litaniis.

14. Nota quòd eundo ad ecclesiam Montis-martyrum, duo ex presbyteris S. Joannis in Gravia, humeris portant capsam B. Mariæ; & redeundo, duo ex presbyteris sancti Pauli eandem capsam similiter deferunt.

FERIA TERTIA.

15. Fit processio ad ecclesiam S. Mariæ-à-campis eodem ordine quo suprà.

16. Eundo, duo ex presbyteris ecclesiæ S. Mederici portant capsam B. Mariæ, redeundo verò, duo ex presbyteris sancti Laurentii eandem capsam humeris deferunt, ut suprà.

17. Cum pervenit processio ad Parvum-pontem, fit statio antè imaginem B. Mariæ, quæ super limen majoris portæ Domûs-Dei erecta est, & cantatur antiphona Deprecamur, cum versiculo Ostende nobis & oratione Parce, Domine, quæsumus, moxque processio iter prosequitur,

18. Processione ultrâ Parvum-pontem progressâ, cantantur antiphonæ ut in processionali.

19. Ante ecclesiam S. Benedicti fit statio, & cantatur antiphona, cum versiculo & oratione de S. Benedicto. Interim duo ex presbyteris ecclesiæ sancti Benedicti in cappis, cum duobus ceroferariis, & clerico crucem gestante, clerum ecclesiæ metropolitanæ incensant, donec transgressa fuerit processio. Eodem ritu, duo ex presbyteris ecclesiarum S. Stephani-de-Gressibus, SS. Cosmæ & Damiani; clerum beatæ Mariæ respectivè incensant, dum ante easdem ecclesias fit statio.

20. Ante ecclesiam S. Stephani-de-Gressibus fit statio, in qua cantatur antiphona cum versiculo & oratione de S. Stephano

Digitized by Google

21. *Finitâ oratione, proceditur ad ecclesiam S. Mariæ-à-campis, & tres beneficiati subdiaconi cantant litaniam, cujus versus in processionali ejusdem ecclesiæ ita dispensantur, ut cum processio chorum ecclesiæ ingressa fuerit, tres subdiaconi, stantes ante altare, incipiant versum* Agne Dei &c.

22. *Post finitam litaniam, cantatur missa* Exaudivit, *ritu feriali; eâque decantatâ, post aliquod temporis intervallum, pueri incipiunt litanias Sanctorum & continuò processio discedit.*

23. *Ante ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani fit statio, dimittuntur litaniæ, & cantatur antiphona, cum versiculo & oratione de ipsis sanctis, deinde resumuntur litaniæ, facto initio ab eo versu, in quo priùs dimissa fuerat; & processio redit in ecclesiam metropolitanam, eodem ordine quo suprà.*

FERIÀ QUARTA.

24. *Fit processio ad S. Genovefam-de-monte eodem ordine quo suprà.*

25. *Eundo, duo ex presbyteris ecclesiæ S. Jacobi-à-foro-carnario deferunt capsam B. Mariæ, ut suprà; deinde redeundo duo ex presbyteris ecclesiæ S. Severini eodem munere funguntur.*

26. *Cum pervenit processio ante vestibulum ecclesiæ S. Victoris, gradum sistit, fit statio cantatur, antiphona, cum versiculo & oratione de S. Victore. Interim duo ex canonicis regularibus S. Victoris clerum B. Mariæ continuò incensant, ritu qui dictus est suprà.*

27. *Dictâ oratione, proceditur ad S. Marcellum, & cantatur Litania* Aufer à nobis *à tribus diaconis beneficiatis.*

28. *In choro ecclesiæ S. Marcelli dimittitur litania, cantatur antiphona cum versiculo & oratione de S. Clemente; deinde post aliquod spatium temporis quieti datum, cantatur antiphona, cum versiculo & oratione de S. Marcello. Posteà tres beneficiati diaconi resumunt litaniam, facto initio ab eo versu, in quo dimissa fuerat, & proceditur ad S. Genovefam.*

29. *Cum processio pervenit ad compitum, ubi sita erat porta S. Marcelli, absolvitur litania, & post modicum intervallum, clericus præcentoris imponit responsorium de S. Genovefa.*

30. *Processione ecclesiam S. Genovefæ ingressâ, clerus B. Mariæ sistit se in choro à parte epistolæ, & cantat antiphonam, cum versiculo & oratione de SS. Apostolis Petro & Paulo; deinde missa* Exaudivit *cantatur à canonicis regularibus S. Genovefæ, qui stant à parte evangelii.*

31. *Post missam, chorus ecclesiæ metropolitanæ, ante aquilam*

Digitized by Google

cantat antiphonam, cum versiculo & oratione de S. Genovefa; deinde pueri incipiunt litanias sanctorum, moxque processio discedit, & revertitur in ecclesiam metropolitanam.

CAPUT XVIII.

De festo Ascensionis Domini.

1. ANte missam, fit processio cum cappis extra ecclesiam, per circuitum territorii cujusque ecclesiæ, & cantantur responsoria, & hymni, ut in processionali, vel eorum pars, prout necesse erit. In missa ad duas ultimas strophes prosæ chorus convertit se ad altare.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

2. *Post primam, congregatis processionibus ecclesiarum S. Marcelli, S. Germani-autissiodorensis, S. Honorati & S. Opportunæ, ac pratereà ecclesiarum capitulo beatæ Mariæ subjectarum, fit processio extra ecclesiam, per vicum Novum B. Mariæ, vicum Mercatûs-paludis, vicum Calandræ, ubi est domus, in qua natus est beatus Marcellus, vicum, in quo ab antiquo fiebant cadi, vicum Veteris-pannariæ, vicum Nebulariorum, vulgò* (des Marmouzets,) *claustrum B. Mariæ, & per circuitum atrii majoris ecclesiæ, redeundo per majorem portam, hoc ordine.*

3. *Procedunt primò canonici S. Opportunæ & S. Honorati duplici lineâ paralleli incedentes cum suis vexillis & crucibus: 2. canonici S. Germani-autissiodorensis, & S. Marcelli unà cum clericis ecclesiarum S. Martini & S. Hyppoliti, ecclesiæ S. Marcelli subjectarum, qui alternis dextram tenent ex ordinatione Francisci de Harlay quondam Parisiensis Archiepiscopi de anno 1682. cum suis vexillis & crucibus: 3. vexilla, pueri, & cruces ecclesiarum subjectarum capitulo B. Mariæ, quarum canonici incedunt inter capellanos & beneficiatos ecclesiæ metropolitanæ: 4. vexillum ecclesiæ metropolitanæ: 5. puer vas aquæ benedictæ cum aspergillo deferens: 6. ceroferarii: 7. Pueri, & canonici* in minoribus: 8. *duæ cruces majoris ecclesiæ, quarum majorem defert canonicus* in minoribus *junior in cappa lanea, minorem verò major puerorum in cappa serica: 9. clericus fabricæ, & capicerius in cappis albis à parte dextra, qui capsam B. Mariæ humeris deferunt, & à sinistra parte duodecim aurifices, qui capsam S. Marcelli humeris suis portant; reliqui omnes incedunt more consueto.*

4. *Cum processio transit ante portas ecclesiarum Domûs-Dei, Infantis-Jesu, S. Genovefæ-de-miraculo-ardentium, S. Germani vete-*

Digitized by Google

vis, S. Petri-de-arcitiis, S. Crucis in civitate, ac S. Mariæ Magdalenæ, præpositi, stantes ad portam ecclesiæ, vel eorum loco duo presbyteri in cappis, comitantibus ceroferariis cum cereis accensis, crucifero & aliis presbyteris chorum ecclesiæ metropolitanæ ontinuo incensant, donec processio transgressa fuerit. Idem observatur in processione solemnissima corporis Christi.

5. *Antequam processio discedat, præcentor, & duo beneficiati choristæ imponunt responsorium, ut in processionali ejusdem ecclesiæ.*

6. *Processione in ecclesiam per majorem portam reversâ, pulsantur organa, & in medio navis fit statio. Processiones ecclesiarum S. Marcelli, S. Germani, S. Honorati, & S. Opportunæ, & ecclesiarum subjectarum sistunt se in inferiori parte navis à dextris & à sinistris.*

7. *Finitâ statione, processio per circuitum chori progreditur, cantans unà cum organis antiphonam* Alma, *tumque processiones ecclesiarum supradictarum redeunt ad propria.*

8. *Cum processio chorum ingressa est, pueri cantant versiculum* Ora pro nobis, *deinde celebrans ad rostrum aquilæ orationem* Famulorum.

9. *Interim capsa B. Mariæ à parte epistolæ, & capsa S. Marcelli à parte evangelii, super mensas ad id præparatas, & floribus sertisque conspersas, inter altare & aquilam in medio chori collocantur.*

10. *Post orationem decantatam, omnes deponunt cappas, & pueri tunicellas.*

11. *Hoc quatriduo, si propter tempus pluviâ infestum, processio foras egredi non possit, fiet intrà septa ecclesiæ, eam semel atque iterum circumeundo: tumque in litaniis majoribus, & minoribus, cantabitur in choro antiphona* Exurge, *cum versiculo, & oratione ut suprà, deinde litaniæ omnium sanctorum, posteà missa* Exaudivit &c. *In festo Ascensionis cantabuntur responsoria, & hymni ut in processionali, vel eorum pars, prout opus fuerit.*

CAPUT XIX.

De vigilia Pentecostes.

ARTICULUS I.

De præparandis pro officio hujus diei.

1. PRo lectione prophetiarum præparantur casula, & planetæ transversæ violaceæ pro celebrante, & ministris: alba cum stola, & manipulo violaceis pro diacono, qui lecturus est primam prophetiam: tres albæ mundæ pro lectoribus secundæ, tertiæ, &

Digitized by Google

quartæ prophetiæ, præterea quatuor albæ pro cantoribus primi, & secundi tractûs, & duo pluvialia violacea pro cantoribus tractûs *Sicut cervus.*

2. Pro litaniis, & missâ, pluvialia rubea, & vestes ejusdem coloris pro celebrante, ministris sacris, cantoribus litaniarum, & sacerdotibus qui delaturi sunt olea sancta ad fontem.

3. Vasa argentea cum oleis sacris deferenda ad fontem.

Articulus II.

De Prophetiis, litaniis, benedictione fontis, & missa.

1. Post sextam, nondum accensis cereis, celebrans, & ministri in ornamentis violaceis accedunt ad altare, more solito, celebrans osculatur altare, & orationes cantat eodem ritu, quo in sabbato sancto pag. 192.

2. Lectiones, & tractus cantant iidem qui in sabbato sancto, & eodem ritu.

3. Finitâ quartâ lectione, quæ est *Audi Israel*, accenditur cereus Paschalis, qui continuò ardet usque ad officium completum in die Pentecostes.

4. Post orationem *Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui solemnitatem doni Spiritûs sancti colimus*, quatuor in cappis rubeis cantant litaniam, quæ notatur secunda sabbato sancto, & eodem ritu.

5. Post litaniam, fit benedictio fontis, in ornamentis rubeis, eodem ritu quo sabbato sancto.

6. Finitâ benedictione fontis, cantatur à duobus choristis litania, quæ notatur tertia sabbato sancto, & eodem ritu, deinde missa, in qua *Alleluia*, & tractus cantantur ab iisdem, quibus sabbato sancto.

7. Ad evangelium non portantur luminaria, sed incensum tantum, petitur benedictio, & alia fiunt more solito.

8. In ecclesiis, ubi non est fons baptismalis, non cantatur tractus *Sicut cervus*, nec fit benedictio fontis; sed immediatè post orationem *Deus qui nobis per prophetarum ora*, cantatur litania, quæ tertia notatur sabbato sancto, deinde missa ut suprà.

9. *In ecclesia metropolitana prophetiæ, litaniæ, benedictio fontis & missa eodem ordine, & ab iisdem cantantur quibus suprà sabbato sancto.*

Digitized by Google

CAPUT XX.

De festo & hebdomadâ Pentecostes.

1. AD nocturnum, antiphonæ, lectiones, & responsoria cantantur eodem ritu, quo in die sancto Paschæ.

2. Ad tertiam, celebrans cappâ rubeâ ornatus, medius inter duos sacerdotes cappis rubeis indutos è vestiario procedit ad altare, præcedentibus tribus thuriferariis, cum totidem thuribulis.

3. Cum pervenerint ad altare, in orâ infimi gradus genua flectunt, & profundè inclinant, deinde surgunt, moxque celebrans more solito se signans inchoat *Deus in adjutorium.*

4. Cantato *Alleluia* celebrans imponit hymnum *Veni creator Spiritus*, choro facie ad altare versâ prosequente alternis mensurâ gravissimâ, vel si organa pulsentur, prosequentibus organis & choro alternis.

5. Post hymnum impositum celebrans & sacerdotes genua flectunt ut suprà, deinde thuriferariis à dextris cujuslibet ipsorum respectivè genuflexis incensum benedicunt, & acceptis thuribulis ad 1. 3. 5. & 7. strophen altare genibus flexis, facientes identidem intervallum, thurificant, & profundè inclinant ante & post, thuriferarii verò ad 2. 4. & 6. incensant.

6. Hymno finito, celebrans surgit, imponit antiphonam *Spiritus*, thuriferariis interim thuribula referentibus in vestiarium, moxque dignior chori inchoat psalmum *Legem pone.* Tum celebrans & sacerdotes accedunt ad sedilia à parte epistolæ præparata ut in missâ, ubi celebrans medius inter ipsos sacerdotes sedet. Capitulum & orationem cantat celebrans stans ad sedile suum facie versâ ad altare stantibus iisdem sacerdotibus.

7. Post tertiam, celebrans & sacerdotes redeunt in vestiarium. Celebrans albam, manipulum, stolam & cappam induit, & reliqui de clero cappas induunt. Paratis omnibus fit processio solemnis in cappis intra vel extra ecclesiam secundùm consuetudinem locorum.

8. In missâ ad versum *Veni sancte Spiritus*, celebrans, & ministri genua flectunt, & chorus convertit se ad altare. Idem observatur infrà hebdomadam.

9. In minorib. eccles. celebrans ornatus albâ, manipulo stolâ & cappâ, medius inter diac. & subdiac. indutos ut in missa stans ante altare inchoat, *Deus in adjutorium*, eoque finito imponit hymnum *Veni creator Spiritus* prosequente choro, genua flectit, thus benedicit, & unà cum diacono & subdiacono thurificat alternis cum thuriferariis. Post finem hymni imponit antiphonam *Spiritus*, accedit ad

Digitized by Google

sedile suum, ubi sedet medius inter diaconum & subdiaconum, &. stans dicit capitulum & orationem ut suprà.

9. In minimis, celebrans solus incensat alternis cum thuriferario, & stans ad sedile à parte epistolæ dicit capitulum & orat. ut suprà.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

10. *Ad tertiam, dignitates stant in stallis honoris sui propriis.*

11. *Celebrans, medius inter duos beneficiatos sacerdotes, ministrantibus tribus thuriferariis, stans ante altare inchoat* Deus in adjutorium, *ut suprà num. 2. & 3.*

12. *Post* Alleluia, *celebrans imponit hymnum* Veni creator, *moxque idem celebrans & beneficiati sacerdotes genibus flexis thus benedicunt, & altare thurificant, ut suprà num. 4. & 5. deinde hymno cantato, celebrans stans ante altare imponit antiphonam* Spiritus, *dignior chori inchoat psalm.* Legem pone, *&c. ut suprà num. 6. & 7.*

Quando D. Archiepiscopus celebrat *in Pontificalibus*

13. *D. Archiepiscopus depositâ mitrâ stans in sede pontificali & conversus ad altare inchoat* Deus in adjutorium, *prosequente choro. Interim duo beneficiati sacerdotes cappis rubeis ornati, præcedentibus duobus thuriferariis accedunt ad altare, & in infimo gradu genua flectunt.*

14. *Cantato* Alleluia, *D. Archiepiscopus conversus ad altare imponit hymnum* Veni creator Spiritus, *moxque beneficiati sacerdotes thus benedicunt & altare thurificant ut suprà num. 5.*

15. *Post finem hymni, beneficiati sacerdotes, præcedentibus thuriferariis redeunt in vestiarium, D. Archiepiscopus conversus ad septentrionem imponit antiphonam* Spiritus, *moxque dignior chori imponit psalmum* Legem pone, *D. Archiepiscopus sedet, & mitram assumit.*

16. *Finitâ antiphonâ, D. Archiepiscopus mitram deponit, surgit, & conversus ad altare cantat capitulum. Eodem modo responsorio brevi & versiculo decantatis, orationem cantat, deinde redit in vestiarium &c. ut suprà. num. 7.*

17. Infra hebdomadam, ad tertiam, hymnus *Veni creator* cantatur mensurâ gravi, loco hymni *Nunc sancte nobis Spiritus*: chorus convertit se ad altare, ut suprà: sed non fit thurificatio altaris.

18. *In hac hebdomada interrumpitur hebdomadarum ordo in ecclesiâ Metropolitanâ & in quibusdam aliis ecclesiis: celebrans & alii ministri quotidie mutantur, & ad nocturnum lectiones leguntur eodem ordine quo infrà hebdomadam Paschæ.*

19. Feriâ quartâ quatuor temporum ad missam, quæ cantatur post

Digitized by Google

tertiam, sicut & fer. 6. ac sabbato, diaconus & subdiaconus utuntur dalmaticâ & tunicâ. Lectio legitur in albâ paratâ in ambone ut suprà feriâ quartâ quatuor temporum Adventûs. *Alleluia* post lectionem cantant choristæ. *Alleluia* post epistolam cantant quatuor de choro in cappis ad rostrum aquilæ.

20. *In ecclesiâ Metropolitanâ lectionem legit macicotus subdiaconus.* Alleluia *post epistolam concinunt quatuor beneficiati in cappis.*

21. Sabbato quatuor Temporum, lectiones leguntur in albis paratis, in ambone ab iisdem, & eodem ritu, quo suprà sabbato quatuor temporum Adventûs. Quatuor *Alleluia*, post quatuor primas lectiones cantant pueri bini, & quintum cantant duo de choro in cappis rubeis.

22. *In ecclesiâ Metropolitana quintum* Alleluia *cantant duo macicoti in cappis*

CAPUT XXI.

De festo & octavâ Corporis Christi.

1. IN hoc festo ante officium tertiæ, fit processio solemnissima, eâque finitâ cantatur tertia, deinde celebratur missa ritu annuali.

2. Si festum SS. Trinitatis alicubi celebretur ritu annuali cum octavâ, fiet illius commemoratio in festo Corporis Christi; sed feriâ sextâ, sabbato, & dominicâ infra octavam Corporis Christi fiet officium de octavâ SS. Trinitatis, cum commemoratione octavæ Corporis Christi.

3. Prosa *Lauda Sion* integra dicitur per octavam, quando fit officium de octavâ Corporis Christi, exceptâ missâ dominicæ, in quâ non dicitur.

4. Singulis diebus infra octavam, in ecclesiâ metropolitanâ, & quibusdam aliis, SS. Sacramentum non exponitur.

5. In majoribus parochiis, singulis diebus ejusdem octavæ exponitur SS. Sacramentum à manè ad vesperam, exceptâ dominicâ, in qua exponitur post processionem dominicæ. Ubi sunt tantummodò duodecim clerici, in ipso quidem festo SS. Sacramenti, in dominicâ infrà octavam, in festis de præcepto infrà eandem octavam occurrentibus, & in ipsâ die octavâ exponitur eodem modo. Aliis autem diebus infrà octavam, exponitur ad missam, ad vesperas, & ad salutem serotinam. In minoribus verò ecclesiis exponitur ad missam, si celebretur cum cantu, & ad salutem serotinam, nisi aliter statutum sit per D. Archiepiscopum.

6. Ubi per octavam SS. Sacramentum in altari permanet expo-

Digitized by Google

situm, officium cantatur mensurâ graviori, & nudo capite. Ad nocturnum, laudes, missam, & vesperas, thurificationes fiunt ut in solemnibus minoribus.

7. Extra horas divini officii, duo clerici, aut saltem unus in minoribus ecclesiis, in habitu chori, orabunt continuò ante SS. Sacramentum, genibus flexis.

8. Notabitur in chartâ, vel tabulâ quo quisque ordine, & quâ horâ orare debeat.

9. In majoribus ecclesiis, quandiu SS. Sacramentum est expositum, nulli laico permittitur aditus intrà presbyterium, etiam ad extinguendos, vel accendendos cereos, aut ministrandum missæ, si qua forsitan sine cantu celebretur; sed id muneris per duos, vel saltem per unum clericum in superpelliceo explebitur.

10. Quando habetur concio, ostensorium vero ita cooperitur ut nullâ ex parte appareat, & post concionem discooperitur; dominicâ infra octavam processio dominicæ fit ante expositionem SS. Sacramenti, si fieri possit, aliàs ostensorium in conditorio vel tabernaculo reconditur, & post processionem exponitur. Idem observatur in simili casu.

Articulus II.

De præparandis pro processione, & missâ.

1. Sacrista opportuno tempore præparabit baldachinum deferendum super SS. Sacramentum, duo thuribula, cum totidem naviculis, & thure boni odoris, & quatuor, vel plures faces gestandas ad utrumque latus baldachini.

2. In vestiario, præter ea quæ necessaria sunt ad missam solemnem, disponet albas & tunicas rubei coloris, pro iis, qui hastas baldachini deferent, nisi viri nobiles, vel magistratus, aut laici, ad id electi eas deferant, pro consuetudine locorum. Tunicellas pro pueris, & pluvialia pro cæteris de choro, qui omnes in hac processione pluvialibus induentur. Si per vias lutosas transeat processio, pluvialia à junioribus laicis, vel pueris retro sublevabuntur.

3. Super majus altare, in quo debet exponi SS. Sacramentum, erigetur tabernaculum, in quo ponetur corporale supponendum ostensorio, & super tabernaculum umbella minor; sicque totum disponetur ut diaconus, aut sacrista nullo modo terat pedibus altare, quando ibidem collocabitur, sive ab eo removebitur SS. Sacramentum; ideoque à latere epistolæ, in loco convenienti ponetur scabellum, cujus gradus sint humiles & depressi, ut illo

Digitized by Google

suppositio, facilè ad idem tabernaculum ascendere possit sacrista, vel quivis alius, qui debet SS. Sacramentum exponere, vel deponere.

4. Super credentiam, præter solita, præparabitur ostensorium argenteum, cum lunula mundissima, tectum aliquo velo. Item pertica, sive semiferculum laminâ argenteâ coopertum, cui medio insertus sit asserculus cum uncis, quibus pes ostensorii asserculo impositus firmari possit. Ubi celebrans solus defert ostensorium & mitella utitur, sacrista præparabit in credentia mitellam, sive velum majus, cujus partes extremæ sint inter se nodatæ.

5. Parietes viarum, per quas solet incedere processio, ornabuntur aulæis, picturis, & sacris imaginibus, sive linteis, aut frondibus arborum, secundùm cujusque facultates, non autem figuris, aulæis, aut imaginibus prophanis, & indecoris. Viæ etiam mundabuntur, & sternentur herbis odoriferis, & floribus. Omnia denique disponentur cum honestate, & convenientia debitis.

6. Præterea, si processio fuerit longior, erigentur per vias in locis convenientibus tot mensæ in modum altarium, quot fient stationes. Mensæ tegentur mappis mundis, & ornabuntur velis, luminaribus, & thymiamatibus, secundùm cujusque facultates; & ne deficiat ignis in thuribulis, præparabitur prope eadem mensas vas aliquod cum carbonibus ardentibus & forcipibus.

Articulus III.

De expositione SS. Sacramenti, quæ fit ante processionem.

1. Ubi cantantur duæ missæ, in missa, quæ celebratur post primam, sacerdos consecrabit duas majores hostias, quarum unam sumet, alteram ponet in ostensorio hoc ordine.

2. Post sumptionem pretiosi sanguinis, subdiaconus viâ breviori afferet de credentia ad altare ostensorium genuflectens in discessu & accessu, illud deponet in cornu epistolæ prope corporale, tum factâ iterum genuflexione, transibit ad librum, cedens locum superiorem diacono, & iterum genuflectet ad lævam celebrantis.

3. Interim diaconus accedet ad dextram celebrantis genuflectens in recessu & accessu, moxque aperiet ostensorium, calicem pallâ cooperiet, & paululùm removebit versùs latus evangelii & ponet ostensorium super corporale.

4. Tum celebrans cum sacris ministris genuflectet, aptabit manu

Digitized by Google

suâ sacram hostiam in lunula ostensorii, & lunulam inseret ostensorio, diacono illud tenente & celebrantem adjuvante, ubi opus erit.

5. Positâ hostiâ intrà ostensorium, diaconus illud claudet, & in medio altaris ponet super corporale; tum celebrans cum ministris genuflectet, descendet in planum, super infimum gradum flectet genua, incensum mittet in thuribulum sine benedictione, diacono ministrante naviculam sine osculis, & thuriferario thuribulum, & SS. Sacramentum trino ductu thurificabit, profundè inclinans ante & post.

6. Post thurificationem SS. Sacramenti, celebrans surget, ascendet ad altare, genuflectet, posteriorem partem hostiæ ad se vertet, ostensorium utrâque manu accipiet, videlicet dextrâ nodum, sinistrâ verò pedem, illudque tenens ante faciem elevatum, ad populum se convertet, & nihil dicens, cum ipso populum benedicens, ter signum crucis producet, primò versùs latus suum sinistrum, secundò directè ante faciem suam, & tertiò versùs latus suum dextrum, hoc ritu: ostensorium paulatim attollet, cum decenti mora, usque dum pars illa, quam tenet dextrâ, respondeat oculis; ac eodem modo demittet infrà pectus; deinde illud elevans ad humerum sinistrum ducet, & reducet ad dextrum, iterumque ad pectus; & post tertium signum crucis, ostensorium reducet ad pectus ante faciem suam, & per brevem moram subsistet, thuriferariis interim SS. Sacramentum sine intermissione incensantibus.

7. Post datam benedictionem, celebrans convertet se ad altare per latus evangelii, ostensorium deponet super corporale, ad se convertet anteriorem partem hostiæ, genuflectet, descendet in planum, in ora infimi gradûs flectet genua, & accepto thuribulo SS. Sacramentum trino ductu thurificabit profundé inclinans ante & post, moxque diaconus ascendet ad altare, genuflectet, dorso ad cornu epistolæ converso, ne terga vertat celebranti, ostensorium in loco debito ponet, & iterum genuflectet.

8. Tum celebrans surget, ascendet ad altare, genuflectet, sumet purificationem, & ablutionem, atque missam prosequetur more solito, diligenter observans quæ suprà parte 2. capite 12. de missa coram SS. Sacramento, dicta sunt.

9. Ubi unica missa celebratur cum cantu, in missa quæ sine cantu dicitur de manè, sacerdos ad eam deputatus consecrabit duas majores hostias ut suprà, & post communionem alteram hostiam inseret lunulæ ostensorii; & SS. Sacramentum in loco debito exponet, eodem ritu, quo suprà, juvante sacristâ.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

De Processione.

1. ANte Tertiam, paratis omnibus, celebrans, præcedentibus thuriferariis, ceroferariis, acolyto, qui crucem defert, acolytis, qui faces portant, clericis qui hastas baldachini delaturi sunt cum tunicis, & ministris sacris, medius inter duos sacerdotes, albis, manipulis, stolis & casulis indutos, ut in Missa, procedit ad altare. In minoribus Ecclesiis solus procedit.

2. Pervenientes ante altare, thuriferarii sistunt se ad latus epistolæ in plano; ceroferarii, & clerici qui gestant faces, infra gradus presbyterii; acolytus qui fert crucem, ponè ceroferarios; celebrans medius inter duos sacerdotes & ministros sacros, ad infimum gradum suppedanei. Tum omnes flectunt genua, & profundè inclinantes SS. Sacramentum adorant. Deinde celebrans thus immittit in thuribula, sine benedictione, ministrantibus diacono naviculam sine osculis, & thuriferariis thuribula. Tum accepto de manu diaconi thuribulo, SS. Sacramentum trino ductu thurificat, profundiùs inclinans antè & pòst. Postea reddit thuribulum, ascendit ad altare, genuflectit, ostensorium utrâque manu accipit: & conversus ad chorum populum benedicit, ter formans signum crucis cum ostensorio ut suprà, & nihil dicens. Ad benedictionem SS. Sacramenti omnes genua flectunt.

3. Interim thuriferarii ante medium altaris genua flectunt in ora supremi gradûs presbyterii, & SS. Sacramentum sine intermissione simul incensant, choro cantante *O salutaris &c.*

4. Datâ benedictione, diaconus accedit ad dextram celebrantis, & cum illo, post depositum in altari ostensorium, genuflectit, deinde juvante sacristâ, idem ostensorium super asserculum perticæ, seu semiferculo insertum ad id destinatum collocat, & uncis firmat. Tum duo sacerdotes casulis induti surgunt, accedunt ad altare, genuflectunt, utrâque manu extremam quisque semiferculi partem assumit, & sustinet. Hos inter medius celebrans, quædam quasi manubria asserculo affixa utrâque manu apprehensa tenens, ostensorium sustinet. Deinde celebrans & sacerdotes aliquantulum ab altari secedunt, & per modum unius convertunt se ad chorum.

5. Ubi celebrans solus portat ostensorium, & mitellâ utitur, post datam benedictionem, ostensorium super altare deponit, mitellam collo induit, extremis partibus inter se nodatis, ita ut nodus à cervice extet, brachia mitellæ inserit eidem à cubitis ad manus usque innixa, tum ostensorium utrâque manu accipit ut suprà num. 6.

Digitized by Google

& ita ornatus & compositus, sanctissimum Sacramentum defert.

6. Interim qui delaturi sunt hastas baldachini, illud ante januam cancellorum presbyterii, seu majorem portam chori, pro situ loci, constituunt, ubi genuflexi tenent ejusdem hastas, donec sub baldachinum ingrediatur celebrans.

7. His peractis choristæ imponunt responsorium *Homo*, prosequente choro, ut in Processionali, tumque proceditur hoc ordine: primus procedit qui vexillum ecclesiæ defert: 2. pueri vel laïci bini & bini qui intortitia accensa deferunt: 3. sodales SS. Sacramenti (ubi est ejusmodi sodalitas) qui cereos accensos gestant, deinde reliqui omnes ordine consueto post debitam genuflexionem procedunt; posteà diaconus solus, qui corporale inclusum in bursa ante pectus defert, & ante baldachinum duo thuriferarii, qui SS. Sacramentum incensant; ultimus omnium celebrans, qui medius inter duos sacerdotes, cum illis SS. Sacramentum anteriori parte hostiæ ad se versa defert sub baldachino, comitantibus hinc & inde qui faces gestant.

8. Attendant sodales SS. Sacramenti, & alii, qui cereos accensos manibus gestant, ut qui incedunt à dextris, cereos gestent dexterâ, qui verò à sinistris, illos portent sinistrâ. Idem observabunt qui faces aut intortitia deferunt.

9. Cum Processio pervenit ad aliquod è præparatis altaribus in via, ante illud fit statio; diaconus ad altare accedit, bursam aperit, & corporale explicat in medio mensæ; celebrans verò & sacerdotes ostensorium deponunt in mensa super corporale, & genua flectunt in ora suppedanei; deinde celebrans thus immittit in thuribulum, sine benedictione, ministrantibus diacono, & thuriferario. SS. Sacramentum ter incensat, deinde populum benedicit, si talis sit consuetudo loci, choro interim genibus flexis cantante unam ex Antiphonis notatis in Processionali; eâque cantatâ, pueri cantant versiculum, & celebrans dicit Orationem convenientem ex libro, quem sustinent ante illum prædicti sacerdotes.

10. Finitâ Oratione, celebrans & sacerdotes accedunt ad mensam, genuflectunt, & diacono, ac aliis juvantibus resumunt ostensorium, diaconus plicat corporale, & recondit in bursa quam resumit, moxque processio cœptum iter prosequitur. Idem observatur in aliis Stationibus, si plures fiant.

11. Postquam processio ad Ecclesiam rediit, acolytus ferens crucem rectà pergit ad altare cum ceroferariis, crucem deponit ad latus epistolæ, ceroferarii candelabra deponunt super utrumque cornu infimi gradûs, & genua flectunt.

12. Qui deferunt intortitia, gradum sistunt in navi, & ab

Digitized by Google

utraquè parte navis genua flectunt, ut inter illos processio transire possit.

13. Transeunti per chorum SS. Sacramento omnes genua flectunt, facie ad illud conversâ, & inclinant caput.

14. Cum celebrans pervenit ad majorem portam chori, vel ad gradus presbyterii, seu cancellos altaris, pro situ locorum qui deferunt baldachinum, gradum sistunt, & statim illud amoventes è medio, collocant in loco ad id destinato. Thuriferarii pervenientes ad gradus altaris, desinunt incensare, ac ibidem in plano genua flectunt hinc & inde; qui verò faces deferunt, ad laterales gradus prope thuriferarios procumbunt in genua, & SS. Sacramento transeunti profundè inclinant.

15. Celebrans, cum sacerdotibus ascendit rectà ad altare, ubi deponit semiferculum super altare, juvante diacono, vel sacristâ, qui distractis uncis ab ostensorio, illud deponit super altare. Tum sacerdotes super infimum gradum genua flectunt, celebrans utrâque manu accipit ostensorium, & conversus ad chorum, populum benedicit, ostensorio ter formans signum crucis, ut suprà p. 220. n. 6. deinde circulo perfecto, ostensorium deponit super altare, convertit anteriorem partem hostiæ ad populum, genuflectit, descendit in planum, super infimum gradum genua flectit, thuribulum accipit à diacono, SS. Sacramentum trino ductu thurificat, profundè inclinans ante & post, & thuribulum reddit diacono.

16. Ubi celebrans solus defert ostensorium, reversus ad altare convertit se ad populum, illum benedicit, ostensorio ter formans signum crucis, ostensorium deponit super altare, genuflectit, descendit in planum, super infimum gradum genua flectit; tum si mitellâ utatur, subdiaconus surgens illam amovet à cervice celebrantis, qui accepto thuribulo, SS. Sacramentum thurificat cætera ut suprà n. 15. Si celebrans solus fuerit, post datam benedictionem, ostensorium in loco debito collocat, descendit in planum, mitellam reddit clerico si illâ utatur, & cætera perficit ut suprà n. 15.

17. Post datam benedictionem, pueri cantant versiculum *Posuit fines tuos pacem*, deinde celebrans dicit orationem, ut in collectario, eaque dicta diaconus ascendit ad altare, SS. Sacramentum in eminentiori loco super altare præparato collocat, suppositio corporali, genuflectit, descendit ad dextram senioris sacerdotis, ubi genua flectit.

18. Dictâ oratione, celebrans genua flectit, deinde post collocatum in loco suo ostensorium surgunt omnes; celebrans & ministri in vestiarium revertuntur, eodem ordine quo ve-

Digitized by Google

erant, & depositis cappis cantatur tertia in choro.

IN ECCLESIA METROPOLITANÂ.

19. *Post vexillum, procedunt viginti quatuor pueri è domo puerorum rubeorum qui interstitia gestant : 2. puer de vase aquæ benedictæ : 3. ceroferarii : 4. canonici* In minoribus *in cappis laneis : 5. canonicus* In minoribus *in cappa lanea, qui majorem crucem defert, & Spex in cappa serica, qui aliam crucem gestat : 6. indutus deferens codicem epistolarum ante pectus : 7. subdiaconus medius inter duos indutos : 8. præcentor solus ; 9. choristæ : 10. clerus ordine consueto : 11. post clerum, indutus deferens ante pectus codicem evangeliorum : 12. diaconus medius inter duos indutos : 13. thuriferarii, qui incedentes retrorsum SS. Sacramentum simul, vel alternis incensant : 14. celebrans, medius inter duos sacerdotes digniores post illum casulis indutos, sub baldachino, cujus hastas gestant sex capellani in tunicis, astantibus hinc & indè qui faces accensas gestant. Per viam nulla fit statio.*

Quando celebrat D. Archiepiscopus.

20. *Post clerum, incedit crucifer archiepiscopalis, sequitur indutus deferens codicem evangeliorum, succedit diaconus medius inter duos indutos, ponè illum pedifer, tum thuriferarii, posteà ceroferarii Archiepiscopi. Demum Pontifex sub baldachino, ut suprà.*

ARTICULUS V.

De Missa.

1. IN missa observantur ea, quæ dicta sunt suprà parte 3. c. 20. de missa coram SS. Sacramento. In prosa *Lauda sion* strophe *Ecce panis angelorum* ter cantatur celebrante & ministris in ora infimi gradûs genuflexis. Ad eamdem sicut & ad strophes. *Bone pastor* & *Tu qui cuncta* chorus convertit se ad altare.

ARTICULUS VI.

De modo recondendi SS. Sacramentum.

1. EOdem die horis serotinis post completorium vel salutem, celebrans stolâ & cappâ ornatus, præcedentibus thuriferario, ceroferariis, clericis qui faces accensas gestant, & sacristâ vel sacerdote qui defert bursam corporalium, accedit ad altare, & in ora infimi gradûs flectit genua profundè inclinans. Sacrista stolam assumit, ascendit ad altare, genuflectit dorso ad partem epistolæ aliquantulum verso, corporale super altare explicat, SS. Sacramentum è loco, in quo erat expositum, deponit super altare

in

Digitized by Google

in medio corporalis, iterum genuflectit, redit ad dextram celebrantis & genibus flexis stolam deponit. Celebrans incensum benedicit ministrantibus sacristâ naviculam, & thuriferario thuribulum, & SS. Sacramentum trino ductu incensat, ut suprà art. 3. Interim cantatur in choro hymnus *Pange lingua*, vel alius, deinde dicitur ℣. *Panem de cœlo &c.* cum orat. de SS. Sacramento. Posteà celebrans ostensorium utrâque manu sumit & populum benedicit ut suprà art. 3. num. 6. & 7. Datâ benedictione, sacrista stolam assumit, ascendit ad altare, genuflectit ut suprà, laternulam suspensam demittit, vel tabernaculum aperit, iterum genuflectit, pyxidem sacram è laternula vel tabernaculo depromit, & super corporale à latere ostensorii ponit, ostensorium etiam aperit, ex illo hostiam sacram cum lunula depromit, & immittit in pyxidem, quam claudit; deinde pyxidem reponit in laternula, quam restituit in locum suum, vel pyxidem recondit in tabernaculo, genuflectit & ostiolum illius obserat. Posteà ostensorium mappulâ operit, profundè inclinat altari, descendit ad dextram celebrantis, ostensorium opertum deferens, & cum eodem celebrante redit in vestiarium.

2. Si cantetur salus vespertina, in ea observabuntur quæ dicta sunt suprà in prænotandis, in fine dabitur benedictio, & recondetur SS. Sacramentum eodem ritu, quo suprà.

ARTICULUS VII.

De modo exponendi, & recondendi SS. Sacramentum, infra octavam Corporis Christi.

1. UBi consuevit SS. Sacramentum exponi per octavam Corporis Christi, celebrans stolâ & cappâ paratus accedit ad altare, præcedentibus thuriferario, ceroferariis, & sacristâ, qui defert ostensorium mappulâ coopertum, & bursam corporalium, deinde in infimo gradu genua flectit.

2. Sacrista ascendit ad altare, profundè inclinat, ostensorium jacens ponit super altare à parte evangelii, corporale explicat in altari, laternulam suspensam demittit, vel tabernaculum aperit, genuflectit: pyxidem sacram è laternula vel tabernaculo depromit, super altare collocat, & aperit, ac iterum genuflectit. Tum surgit, ostensorium discooperit, super corporale ponit, & aperit; deinde hostiam sacram cum lunula è pyxide depromit, & inserit ostensorio, quod claudit. Posteà pyxidem sacram claudit, & reponit in laternula, quam restituit in locum suum, vel recondit in

Digitized by Google

tabernaculo, quod claudit, genuflectit, & descendit ad dextram celebrantis, ubi genua flectit.

3. Celebrans, more solito, thus benedicit, ministrantibus sacristâ naviculam, & thuriferario thuribulum, SS. Sacramentum trino ductu thurificat, ascendit ad altare, ostensorium utrâque manu accipit, & populum benedicit, signum crucis super populum ter formans ostensorio, ut suprà §. 3. num 6. & 7. thuriferario incensante SS. Sacramentum, ostensorium in loco debito collocat, genuflectit, descendit in planum, & in ora infimi gradûs altaris genua flectit

4. Interim cantatur in choro una ex strophis hymni *Adoro te*, vel *O salutaris*, aut *Ave verum*, aut *Tantum ergo Sacramentum*, sive *Panis angelicus*, eâque finitâ, pueri concinunt versiculum *Panem de cœlo*; deinde celebrans surgit, subdit collectam *Deus qui nobis sub Sacramento*, & in vestiarium redit.

5. Ubi post expositum SS. Sacramentum cantatur aliquod officium, celebrans, post datam benedictionem, & strophen finitam, stans in plano ante medium altaris cantat *Domine labia mea aperies*, vel *Deus in adjutorium*, aut choristæ imponunt introitum missæ, vel aliquid aliud secundum qualitatem officii.

6. Ubi SS. Sacramentum reconditur post quodlibet officium, celebrans, finito officio stolam induit, accedit ad altare, SS. Sacramentum thurificat; benedicit populum, & SS. Sacramentum recondit, eodem ritu quo suprà art. 6. n. 1.

7. Quando post missam reconditur SS. Sacramentum, celebrans, dictâ oratione *Placeat*, descendit in planum, medius inter ministros sacros genuflectit, SS. Sacramentum thurificat, ascendit ad altare, populum benedicit dicens sine cantu *Benedicat &c.* SS. Sacramentum recondit, & in vestiarium revertitur more solito dicens evangelium *In principio.*

8. Quando post completorium, vel salutem reconditur SS. Sacramentum, eadem servantur, quæ suprà articulo sexto, num. 1.

ARTICULUS VIII.

De die octava Corporis Christi.

1. ANte missam fit processio solemnis, in qua defertur SS. Sacramentum eodem ritu, quo suprà in festo Corporis Christi.

Digitized by Google

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

2. *Processio fit intra septa ecclesiæ, eam semel atque iterum incessu gravi circumeundo; canonici qui extremas partes pertica argentea sustinent, stolas, & cappas tantùm induunt, & post missam reconditur SS. Sacramentum.*

3. In quibusdam ecclesiis circa solis occasum fit oratio, sive salus, & post finem illius fit processio, in qua defertur SS. Sacramentum. In illa celebrans stolâ, & cappâ ornatus, defert SS. Sacramentum sub baldachino, ut suprà, & cantatur hymnus *Sacris solemnis.*

4. Finitâ processione, celebrans ostensorium deponit in altari, genuflectit descendit in planum, & in ora infimi gradûs altaris genua flectit, SS. Sacramentum trino ductu thurificat profunde inclinans ante & post. Interim pueri concinunt versiculum *Posuit fines tuos*, celebrans surgit & subdit collectam *Deus qui nobis*, deinde genua flectit in ora infimi gradûs altaris, cantatur ter *Domine salvum fac Regem*, cum versiculo *Fiat manus tua*, & oratione pro Rege. Posteà datur benedictio, & reconditur SS. Sacramentum ut suprà art. 6. n. 1.

5. Postridie manè, sacrista, vel alius sacerdos, in fine missæ, quam celebrat, antequam se purificet, lunulam diligenter purificabit, & post missam ostensorium linteo coopertum referet in vestiarium, ubi suo tempore lunulam vino lotam absterget purificatorio, si necesse sit, & cum aliis vasis sacris asservabit.

Dominicâ tertiâ post Pentecosten.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

1. *Fit processio ad ecclesiam Dominici Sepulcri, in qua cantantur responsoria, ut in processionali ejusdem ecclesiæ.*

2. *Cum processio pervenit ad ecclesiam Dominici Sepulcri, progreditur ad sacellum S. Vultûs Lucensis, ubi cantatur tertia; quâ finitâ, unus ex beneficiatis ecclesiæ Parisiensis à parte dextra, & unus è canonicis Dominici Sepulcri à sinistra, cappis induti, intrant idem sacellum, & responsorium imponunt. Tum fit processio extrà ecclesiam per circuitum.*

3. *Processione chorum ingressâ, unus ex canonicis vel beneficiatis sacerdotibus ecclesiæ metropolitanæ missam cantat de festo Dominici sepulcri; epistolam, & evangelium cantant respectivè duo beneficiati ecclesiæ metropolitanæ*, Alleluia *ante aquilam cantant unus ex beneficiatis ecclesiæ metropolitanæ, & unus ex canonicis Dominici Sepulcri.*

Digitized by Google

4. *Post missam, cantatur sexta in choro, eâque finitâ, processio redit in ecclesiam Metropolitanam, cantando litanias sanctorum, ut suprà in majoribus litaniis, pag.* 206.

5. *Si processio eo die fieri non possit, transfertur in Dominicam secundam Julii, & in ecclesia Dominici Sepulcri totum officium fit de dedicatione propter anniversariam diem dedicationis ejusdem ecclesiæ, quæ eodem die occurit.*

Digitized by Google

CÆREMONIALIS PARISIENSIS

PARS QUINTA.

DE RITIBUS SPECIALIBUS in Officiis propriis de Sanctis.

JANUARIUS.

Die 20. in ecclesia metropolitana, post officium capituli fit processio intrâ septa ecclesiæ per circuitum. Duo presbyteri, induti cappas rubei coloris: tabellam argenteam reliquiarum S. Sebastiani suis humeris portant, duobus pueris chori cum facibus seu interstitiis accensis, illam hinc & inde comitantibus, & choro cantante responsorium ut in processionali.

FEBRUARIUS.

1. Die secundâ, in festo Præsentationis Domini, & Purificationis beatæ Mariæ; horis matutinis, sacrista præparabit in plano prope cornu epistolæ mensam, mappâ mundâ usque ad terram fluente, illam cooperiet, & super illam cereos cerâ albæ ponet, in tanta copia, ut sufficiat omnibus de clero; (& inter illos, quatuor vel sex reservandos pro infirmis obsignabit, ne distribuantur simul cum aliis.)

2. Finitâ tertiâ, & cereis in altari accensis, celebrans super albam stolâ, manipulo, & pluviali albi coloris ornatus, præcedentibus ceroferariis, subdiacono, & diacono indutis ut in missa, è vestiario progreditur ad altare.

3. Cum pervenit ad altare, medius inter diaconum, & sub-

Digitized by Google

diaconum genua flectit more solito; surgit, deinde medius inter eosdem ministros, qui unâ manu, partes anteriores pluvialis, alterâ, vestes anteriores celebrantis attollunt, ascendit ad altare, illud osculatur in medio: accedit ad librum in cornu epistolæ, ubi ministris ad dextram ejus stantibus, ut ad introitum missæ, facit benedictionem cereorum in tono orationis horarum, non nihil conversus ad ipsos, ceroferariis ad utrumque cornu suppedanei permanentibus.

4. Dicens *Dominus vobiscum*, non convertit se ad populum, nec disjungit, manus quas tenet semper junctas ad orationes. Idem observatur in omnibus benedictionibus ejusmodi extra missam; cum verò benedicit cereos manu dextrâ, tenet sinistram super altare, diacono interim fimbrias pluvialis elevante à dextris.

5. Ante finem ultimæ orationis, acolythus accipit vas aquæ benedictæ cum aspergillo, & accedit ad cornu epistolæ juxtà infimum gradum lateralem, ubi se fistit à dextris diaconi, & aspergillum intinctum aquâ porrigit diacono, qui, post conclusionem orationis, illud tradit celebranti cum solitis osculis.

6. Completis orationibus, celebrans accepto de manu diaconi aspergillo, ter aspergit cereos, in modum crucis, primò ante se in parte superiori & inferiori cereorum, secundò à sinistris suis tertiò à dextris, deinde, aspergillum reddit diacono, qui illud accipit cum debitis osculis, & reddit acolytho; moxque sacrista, vel acolythus cereos distribuit, primò celebranti, tum ministris sacris, deinde choristis, posteà cæteris de clero, juxtà cujusque ordinem, dum alius sacerdos cereos populi aspergit per ecclesiam.

7. Interim accenduntur cerei in choro, choristæ imponunt antiphonam *Lumen*, choro prosequente, deinde canticum *Nunc dimittis*, & post singulos versus antiphona repetitur.

8. Post distributionem cereorum, & omnibus ad processionem paratis, celebrans cantat versiculum *Exulta*, cum sequentibus, & oratione; deinde fit processio, in qua cantatur responsorium *Adorna*, cum reliquis ut in processionali.

9. In processione advertendum, ut qui sunt à dextris cereos gestent dextrâ, qui vero à sinistris portent illos sinistrâ manu.

10. Si festum Purificationis occurrat in Dominica, benedictio aquæ fiet more solito, & post illam fiet benedictio, & aspersio cereorum, juxtà altare positorum, cum orationibus, ut suprà, deinde cantabitur antiphona *Asperges*, & fiet aspersio altaris, cleri, & populi, & cereorum per ecclesiam, & dictâ oratione

Digitized by Google

Exaudi, cantabitur antiphona *Lumen &c.* omnia fient ut suprà.

11. In missa iidem ritus servantur, qui in cæteris missis solemnibus majoribus. Paulo ante evangelium omnes clerici accendunt cereos; celebrans, & alii omnes cereos accensos tenent, dum legitur evangelium: quo finito illos extingunt. Præterea paulo ante elevationem eos accendunt, & iterùm accensos tenent usque ad secundam elevationem, exceptis celebrante & ministris.

12. Quando idem festum celebratur ante septuagesimam, post *Alleluia* cantatur prosa.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

13. *Post tertiam, fit processio ad ecclesiam S. Joannis-Rotundi, in qua fit benedictio cereorum. Eundo cantatur responsorium, ut in processionali, præcentore, & duobus beneficiatis choristis imponentibus.*

14. *Processione ecclesiam S. Joannis ingressâ, & finito responsorio, celebrans benedicit cereos, ut suprà; deinde cantatur antiphona* Lumen, *cum versiculis, & orationibus in magno processionali notatis.*

15. *Posteà processio revertitur in majorem ecclesiam, & cantatur responsorium* Responsum. *Finito responsorio, dicitur versiculus* Puerorum, *& oratio ut in collectario; deinde pro statione ordinaria, cantatur antiphona* Ave regina cœlorum *cum reliquis more solito: iisque finitis, & post benedictionem D. Archiepiscopi, fit processio per circuitum chori, cantando simul cum organis antiphonam* Alma, *cum reliquis, ut suprà in die nativitatis Domini.*

16. *Quando festum occurrit dominicæ septuagesimæ vel post illam, in missa tractus cantatur à choristis, unà cum quatuor canonicis sacerdotibus, hoc ordine. Dum cantatur epistola,* Spex, *sive major puerorum chori, quatuor cappas super brachia gestans, chorum ingreditur, accedit ad beneficiatos choristas, poplites flectit, & cappas tradit illis, videlicet duas primo, & duas secundo.*

17. *Choristæ cappas acceptas deponunt super bancam, quisque à parte sua. Impositio graduali, primus choristæ nudo capite, cappam accipit de banca, illam sustinens super utrumque brachium, accedit ad unum è sacerdotibus canonicis à parte dextra, stans in plano, ante illum inclinat, invitat ad tractum, & cappam deponit ante illum, super unum è stallis inferioribus. Tum redit ad bancam, aliam cappam similiter sumit, & alium canonicum sacerdotem eodem ordine, invitat ad tractum, & redit ad bancam: inte-*

Digitized by Google

rim secundus choristа, eodem ritu, invitat duos canonicos sacerdotes à parte sinistra.

18. *Canonici ad tractum invitati cappas induunt, juvantibus macicotis, descendunt ad bancam, sistunt se in medio choristarum, & completo graduali, tractum cum illis concinunt, præcentore sedente, donec transeat diaconus.*

19. *Advertant canonici, ut digniores sistant se ad dextram partem, ideoque ponè bancam transeant, si necesse sit, ad capiendum locum.*

20. *Finito tractu, choristæ stantes ad bancam de more audiunt evangelium; canonici verò hinc & inde secedunt ad scamnum puerorum, ab utraque parte chori, ubi digniores inter gradus, qui sunt è regione aquilæ, & quartam sedem puerorum, juniores verò inter secundam & tertiam sedem puerorum respectivè stant in plano, conversi ad diaconum, ritu qui dictus est suprà dominicâ primâ quadragesimæ, pag. 14.*

21. *Post lectum evangelium, canonici deponunt cappas, juvantibus macicotis, qui illas ab utraque parte chori reddunt duobus pueris, moxque iidem pueri illas super brachia sustinentes referunt in vestiarium. Cætera fiunt more consueto in festis cantoralibus.*

MARTIUS.

1. Die vigesimâ secundâ horis matutinis, ecclesiæ urbis, & suburbiorum processionaliter vadunt ad ecclesiam metropolitanam, & inde ad ecclesiam eremitarum S. Augustini ad Pontem-novum, ob reversam urbem in obsequium Henrici quarti quondam Francorum regis, anno Domini 1594.

2. Dum proceditur ad ecclesiam metropolitanam, cantantur responsoria, ut in processionali. In navi cantatur antiphona *Ave regina cœlorum*, cum versiculo, & oratione, ut in processionali; deinde proceditur cum silentio per circuitum chori, à parte septentrionali ad meridionalem. Quando processio fit post Pascha, in navi ecclesiæ metropolitanæ cantatur antiphona *Regina cœli.*

3. Eundo ad ecclesiam eremitarum S. Augustini, cantatur responsorium de patrono ecclesiæ procedentis; deinde si deferantur reliquiæ sanctorum, cantatur responsorium de iisdem sanctis. Prope ecclesiam eremitarum S. Augustini cantatur responsorium *In medio*, quodabsolvitur in navi; deinde in choro cantatur ad aquilam antiphona *O doctor*, cum versu, & orationibus ut in processionali.

4. Redeundo cantantur litaniæ sanctorum, & postquam pro-

Digitized by Google

teſſio redierit in propriam eccleſiam, cantatur ad aquilam antiphona de patrono ejuſdem eccleſiæ, cum verſiculo, & oratione.

5. *Eccleſia Metropolitana cum quatuor eccleſiis ipſi ſubjectis recta procedit ad eccleſiam eremitarum S. Auguſtini cantando reſponſoria ut in proceſſionali ejuſdem eccleſiæ, ſequentibus eundo & redeundo præfecto, & ædilibus urbis. Duo presbyteri induti cappas albi coloris, à parte dextra imaginem argenteam B. Mariæ Virginis; duo item alii presbyteri, induti cappas rubei coloris à parte ſiniſtrà ſuis humeris portant tabellam ſancti Sebaſtiani. Eas quatuor è ſtipatoribus urbanis comitantur, cum facibus ſeu intorſitiis accenſis.*

6. *In choro eccleſiæ ſancti Auguſtini, imago beatæ Mariæ & tabella ſancti Sebaſtiani deponuntur ſuper menſam ad id præparatam.*

7. *Ad miſſam, quæ cantatur de B. Maria, conveniunt curia parlamenti, camera computorum, & curia ſubſidiorum.*

8. *Miſſâ finitâ, proceſſio revertitur in eccleſiam metropolitanam, cantando litanias ſanctorum.*

9. *Proceſſione chorum ingreſſa, cantatur antiphona, cum verſiculo, & oratione de B. Maria, iiſque finitis, diſcedunt omnes.*

10. Si propter pluviam, aut aliud impedimentum proceſſio foras egredi non poſſit, proceſſio fit intrà eccleſiam, eam ſemel, & iterum circumeundo, cantando litanias ſanctorum, deinde antiphona, cum verſiculo de patrono, & orationibus ut in proceſſionali.

11. Si dies vigeſima ſecunda incidat in Dominicam palmarum; proceſſio fit feriâ ſecundâ ſequenti.

Die vigeſima quartâ.

Pridie Annuntiationis Dominicæ, in eccleſia metropolitana, horis ſerotinis fit ſalus, hoc ordine. Primò quatuor pueri genibus flexis ad roſtrum aquilæ, & converſi ad altare cantant antiphonam Ave Maria : 2. *chorus* Ecce ancilla Domini : 3. *pueri* Et verbum &c. 4. *chorus converſus ad altare repetit* Et verbum : 5. *pueri imponunt reſponſorium* Chriſtus ingrediens, *proſequente choro, deinde concinunt verſum* In capite libri, & Gloria : 6. *cantatur proſa* Humani generis *ab organo, & choro* : 7. *celebrans cantat* Dominus vobiſcum, & *orationes* Gratiam, & Deus qui inter apoſtolicos ſacerdotes ; *denique pueri cantant* Requieſcant in pace.

Digitized by Google

Die vigesima quintâ.

Quando festum Annuntiationis Dominicæ, celebratur in quadragesimâ, tum in ecclesia metropolitana ad missam tractum cantant choristæ cum quatuor canonicis, ut suprà in festo Purificationis B. Mariæ num. 18. & sequentibus, pag. 232.

APRILIS.

Die vigesimâ quartâ in festo S. Marci fit processio majorum litaniarum, ordine qui descriptus est suprà part. 4. cap. 17. p. 206. de litaniis majoribus. Si festum S. Marci occurrat infra hebdomadam paschæ, processio majorum litaniarum cum abstinentia à carnibus transfertur in feriam secundam post Dominicam in albis; si verò incidat in aliam dominicam, processio cum abstinentia transfertur in feriam secundam sequentem.

MAIUS.

1. *Die primâ in festo SS. apostolorum Philippi & Jacobi, in ecclesia metropolitana ante primam, sacrum sancti Philippi caput super mensam, inter aquilam & altare, præparatam, albâque mappâ coopertam collocatur.*

2. *Post officium capituli, fit processio in cappis, quæ, statim finitâ statione, dimittuntur.*

3. *Sex presbyteri cappas rubei coloris induti sacrum sancti Philippi caput, argenteâ thecâ reconditum, suis humeris portant: & duo è pueris chori, cum facibus accensis hinc & inde comitantur.*

4. *Processio è choro discedens, per portam meridionalem egreditur, & integrum atrii emensa circuitum, majorem ecclesiam ingreditur per portam septentrionalem: tum à parte evangelii iter prosequitur per chori circuitum, deinde sacellum sanctæ Annæ prætergressâ, consistit in medio navis.*

5. *Interim cantantur responsoria, ut in processionali, & in fine, versiculus, & oratio, ut in collectario.*

6. *Posteà cantatur antiphona* Regina cæli, *pro solitâ statione, eâque finitâ processio redit in chorum, ubi sacrum sancti Philippi caput super mensam ad hoc præparatam deponitur, facie ad chorum obversâ, & dimittuntur cappa.*

JUNIUS.

1. *IN festo SS. Gervasii & Protasii, post sextam in ecclesia metropolitana fit processio ad ecclesiam SS. Gervasii & Protasii cantantur responsoria ut in processionali.*

Digitized by Google

2. *Processione chorum ingressâ, cantatur tertia.*

3. *Unus ex canonicis vel beneficiatis sacerdotibus ecclesia metropolitana cantat missam; duo beneficiati ejusdem ecclesia respective cantant evangelium, & epistolam; chorum tenent duo macicoti, Alleluia cantant alii duo macicoti.*

4. *Post missam cantatur sexta, eaque finitâ processio redit in ecclesiam metropolitanam, & cantantur litaniæ sanctorum, quibus finitis in choro cantatur antiphona de B. Maria cum versiculo & oratione.*

Die vigesimâ quartâ.

1. *In festo nativitatis B. Joannis-Baptistæ, in ecclesia metropolitana, post primas vesperas, fit processio ad ecclesiam S. Joannis-Rotundi in qua cantatur responsorium de S. Joanne; eoque finito, primus choristæ imponit canticum* Magnificat, *prosequente choro.*

2. *Processione ecclesiam S. Joannis ingressâ, & finito cantico, chorus cantat versum responsorii cum reclamatione, deinde dicitur oratio.*

3. *Finitâ oratione, processio redit in majorem ecclesiam per majorem portam, cantatur antiphona de B. Maria* Anima mea, *& in fine versiculus* Ora pro nobis, *cum oratione, ut in collectario.*

4. *Post laudes, eodem ritu fit processio ad eandem ecclesiam, & cantatur responsorium de S. Joanne, quo finito primus choristæ imponit canticum* Benedictus. *Processione chorum ingressu, & absoluto cantico, cantatur versus responsorii cum reclamatione, deinde dicitur oratio ut in collectario. Finitâ oratione processio redit in majorem ecclesiam, cantatur antiphona* Tota pulchra es, *& post illam pueri ante majus altare concinunt versiculum* Ora pro nobis, *deinde oratio dicitur ab hebdomadario.*

Die vigesimâ nonâ Junii.

1. *In festo SS. apostolorum Petri & Pauli, in ecclesia metropolitana, post officium capituli, fit processio ad ecclesiam S. Petri-ad-Boves. Eundo cantantur responsoria in processionali notata. Processione ecclesiam ingressâ, cantatur antiphona de SS. apostolis, cum versiculo, & oratione, ut in magno processionali. Posteà processio ad majorem ecclesiam revertitur, per vicum Nebulariorum vulgò (des Marmouzets,) & portam, quâ patet in claustrum ingressus, cantando responsoria de S. Petro. Processione majorem ecclesiam ingressâ per portam septentrionalem, cantatur antiphona* Ave regina cœlorum, *& fit statio in navi, more solito.*

Die trigesimâ Junii.

In ecclesia metropolitana, post sextam fit processio ad ecclesiam

Digitized by Google

S. Pauli, ubi tertia, missa, & sexta cantantur eodem ritu quo fiu prà in ecclesia SS. Gervasii & Protasii.

JULIUS.

Die secundâ.

1. IN festo Visitationis B. Mariæ, in ecclesia metropolitana, post primas vesperas, finitâ ultimâ oratione, quæ dicitur cum minori conclusione, fit processio ad ecclesiam S. Joannis Rotundi, cantando responsorium Exurgens Maria.

2. Processione ecclesiam ingressâ, fit statio; choristæ cantant versum ejusdem responsorii, eoque finito, pueri bini & bini stantes ante aquilam, facie ad majorem portam versa, concinunt antiphonam Et unde hoc mihi.

3. Dum cantatur antiphona, præcentor sine cappa ambulans à parte evangelii chorum moderatur, stantibus ad aquilam choristis, & accedens ad cancellarium annuntiat illi antiphonam Et ait, eâque à cancellario impositâ, præcentor imponit canticum Magnificat.

4. Absente cancellario, præcentor eandem antiphonam annuntiat digniori post cancellarium, & qua in parte illam annuntiat, deambulans chorum moderatur. Interim pulsatur campana, cui nomen Maria.

5. Inchoato cantico processio eâdem viâ redit in majorem ecclesiam, ibique de more fit statio in navi ante altare B. Mariæ virginis, & finito cantico cantatur prosa Inviolata cum versiculo & tione, ut in collectario.

Die quartâ Julii.

1. In festo translationis sancti Martini, clericus fabricæ ecclesiæ metropolitanæ curat, ut ad monasterium S. Martini-à-campis deferantur cappæ sericæ, quæ ad stationem, ac missam solemnem accipiendæ sunt.

2. Post sextam, fit processio ad S. Martinum, cantando responsoria, ut in processionali notata. Processio per majorem portam monasterii ingressâ, rectà pergit in capitulum, ubi cantatur tertia, eâque finitâ, clericus præcentoris singulis per ordinem cappas distribuit.

3. Post assumptas cappas, beneficiatus choristæ ecclesiæ metropolitanæ imponit antiphonam de beato Martino. Processio ad ecclesiam progreditur, in navi habetur statio, & finitâ antiphonâ, pueri cantant versiculum, deinde hebdomadarius dicit orationem de eodem sancto.

4. Completâ oratione, processio chorum ingreditur, clerus ecclesiæ metropolitanæ locum accipit à parte epistolæ, & monachi S.

Digitized by Google

Martini in albis & cappis, atque in eorum medio vicarius perpetuus S. Martini in ecclesia metropolitana in cappa, locum accipiunt à parte evangelii.

5. *Ad missam, quam cantat prior S. Martini ministrantibus monachis, beneficiatus ecclesiæ metropolitanæ à parte epistolæ, & monachus S. Martini à parte evangelii chorum moderantur, graduale cantant inter altare & aquilam tres Beneficiati ecclesiæ metropolitanæ in cappis, deinde* Alleluia *& versum cantant ante altare sex monachi S. Martini in cappis. In reliquis iidem ritus servantur, qui suprà in ecclesia sanctæ Genovefæ die tertiâ Januarii.*

6. *Post missam, processio redit in claustrum, ubi dimissis cappis, sexta cantatur in capitulo.*

7. *Finitâ sextâ, cancellarius nomine ecclesiæ Parisiensis alloquitur priorem & conventum S. Martini, & rogat ut, si qui è monachis suis detineantur in custodia regulari, eis velint in gratiam tantæ solemnitatis, & ad preces ecclesiæ metropolitanæ injunctas pœnitentias relaxare; cui respondens prior, benignè postulatis annuit, & monachos pœnitentes, totumque conventum B. Martini ac seipsum commendat precibus ecclesiæ metropolitanæ.*

8. *His peractis, processio redit in chorum, ubi inchoantur litaniæ sanctorum, & posteà revertitur in ecclesiam metropolitanam, more solito.*

Die undecimâ Julii.

1. *In festo translationis S. Benedicti, in ecclesia metropolitana post sextam, fit processio ad ecclesiam S. Benedicti, ubi cantatur tertia in choro, eâque finitâ, fit processio extra ecclesiam per circuitum, & cantatur responsorium* Sint lumbi.

2. *Processione regressâ in ecclesiam, fit statio in navi, & duo beneficiati ecclesiæ metropolitanæ à parte epistolæ, & duo canonici S. Benedicti à parte evangelii, cantant versum* Vigilate, *eoque finito, processio redit in chorum, ubi cantatur missa, eodem ritu quo suprà in ecclesia Dominici Sepulcri pag. 227.*

Die vigesimâ primâ Julii.

1. *In festo S. Victoris martyris, clericus fabricæ ecclesiæ metropolitanæ curat, ut quatuor cappæ è thesauro ejusdem ecclesiæ transferantur ad monasterium S. Victoris, una rubei coloris auro intexta, pro beneficiato choristæ, & tres aliæ minùs pretiosæ, pro tribus beneficiatis qui cantaturi sunt graduale.*

Digitized by Google

2. *Post sextam, fit processio ad S. Victorem, in qua cantantur responsoria, ut in processionali.*

3. *Perveniens processio ad monasterium, ingreditur per portam domûs abbatialis, & rectà pergit in capitulum, ubi cantatur tertia.*

4. *Finitâ tertiâ, clericus precentoris imponit responsorium* Ne recorderis, *prosequente choro, moxque processio procedit ad sepulcrum Guillelmi de Chanaco quondam episcopi Parisiensis & patriarchæ Alexandrini, situm in capella infirmariæ ejusdem monasterii. Finito responsorio dicitur psalmus* De profundis, *cum versiculis & oratione ab hebdomadario, ut in magno processionum libro.*

5. *Post orationes finitas, clericus precentoris imponit responsorium* Libera me Domine, *& processio progreditur ad sacellum subterreneum B. Mariæ; ubi finito responsorio, cantatur psalmus* De profundis, *cum versiculo & oratione pro Emerico Dreux de Varrenne, quondam canonico Parisiensi diacono; deinde processio ascendit in navim, & chorum intrat per majorem portam.*

6. *Processione chorum ingressâ, clerus ecclesiæ metropolitanæ à parte epistolæ consistit, ac sedes ejus omnes occupat, canonici verò regulares S. Victoris, atque in eorum medio Vicarius perpetuus sancti Victoris in ecclesia Parisiensi, à latere evangelii locum accipiunt. Deinde cantatur missa, in qua tenent chorum unus è beneficiatis ecclesiæ metropolitanæ à parte epistolæ, & unus è canonicis regularibus S. Victoris à parte evangelii; & iidem ritus observantur qui in ecclesia S. Genovefæ, exceptis quæ sequuntur.*

7. *Post lectionem epistolæ, tres beneficiati ecclesiæ metropolitanæ, induti cappas rubei coloris cantant graduale inter altare & aquilam; deinde quatuor canonici regulares S. Victoris cantant* Alleluia *ante aquilam.*

8. *Dum cantatur offertorium, pueri ecclesiæ metropolitanæ accedunt ad sepulcrum Petri Lizet ejusdem monasterii S. Victoris quondam primi abbatis commendatarii, quod est ponè bancam, ibique mediocri voce recitant psalmum* De profundis *cum oratione* Inclina, *quam dicit antiquior puerorum, deinde ad loca sua redeunt.*

9. *Post missam, processio redit in capitulum, ubi cantatur sexta, deinde revertitur in chorum ubi litania sanctorum ante aquilam inchoantur; tumque processio discedens redit in ecclesiam metropolitanam more solito.*

Digitized by Google

Dominicâ primâ poſt feſtum S. Mariæ Magdalenæ.

1. *In eccleſia metropolitana, poſt aſperſionem aquæ, fit proceſſio ad eccleſiam S. Maria Magdalena in civitate, ubi fit ſtatio in choro, & cantatur reſponſorium de S. Magdalena, cujus verſus, &* Gloria Patri *cantantur à choriſtis, deinde verſiculus puerorum, cum oratione, qua dicitur ab hebdomadario.*

2. *Oratione finitâ, choriſta imponunt pſalmum* De profundis, *in cujus fine dicuntur preces & oratio ab hebdomadario. Poſteà proceſſio diſcedit, cantando reſponſorium ut in proceſſionali, & per vicum nebulariorum vulgo (* des Marmouzets *) progreditur ad eccleſiam S. Dyoniſii de paſſu. Cætera fiunt ut in dominicis.*

Die vigeſimâ quintâ Julii.

1. *In feſto S. Jacobi apoſtoli, in eccleſia metropolitana, dum cantatur ſecundus pſalmus primarum veſperarum, ſuccentor, & ſelecti è macicotis, & clericis matutinarum, è choro proficiſcuntur ad eccleſiam S. Chriſtophori, ibique cantant primas veſperas de S. Chriſtophoro.*

2. *Poſt primas veſperas S. Jacobi, fit proceſſio ad eccleſiam S. Chriſtophori, cantatur reſponſorium de eodem ſancto, eoque cantato, primus choriſta incheat canticum* Magnificat.

3. *Proceſſione chorum ingreſſâ, verſus ejuſdem reſponſorii cantatur à choro, deinde oratio ab hebdomadario.*

4. *Poſt orationem, proceſſio revertitur in eccleſiam metropolitanam, cantans antiphonam de B. Maria, in cujus fine, pueri cantant in choro verſiculum* Ora pro nobis, *& hebdomadarius orationem, cum majori concluſione, deinde dicitur* Benedicamus.

5. *Interim ſelecti è macicotis & clericis matutinarum cantant completorium in eccleſia S. Chriſtophori.*

6. *Poſt completorium in eccleſia metropolitana decantatum, ſuccentor, macicoti, clerici matutinarum, & pueri redeunt in eccleſiam S. Chriſtophori, ubi officium nocturnum, cum laudibus cantant de S. Chriſtophoro, & poſtridie poſt ſextam in eccleſia metropolitana decantatam, iidem cantant in eccleſia S. Chriſtophori miſſam ſolemnem de eodem ſancto.*

Digitized by Google

AUGUSTUS.

Dominicâ post festum S. Petri ad vincula.

1. *POst aspersionem aquæ benedictæ, in ecclesia metropolitanâ, fit processio intrà septa ecclesiæ. Duo presbyteri beneficiati casulas rubei coloris induti, sanctam crucem humeris suis portant sub baldachino, cujus hastas deferunt capellani in albis & tunicis rubei coloris, & duo ex pueris chori illum hinc & inde comitantur cum facibus accensis.*

2. *Si festum Transfigurationis Domini occurrat in dominica, festum Susceptionis sanctæ Crucis transfertur in dominicam secundam augusti.*

Die tertiâ.

In festo Inventionis S. Stephani, in ecclesia metropolitana, post sextam fit processio ad ecclesiam S. Stephani de Gressibus, eodem ritu quo suprà ad ecclesiam S. Benedicti pag. 237.

Die decimâ.

In festo S. Laurentii martyris, quando ecclesia Metropolitana procedit ad ecclesiam S. Laurentii, processione in ecclesiam ingressâ, non dicitur tertia, neque sexta, sed statim cantatur missa. Eam prior S. Martini à campis celebrat, cui duo macicoti ecclesiæ Metropolitanæ ministrant ad evangelium & epistolam, & chorum tenent duo macicoti. Quando verò non procedit ad S. Laurentium, clericus præcentoris ducit ad S. Laurentium quinque macicotos. Prior S. Martini cantat missam, duobus macicotis ministrantibus ad evangelium & epistolam. Chorum tenent duo macicoti, juvantibus clerico præcentoris & alio macicoto.

Die decimâ quintâ Augusti.

1. In festo Assumptionis B. Mariæ Virginis in fine processionis ante missam, cantatur in choro ad aquilam antiphona *Sub tuum &c.* ut in processionali. Post vesperas autem fit processio extra ecclesiam, in qua cantantur responsorium *Felix es*, & litaniæ B. Mariæ virginis. In ea defertur Imago B. Mariæ virginis. In ingressu ecclesiæ cantatur ter *Agnus Dei*, & finis imponitur litaniæ; fit statio ante altare, aut imaginem B. Mariæ, vel in navi ante crucem. Postea finitis litaniis, cantatur antiphona *Sub tuum præsidium*, cum versiculo, & oratione, deinde psalmus *Exaudiat & cætera* ut in processionali.

IN

Digitized by Google

IN ECCLESIA METROPOLITANA;

2. *Post tertiam, fit processio in cappis, & in fine processionis (eâque in chorum reversâ) cantatur ad aquilam antiphona* Sub tuum præsidium, *cum versiculo* Deus judicium tuum regi da, *& oratione* Deus regum & regnorum rex.

3. *Post completorium, in eandem ecclesiam conveniunt curia Parlamenti, camera Computorum, curia Subsidiorum, & Prapositus, ac Ædiles urbis.*

4. *Paratis omnibus, fit processio generalis sine cappis per circuitum civitatis, ex voto Ludovici decimi tertii quondam Francorum Regis anno* 1638. *& cantatur responsorium de Beata, deinde litanie B. Maria virginis.*

5. *In illa, duo presbyteri induti cappas albi coloris humeris gestant capsam B. Maria virginis à parte dextra: duo alii presbyteri eodem modo induti à parte sinistra, humeris portant imaginem argenteam ejusdem B. Maria virginis; illas quatuor pueri è domo puerorum rubeorum, cum facibus, seu interstitiis ardentibus, hinc & inde comitantur.*

6. *Huic processioni intersunt canonici S. Opportuna, S. Honorati, S. Germani, & S. Marcelli sicut & canonici ecclesiarum subjectarum capitulo B. Marie, eodem ordine quo suprà in processione Ascensionis Domini.*

7. *Processione in ecclesiam reversâ, fit statio in navi ante altare B. Marie virginis, in qua cantatur antiphona* Sub tuum præsidium, *cum versiculo* Deus judicium &c. *& oratione*, Deus regum &c. *quam celebrans cantat intrà cancellos altaris ejusdem beata Maria virginis.*

Die vigesimâ quartâ.

In festo S. Bartholomai apostoli, in ecclesia metropolitana, post sextam fit processio ad ecclesiam S. Bartholomai, ubi cantantur tertia, missa, & sexta eodem ritu, quo suprà in ecclesia SS. Gervasii & Protasii.

Die vigesimâ nonâ.

In festo Decollationis S. Joannis Baptista, in ecclesia metropolitana, post sextam, fit processio ad ecclesiam S. Mederici, ubi cantatur tertia de sancto Mederico in choro, deinde fit processio extrà ecclesiam per circuitum, & cantantur missa & sexta de eo-

Digitized by Google

dem sancto Mederico eodem ritu, quo suprà in ecclesia Dominicæ Sepulchri.

SEPTEMBER.

Die vigesimâ septimâ.

1. *In festo SS. Cosmæ & Damiani, in ecclesia metropolitana, ante primas vesperas, capsæ eorumdem sanctorum exponuntur super mensam præparatam in sanctuario.*

2. *Post primas vesperas, fit statio in circuitu altaris cantando responsorium* Concede, *in cujus fine primus choristæ imponit* Magnificat, *prosequente choro, eoque finito, chorus cantat versum* Adjuvent nos, *deinde celebrans cantat orationem, ut in collectario, posteà cantatur prosa* Inviolata.

3. *Post officium capituli, fit processio extra ecclesiam, per vicum novum B. Mariæ, vicos macelli paludis, judæorum & nebulariorum, ac claustrum B. Mariæ. Quatuor sacerdotes cappas rubeas induti capsas reliquiarum SS. Cosmæ & Damiani suis humeris portant, comitantibus hinc & inde duobus pueris chori, qui faces accensas gestant.*

4. *In processione, cantantur responsoria, cum versiculis, & orationibus, ut in processionali ejusdem ecclesiæ.*

Die vigesimâ nonâ.

1. In festo S. Michaelis, & omnium Angelorum, ad missam, offertorium *Stetit angelus* cantatur mensurâ graviori, ut detur spatium celebranti panem & vinum offerendi, ac thurificandi hoc ordine. Dum cantatur offertorium, celebrans panem, & vinum offert more solito: duo sacerdotes cappis coloris albi induti, accedunt ad altare, præcedentibus tribus thuriferariis. Dictâ oratione *Veni sanctificator*, celebrans descendit in planum, deinde idem celebrans, & duo sacerdotes genua flectunt in ora infimi gradûs. Ad dextram cujuslibet tres thuriferarii respectivè genua flectunt in infimo gradu, unà cum ministris sacris. Celebrans & sacerdotes thus more solito benedicunt; deinde acceptis thuribulis SS. Sacramentum alternatim cum thuriferariis incensant usque ad finem offertorii, eoque cantato, celebrans ascendit ad altare missam perfecturus, & sacerdotes redeunt in vestiarium.

2. *In ecclesia metropolitana duo beneficiati sacerdotes cum celebrante thurificant eodem ritu, quo suprà num.* 1.

Digitized by Google

OCTOBER.

Die nonâ.

1. *IN festo SS. Dionysii & sociorum, in ecclesia metropolitana, post primas vesperas, fit processio ad ecclesiam S. Dionysii de Passu, cantando responsorium* O constantia, *quo finito, præcentor inchoat canticum* Magnificat, *prosequente choro.*

2. *Processione ecclesiam S. Dionysii ingressâ, celebrans accedit ad altare, genibus flexis SS. Sacramentum incensat, osculatur altare, per latus epistolæ pergit in sacrarium, ubi clibanum S. Dionysii, cui superpositum est altare, stans trino ductu incensat, per latus evangelii redit ad locum suum, & completo versu responsorii cum reclamatione, dicit orationem ut in collectario.*

3. *Redeundo in ecclesiam metropolitanam, cantatur responsorium de B. Maria, in cujus fine cantatur prosa* Inviolata &c. *ante altare B. Mariæ virginis.*

4. *Post laudes, eodem ritu fit processio ad eandem ecclesiam S. Dionysii, cantando responsorium de eodem sancto, in cujus fine primus choristæ imponit canticum* Benedictus, *eoque finito in choro ejusdem ecclesiæ, chorus cantat versum responsorii, deinde celebrans dicit orationem, ut in collectario.*

5. *Redeundo in ecclesiam metropolitanam, cantatur antiphona* Tota pulchra es &c. *in cujus fine pueri cantant ante majus altare versiculum* Ora pro nobis, *& celebrans orationem ut in collectario.*

Die trigesimâ.

In festo S. Lucani, in ecclesia metropolitana, ante primas vesperas capsa S. Lucani exponitur super mensam in sanctuario præparatam. Post officium capituli fit processio intrà septa ecclesiæ; in illa, capsa S. Lucani defertur eodem ritu quo tabella S. Sebastiani, suprà die 20. Januarii.

NOVEMBER.

Die primâ.

1. IN festo omnium Sanctorum, post secundas vesperas fit processio ad altaria ecclesiæ, vel præcipua, secundùm consuetudinem locorum. Ante quodlibet altare cantatur antiphona cum versiculo & oratione de sancto titulari altaris, vel capellaniæ in eo fundatæ. Dum cantatur antiphona, celebrans trino ductu stans thurificat altare, & illud osculatur. Post antiphonam pueri

Digitized by Google

versiculum canunt, deinde sacerdos dicit orationem, in qua nomen *Natalitii*, vel *Solemnitatis* sive *Festivitatis*, mutatur in nomen *Memoriæ*, aut *Commemorationis*. Oratio autem finitur brevi conclusione; sed in fine ultimæ orationis fit major conclusio, deinde dicitur *Dominus vobiscum*, & cantatur *Benedicamus*.

2. Processione in chorum reversâ, cantantur vesperæ defunctorum ritu solemni.

3. Quando festum omnium Sanctorum occurrit sabbato, Dominicâ sequenti fit festum S. Marcelli; & commemoratio defunctorum transfertur in feriam secundam sequentem, tumque post vesperas S. Marcelli cantantur vesperæ defunctorum.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

4. *Post tertiam fit processio in cappis sericis intrà septa ecclesiæ per circuitum, & deferuntur reliquiæ sanctorum eodem ritu quo suprà die 20. Januarii. In illa cantatur responsorium* Concede, *cum versu, & oratione; deinde pro statione cantatur* Ave regina cælorum &c. *more solito, & post stationem, fit alia processio per circuitum chori, cantando* Alma, *ut in die natalis Domini. Finitâ processione dimittuntur cappa sericæ.*

5. *In missa, fit communio cleri, & ministrant sex induti.*

6. *Post vesperas, fit processio ad ecclesiam S. Christophori, cantando responsorium de eodem sancto, eoque finito, præcentor imponit canticum* Magnificat. *Processione ecclesiam S. Christophori ingressâ, celebrans genibus flexis, SS. Sacramentum trino ductu incensat. Interim cantatur versus responsorii* Cum reclamatione, *deinde versiculum puerorum & oratio ut in collectario.*

7. *Oratione finitâ processio progreditur ad ecclesiam S. Joannis Rotundi, cantando responsorium de S. Joanne Baptista, eoque finito, præcentor inchoat canticum* Magnificat. *Processione ecclesiam S. Joannis ingressâ, celebrans genibus flexis SS. Sacramentum trino ductu incensat. Interim cantatur versus ejusdem responsorii, deinde versiculus, & oratio de eodem sancto. Tum successivè cantantur tres antiphonæ, cum totidem versiculis, & orationibus, prima de S. Joanne Evangelista, secunda de S. Martino & tertia de S. Genovefa.*

8. *Posteà processio progreditur ad ecclesiam S. Dionysii-de-passu cantando responsorium de eodem sancto. Finito responsorio, præcentor inchoat canticum* Magnificat, *prosequente choro. Processione ecclesiam S. Dionysii ingressâ, cantatur versus responsorii, cum versiculo, & oratione de S. Dionysio. Altare & clibanus incen-*

Digitized by Google

fantur, ut suprà in festo S. Dionysii, & finitâ oratione, processio redit in ecclesiam metropolitanam per portam meridionalem, cantando antiphonam Tota pulchra es, *quæ finitur in choro, cum versiculo, & oratione cum majori conclusione,* Dominus vobiscum, *& majori* Benedicamus, *demum cantantur vespera defunctorum.*

9. *Si processio ex majori ecclesiâ non discedat, progreditur primò ad altare S. Martini in transversâ navi, cantando responsorium de S. Christophoro, ut suprà : ante altare S. Martini fit statio, & cantantur duæ antiphonæ, cum totidem versiculis, & orationibus, prima de S. Joanne Baptista, secunda de S. Martino ; deinde processio pergit per circuitum chori ad altare Assumptionis cantando responsorium de S. Dionysio &c. ut suprà. Ante idem altare cantantur duæ antiphonæ, cum totidem versiculis, & orationibus, prima de S. Marcello, secunda de S. Genovefâ ut in collectario. Tum processio redit in chorum, cantando antiphonam* Tota pulchra es &c. *ut suprà.*

10. *Quandò festum omnium Sanctorum occurrit in sabbato, processio fit intrà septa ecclesiæ, & ante altare Assumptionis omittitur antiphona de S. Marcello.*

Die secundâ.

In commemoratione omnium fidelium defunctorum, ad officium nocturnum, omnia cantantur & fiunt ritu duplici majori.

2. Ante missam fit processio per cœmeterium, & circuitum ecclesiæ. Per viam celebrans hinc inde aspergit tumulos defunctorum. In processione cantatur responsorium *Libera me Domine* cum versibus universis, Processione in chorum reversâ, cantatur psalmus *De profundis*, cum precibus, & oratione, ut in processionali, deinde recitantur commendationes defunctorum, secundùm consuetudinem ecclesiarum ; posteà cantatur missa.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

Post tertiam fit processio extra ecclesiam per circuitum, cantando responsoria Qui Lazarum *&* Libera me Domine *cum universis versibus, Processione in chorum reversâ, cantatur psalmus* De profundis *cum precibus & oratione, ut in collectario, deinde dicuntur commendationes defunctorum ; posteà cantatur missa*

Digitized by Google

Die vigesimâ sextâ.

In festo sanctæ Genovefæ-de-miraculo-ardentium, in ecclesiâ metropolitanâ, post officium capituli fit processio ad ecclesiam S. Genovefæ-de-miraculo-ardentium in civitate, cantando responsorium de S. Genovefâ. Processione chorum ejusdem ecclesiæ ingressâ, cantatur antiphona cum versiculo & oratione de eâdem sanctâ. Redeundo in ecclesiam metropolitanam, cantatur antiphona de eâdem sanctâ, & in fine, antiphona Ave regina cælorum &c. *pro statione quotidianâ.*

De festo patroni primarii & titularis.

1. FEstum patroni primarii, & titularis celebratur ritu annuali, cum octavâ secundi ordinis, nisi occurrat in quadragesimâ, tunc enim non habet octavam.

2. Si occurat in adventu, servabuntur art. 9. & 13. sectionis 2. de octavis, partis primæ rubricarum generalium breviarii, & num. 2. & 20. §. 2. cap. 6. rubricarum generalium missalis.

3. In missa festi, & per octavam extrà adventum dicitur *Credo*. Dicitur etiam prosa, quando missa dicitur de octavâ, nisi occurrat à dominicâ septuagesimæ usque ad pascha, tunc enim non dicitur prosa.

4. Si capsa reliquiarum ejus exponatur in choro, illam celebrans & adjutor thurificabunt priusquam choristas incensent.

De festo patroni secundarii.

Festum patroni secundarii celebratur ritu solemni-minori.

De festo Dedicationis ecclesiæ.

1. Dies dedicationis ecclesiæ celebratur ritu annuali, cum apparatu quantum fieri potest maximo, & habet octavam secundi ordinis.

2. Anniversaria dies dedicationis celebratur ritu solemni-majori cum octavâ tertii ordinis.

3. Dum cantatur officium, ante duodecim cruces ab Episcopo inunctas ardent totidem cerei, & super quodlibet altare duo cerei.

CÆREMO-

Digitized by Google

CÆREMONIALIS PARISIENSIS

PARS SEXTA.

DE QUIBUSDAM CÆREMONIIS & officiis, quæ fiunt extra cursum canonicum.

CAPUT PRIMUM.

De expositione SS. Sacramenti.

1. EXtra octavam festi Corporis Christi, numquam exponatur SS. Sacramentum sine licentia D. Archiepiscopi.

2. Illâ obtentâ, altare majus adornetur palliis coloris officio convenientis, & pretiosis secundùm facultates cujusque ecclesiæ.

3. Extra majus altare numquam exponatur SS. Sacramentum.

4. Coram SS. Sacramento exposito, ardeant semper sex cerei in majoribus ecclesiis, & in minoribus duo saltem. Officium divinum decantetur mensurâ gravi, & nudo semper capite, etiam hyeme.

5. Quando habebitur concio, ostensorium velo cooperietur ita ut nullatenus appareat. Interim ardebunt duo saltem cerei. Finitâ concione accendentur cerei altaris, deinde velum ab ostensorio amovebitur. Si facienda sit processio, ea fiet ante expositionem SS. Sacramenti, vel ostensorium in conditorio aut tabernaculo recondetur, & post processionem exponetur. Observabuntur etiam quæ præscripta sunt sup. part. 4. cap. 21. art. 1. num. 6. & sequentibus.

Digitized by Google

Articulus I.

De oratione quadraginta horarum.

1. Oratio quadraginta horarum à felicis memoriæ Clemente Papa octavo instituta est anno 1592.

2. Hæc autem nunquam fieri debet, nisi pro re gravi & de mandato, vel licentia D. Archiepiscopi.

3. Antequam fiat, dominicâ, vel die festo præcedente, si fieri possit, debet à parocho in ecclesia indici, & commendari, ut ad illam populus frequens conveniat.

4. Per tres dies consequentes fit hæc oratio coram SS. Sacramento, in altari majori expositio; & observabuntur omnia quæ dicta sunt pag. præced.

Articulus II.

De modo exponendi SS. Sacramentum, pro oratione quadraginta horarum.

1. Initio hujus orationis, cantabitur missa votiva de SS. Sacramento, ritu solemni-minori, sine prosa, nisi fiat infra octavam corporis Christi.

2. In illa dicentur *Gloria in excelsis*, & *Credo* cum oratione indicta à D. Archiepiscopo sub unica conclusione, & præfatione de Nativitate.

3. Duæ hostiæ consecrabuntur, quarum una sumetur à celebrante, & post sumptionem pretiosi sanguinis, altera ponetur in ostensorio post communionem sacerdotis, ritu qui dictus est suprà, part. 4. cap. 21. art. 3. diaconus ostensorium collocabit in medio corporalis & teget parvo velo, moxque cum celebrante & subdiacono genuflectet. Posteà celebrans sumet purificationem & ablutionem, atque missam prosequetur more solito diligenter observans quæ, part. 3. c. 12. n. 4. 5. 6. 10. & 11. de missa coram SS. Sacramento, dicta sunt.

4. Post missam, fiet expositio SS. Sacramenti hoc ritu: diaconus ostensorium ponet in medio altaris super corporale, celebrans super infimum gradum genibus flexis, SS. Sacramentum trino ductu thurificabit. Deinde, dum celebrans cum ostensorio dabit benedictionem, ritu qui dictus est suprà part. 4. cap. 21. art. 3. num. 6. & 7. cantabitur *O salutaris Hostia*, & thuriferarii genibus flexis SS. Sacramentum sine intermissione incensabunt.

5. Datâ benedictione, pueri cantabunt ℣. *Panem de cœlo*, & celebrans dicet orationem *Deus qui nobis sub Sacramento*

Digitized by Google

cui junget orationes de patrono ecclesiæ, & alias indictas à D. Archiepiscopo, pro necessitate ingruente &c. & in fine addet majorem conclusionem *Per Dominum*, & statim subdet versum *Exaudiat nos omnipotens & misericors Deus*, cui chorus respondebit *Amen*. Deinde diaconus, vel sacrista ostensorium collocabit in loco præparato super majus altare.

6. Si officium fiat de festo duplici, ubi cantatur unica missa: ea celebrabitur de festo ritu solemni-minori, cum secunda oratione de SS. Sacramento, & tertia pro necessitate ingruente. Si officium fiat de dominica, ante missam fiet benedictio aquæ, & aspersio; deinde processio dominicalis, posteà missa cantabitur de dominica occurrente, cum secunda oratione de SS. Sacramento, ut suprà.

7. Ubi duæ missæ cantantur, prima missa cantabitur de SS. Sacramento post benedictionem & aspersionem aquæ, ac processionem dominicalem. In ea non fiet commemoratio dominicæ; & post tertiam cantabitur missa de dominica, & in utraque fient thurificationes ritu solemni-minori; eædem thurificationes, fient diebus sequentibus.

Articulus III.

De modo recondendi SS. Sacramentum.

1. QUalibet die circa solis occasum, post completorium cantabuntur preces à D. Archiepiscopo indictæ cum versiculis & collectis, quibus addentur collectæ de patrono ecclesiæ, *Pro rege* & *Pro pace*, deinde recondetur SS. Sacramentum ritu qui dictus est suprà part. 4. cap. 21, art. 6.

2. Si loco completorii cantetur salus, in illa observabuntur quæ dicta sunt suprà in prænotandis, cantabuntur preces à D. Archiepiscopo indictæ, & cætera fient ut suprà.

3. Ubi fit processio SS. Sacramenti in fine hujus orationis, post completorium, vel salutem fiet processio intrà septa ecclesiæ ut suprà part. 4. cap. 21. art. 8. num. 4. & in fine processionis, fient preces à D. Archipiscopo indictæ & cætera ut suprà n. 1.

Articulus IV.

De oratione quadraginta horarum, quæ fit in quibusdam ecclesiis, triduo ante feriam quartam cinerum.

1. DOminicâ quinquagesimæ, in ecclesiis urbis, & suburbiorum, ubi fit oratio quadraginta horarum, post reditum processionis, quæ fit ad ecclesiam metropolitanam, pro obtinenda indulgentia vescendi lacticiniis tempore quadragesimæ, post aspersionem

Digitized by Google

sionem aquæ & missam, exponetur SS. Sacramentum. In aliis ecclesiis, per diœcesim, ubi fit eadem oratio, post aspersionem aquæ, processionem dominicæ, & missam, fiet expositio ut suprà art. 2.

2. Si festum Purificationis occurrat dominicâ quinquagesimæ, expositio SS. Sacramenti fiet post benedictionem cereorum, & processionem; missa cantabitur de festo, cum commemoratione dominicæ, & SS. Sacramenti. Ubi verò cantantur duæ missæ, prima dicetur de dominica, sine commemoratione festi, secunda verò de festo, cum commemoratione SS. Sacramenti, sub una conclusione.

3. Horis serotinis post completorium recondetur SS. Sacramentum ritu, qui dictus est part. 4. cap. 21. art. 6. ubi cantatur salus, in ea observabuntur quæ dicta sunt suprà in prænotandis, & post illam recondetur SS. Sacramentum ut suprà.

4. Ubi feriâ tertiâ post completorium vel salutem fit processio, illa fiet intrà septa ecclesiæ, ritu qui dictus est suprà part. 4. cap. 21. art. 8. num. 3. Post processionem dicetur tractus *Domine non secundùm*. Posteà *Domine salvum fac regem &c.* ut suprà.

Articulus V.

De missa & salute SS. Sacramenti, quæ fit feriâ quintâ cujuslibet hebdomadæ. In ecclesiis, ubi qualibet feriâ quintâ per annum, cantantur missa, & salus de SS. Sacramento, hæc sunt observanda.

1. UBi cantatur unica missa, ea dicetur de SS. Sacramento, ritu duplici majori, cum thurificatione solemni, *Gloria in excelsis*, *Credo* & præfatione de Nativitate Domini sine prosa, ut notatur in fine missalis, exceptis diebus festivatis à populo & aliis infrà expressis, in quibus missa dicetur de festo, vel die occurenti hoc ordine, videlicet in vigilia natalis Domini missa dicetur ut in missali sine *Gloria in excelsis*, & sine *Credo* cum præfatione communi. In festo SS. Innocentium, non dicetur *Gloria in excelsis*. Quando feria quinta incidet in diem 29. aut 31. Decembris, dicetur tertia missa Nativitatis *Puer natus est nobis* cum evangelio *Pastores* ex secunda missa de Nativitate, & quando occurret die 30. dicetur missa *Dum medium* de dominica infra octavam natalis Domini. In vigilia epiphaniæ missa dicetur ut in missali sine *Credo*. In die octava Epiphaniæ, & Ascensionis Domini, in Cœna Domini, feriâ 5. infra octavas Paschæ & Pentecostes, missa dicetur ut in missali. In festis Inventionis & Exaltationis S. Crucis, Transfi-

Digitized by Google

gurationis & Coronæ Domini, ac etiam Visitationis B. Mariæ, missa dicetur de festo ut in missali cum secunda oratione de SS. Sacramento. In festis festivatis à populo, missa dicetur de festo ut in missali cum secunda oratione de SS. Sacramento & præfatione communi, nisi festum propriam habuerit, vel occurrat infra octavam festi, quod habeat præfationem propriam. Non dicetur etiam *Credo*, nisi notetur in missa de eodem festo. Nulla tamen fiet commemoratio SS. Sacramenti in annualibus, solemnibus-majoribus, feriâ 5. in Cœna Domini & feriâ 5. hebdomadæ paschæ.

2. Ubi cantantur duæ missæ, diebus festivatis à populo, feriâ quintâ infra hebdomadas paschæ & pentecostes, ac aliis diebus, suprà expressis num. 1. utraque dicetur de die, vel festo occurrente: aliis diebus prima dicetur de festo, vel feriâ occurrente, sine commemoratione SS. Sacramenti; secunda dicetur de SS. Sacramento sine commemoratione festi, vel feriæ.

3. Ubi primâ feriâ quintâ cujuslibet mensis fit processio SS. Sacramenti ante missam, ea fiet intrà septa ecclesiæ, & celebrans indutus ut in missa, SS. Sacramentum deferet.

4. Finitâ processione, cantabitur missa, in cujus fine dabitur benedictio cum SS. Sacramento & recondetur ostensorium ut sup. part. 4. art. 8. n. 4.

5. Si horis vespertinis cantetur salus de SS. Sacramento, in ea servabuntur quæ dicta sunt suprà in prænotandis, & post illam recondetur SS. Sacramentum ordine qui dictus est suprà part. 4. cap. 21. art. 6.

6. Ubi primâ feriâ quintâ, sive dominicâ primâ cujuslibet mensis, fit processio SS. Sacramenti post salutem vespertinam; ea fiet intrà septa ecclesiæ; tuncque celebrans, stolâ, & cappâ ornatus, deferet SS. Sacramentum, ritu, qui dictus est suprà part. 4. cap. 21. art. 8. num. 3. & 4. In fine processionis, (dicetur ter *Domine salvum fac regem* cum versiculo, & oratione pro Rege, deinde) dabitur benedictio, & recondetur SS. Sacramentum, ut suprà eodem art. 8.

CAPUT II.

De processionibus.

1. IN omnibus processionibus, illud præcipuum, & generale est, ut crux processionalis, cum hasta deferatur ab acolytho, facie Christi ad chorum versâ.

2. Choristæ hebdomadarius, vel choristæ, si sint parati, im-

Digitized by Google

ponunt responsoria & antiphonas, prosequente choro. Psalmos etiam imponunt, & hymnos.

3. Adversus *Gloria Patri*, & *Sicut erat*, cantica evangelica, *Te Deum*, & ad ultimam strophen hymnorum, omnes caput detegunt æstivo tempore.

4. Incipiente processione, omnes recedunt à stallis suis, ante altare profundè inclinant, deinde suo ordine procedunt.

5. Advertant omnes, ut summa cum modestia incedant, &, quantùm fieri poterit, hinc inde numero pari, situque & incessu æquali utrinque sibi respondeant; ac etiam ut inter præcedentes & subsequentes æqualis distantia semper intersit.

6. In processionibus, in quibus deferuntur cerei vel rami arborum, aut quid simile; qui sunt à dextris, dextrâ eos gestent, qui verò à sinistris, sinistrâ.

7. Quoties egrediendum, vel ingrediendum, sive per locum angustiorem transeundum erit, junior seniorem præcedet. Transeuntes ante ecclesias & cruces, caput nudabunt æstivo tempore; transeuntes ante altare principale loci, profundè inclinabunt. Neminem etiam per viam salutabunt.

8. Si transeundum sit ante altare, in quo elevatur, vel ministratur SS. Sacramentum, detecto capite, profundè inclinantes, cœptum iter continuant. Ideo sacrista curet, ut eo tempore, missa in hujusmodi altaribus non celebretur.

9. In processionibus, in quibus non defertur SS. Sacramentum, omnes caput detegunt intrà ecclesiam æstivo tempore; extra ecclesiam verò tegunt, exceptis acolythis, qui vas aquæ benedictæ, & crucem deferunt, ac ceroferariis.

10. Quando in fine processionis fit statio in navi ecclesiæ, ad illam omnes stant conversâ ad invicem facie, exceptis acolythis, qui vas aquæ benedictæ, & crucem deferunt, ac etiam ceroferariis, pueris, ministris, celebrante, & choristis paratis, qui stant facie ad altare conversâ, ut dicetur infrà.

11. Demum cum inchoatur antiphona pro ingressu chori, omnes convertunt se ad altare: ingressi chorum, ante altare profundè inclinant, & loca sua repetunt.

Articulus Primus.

Quando processio facienda sit.

1. Præter processiones, quæ fiunt dominicâ Palmarum, sabbatis Paschæ, & Pentecostes pro benedictione fontium; in die & per hebdomadam Paschæ post vesperas ad fontes, in ma-

Digitized by Google

joribus & minoribus litaniis, fit etiam processio in festis annualibus, & solemnibus-majoribus, ac singulis dominicis.

2. Diebus dominicis, in Ascensione Domini, & in festo ac die octava corporis Christi, processio fit ante Tertiam. In annualibus ac solemnibus-majoribus, (exceptis quæ suprâ) fit post Tertiam.

3. Præterea in ecclesia metropolitana, ac aliis ecclesiis, fiunt aliæ processiones statutis diebus, prout notatur in processionalibus earundem ecclesiarum.

Articulus II.

De ordine & apparatu Processionum.

§. primus.

De Processione quæ fit ante Missam, intrà vel prope Ecclesiam.

1. Ante omnes procedit 1. exorcista, sive puer chori, qui defert vas aquæ benedictæ cum aspergillo: 2. duo acolyti, sive pueri portantes candelabra cum cereis ardentibus: 3. clericus, sive puer librum collectarum deferens: 4. pueri chori bini & bini: 5. acolytus, sive puer in cappa serica, qui nudo capite crucem processionalem defert imagine crucifixi ad se versa: 6. subdiaconus cum alba, manipulo & tunicella: 7. diaconus, similiter cum alba & manipulo, stola transversa & dalmatica: 8. celebrans, pari modo in alba, cum manipulo, stola decussata, & cappa serica: 9. choristæ in cappis sericis: 10. omnes de clero bini & bini, videlicet clerici, deinde subdiaconi, tum diaconi: 11. sacerdotes: denique populus, primò viri, tum mulieres.

2. In annualibus omnes induunt cappas sericas, & pueri tunicellas. Subdiaconus codicem epistolarum ante pectus utraque manu gestat, & diaconus codicem evangeliorum.

3. Ubi cantores incedunt inter postremos ordines processionis, choristæ incedunt post seniores sacerdotes, deinde subdiaconus, tum diaconus ac demum celebrans.

4. In parochialibus ecclesiis, post crucem procedunt clerici, subdiaconi, diaconi & sacerdotes, deinde cantores, tum vicarii, hinc choristæ, posteà subdiaconus, diaconus & celebrans ut suprà, ac demum populus.

5. In solemnibus-majoribus, subdiaconus non defert codicem epistolarum, nec diaconus codicem evangeliorum. Cætera fiunt ut suprà.

6. In dominicis, clerus non induit cappas sericas, nec pueri tunicellas. Subdiaconus cum alba & manipulo codicem evangeliorum

Digitized by Google

defert. Diaconus cum alba, manipulo & stola transversa incedit, & Celebrans pari modo in alba cum manipulo & stola decussata, & choristæ in cappis. In his Processionibus cantantur Responsoria convenientia, ut in Processionali.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

7. *In Annualibus æstivo tempore occurrentibus, omnes exceptis Canonicis* in minoribus *induunt cappas, & pueri tunicellas; & post Missam illas exuunt.*

8. *Post Tertiam Præcentor è Vestiario procedit in Chorum sequentibus choristis, Cappam induit ut sup. p. 74. deinde cum Choristis imponit* Ps. *Festo conveniens, tuncque è Vestiario veniunt in Chorum: 1. liberi servientes, qui manu virgas tenentes populum submovent: 2. puer qui vas aquæ benedictæ defert: 3. Ceroferarii: 4. pueri bini & bini: 5. Canonicus* in minoribus *majorem crucem gestans in habitu chori ordinario & spex in cappa serica qui minorem crucem defert: 6. Indutus solus librum epistolarum pulvino superpositum utráque manu sustinens ante pectus: 7. Subdiaconus medius inter duos indutos: 8. Indutus codicem Evangeliorum pulvino superpositum utráque manu deferens ante pectus: 9. Diaconus medius inter duos indutos: 10. Celebrans.*

9. *Pervenientibus illis in Chorum, sine mora proceditur in Navim eodem ordine quo sup. n. 8. sed post pueros procedunt Canonici* in minoribus, *deinde Cruciferi. Post Celebrantem procedit Præcentor solus, deinde Choristæ, postea Succentor & reliqui de Clero eodem ordine quo suprà ad Stationem post Vesperas part. 2. cap. 1. num. 52.*

10. *Perveniens Celebrans ante altare beatæ Mariæ in Navi, gradum sistit, & accepto de manu pueri aspergillo, altare aspergit inclinans profundè ante & post, & locum suum petit.*

11. *In Navi inter utrumque chorum stant ante altare: primò puer de vase aquæ 2. ceroferarii: 3. pueri & canonici* in minoribus *bini & bini: 4. cruciferi: 5. indutus de libro epistolarum: 6. subdiaconus medius inter duos indutos: 7. indutus de codice evangelii: 8. diaconus medius inter duos indutos: 9. celebrans: 10. præcentor: 11. choristæ: 12. reliqui de clero ab utraque parte navis stant, facie ad se invicem versâ, eodem ordine quo suprà ad stationem vesperarum part. 2. cap. 1. num. 53.*

12. *Finito Responsorio, Versus ejusdem Responsorii organizatur, & reclamatio cantatur à choro.*

13. *Interim Præcentor Versiculum annuntiat Pueris, qui completo Responsorio, Versiculum ejusdem concinunt, tum Celebrans cantat Orationem ex libro quem sustinet ante illum puer de collectario.*

Digitized by Google

14. *Finitâ oratione, præcentor & choristæ imponunt antiphonam* Ave regina cœlorum, *vel* Regina cæli, *prosequente choro.*

15. *Dum cantatur antiphona, præcentor in navi deambulat à parte epistolæ, sequentibus choristis ab utrâque parte navis: versiculus & oratio cantantur ut suprà num* 13.

16. *Post orationem fit processio per circuitum chori, incipiendo à parte capellæ pœnitentiarii, choro interim unà cum organo prosequente inchoatam ab eodem organo antiphonam* Alma.

17. *Processione in chorum reversâ, ceroferarii candelabra deponunt in infimo gradu presbyterii, cruciferi cruces suas ad utrumque latus altaris collocant & uncis firmant, pueri & canonici in minoribus loca sua petunt, ministri altaris sistunt se inter gradus sanctuarii & aquilam, celebrans ad aquilam, & præcentor medius inter choristas ad bancam, reliqui omnes loca sua petunt.*

18. *Post finem antiphonæ, ceroferarii annuntiatum à præcentore versiculum concinunt, deinde celebrans collectam cantat, quâ finitâ præcedentibus ministris redit in vestiarium.*

19. *In aliis festis canteralibus, eodem ordine fit processio, nisi aliter notetur. Æstivo tempore omnes de choro induunt cappas & pueri tunicellas, sed illas exuunt post processionem. Post cruces incedit subdiaconus, tum diaconus, quilibet inter duos indutos, & non deficiuntur codices epistolarum & evangeliorum.*

20. *In solemnibus minoribus, ad stationem, crucem defert* spex *in cappâ sericâ: post celebrantem incedunt choristæ, deinde præcentor & succentor, posteà cæteri ut suprà. In navi, post crucem stat subdiaconus, deinde diaconus, quilibet inter duos indutos, tum celebrans, & post illum choristæ. Infra ambonem stant facie ad majorem portam ecclesiæ versâ præcentor à parte epistolæ, & succentor à parte evangelii, cæteri more solito. Versiculum ceroferariis annuntiat primus choristæ. Finitâ statione redeunt omnes in chorum, deinde celebrans, ministri & choristæ revertuntur in vestiarium; & cantatur tertia.*

Quando celebrat D. Archiepiscopus.

21. *E vestiario in chorum procedit crucifer archiepiscopalis solus post subdiaconum, tum indutus librum evangeliorum deferens, deinde diaconus medius inter duos indutos, idque in annualibus. At in aliis festis canteralibus, in quibus ministrant quatuor tantùm induti, post canonicum* in minoribus & spece*m, qui cruces deferunt, incedit subdiaconus medius inter duos indutos, & post cruciferum archiepiscopalem incedit diaconus medius inter duos indutos. In utroque casu diacono succedit pe-*

Digitized by Google

difer, deinde ceroferarii Pontificis, demum D. Archiepiscopus medius inter duos capellanos, sequentibus aliis capellanis suis binis & binis.

22. Dum proceditur è choro in navim, præcentor incedit post subdiaconum, tum choristæ & reliqui ut suprà. Post dignitates incedit crucifer archiepiscopalis, in annualibus succedit indutus de libro evangeliorum, deinde diaconus medius inter duos indutos. Quando ministrant quatuor tantùm induti, post cruciferum archiepiscopalem incedit diaconus ut suprà, & post illum in utroque casu pedifer solus, tum ceroferarii Pontificis, demum Pontifex ut suprà.

23. Cum pervenit Pontifex ante altare beatæ Mariæ, mitram deponit, altare aspergit ut suprà, deinde mitram assumit.

24. In statione stant omnes ut suprà, videlicet post subdiaconum præcentor, deinde choristæ, tum crucifer archiepiscopalis, diaconus cum suis indutis, pedifer, & ceroferarii, demum Pontifex ut suprà.

25. Orationem cantat Pontifex ex libro, quem sustinet ante illum puer de collectario, eáque finitâ solemnem dat benedictionem.

26. Processione in chorum reversâ, canonicus in minoribus & spes cruces suas ad utrumque latus altaris deferunt & uncis firmant, ceroferarii candelabra deponunt super credentiam, ministri altaris & Pontificis sistunt se inter gradus presbyterii & aquilam. Finitâ antiphonâ ceroferarii Pontificis annuntiatum à præcentore versiculum concinunt: Pontifex collectam cantat ex libro, quem sustinet ante illum puer de collectario, deinde præcedentibus ministris redit in vestiarium. Quando festum non est cantorale, post benedictionem pontificalem processio redit in chorum, deinde Pontifex & ministri in vestiarium revertuntur, & cantatur tertia. Cætera fiunt ut suprà.

27. In festis duplicibus & semiduplicibus idem ordo servatur qui suprà num 20. sed post crucem incedit subdiaconus solus, deinde diaconus solus. Quando deferuntur Sanctorum reliquiæ, qui gestant illas, incedunt post crucem.

28. In dominicis fit processio ad S. Joannem-Rotundum & S. Dionysium-de-passu, ordine qui descriptus est suprà capite prævio.

§. II.

De processionibus vespertinis, quæ fiunt intrà vel propè ecclesiam.

PRocedit 1. thuriferarius, thuribulum dextrâ manu deferens, & naviculam sinistrâ: 2. ceroferarii: 3. clericus sive puer colectarium deferens: 4. pueri, & clericuli: 5. acolythus

Digitized by Google

lythus crucem deferens, cappâ sericâ indutus : celebrans in cappa serica ; 7. duo choristæ in cappis sericis, postremò clerus ut suprà.

2. In parochialibus ecclesiis ponè crucem incedunt clerici, subdiaconi, diaconi, sacerdotes, deinde cantores, tum vicarii, postea choristæ, postremò celebrans. In aliis ecclesiis in quibus cantores incedunt inter postremos ordines processionis, choristæ procedunt ut suprà §. 1. num. 5.

ARTICULUS III.

De stationibus.

1. QUando fit statio in navi, ante crucifixum, sive ante imaginem aliquam, fit hoc ordine. Omnes de clero, in duos choros divisi, servant suum ordinem sibi invicem collaterales, & se respicientes.

2. In stationibus ante missam, inter utrumque chorum pueri chori bini & bini facie versâ ad crucifixum, vel altare aut imaginem hoc ordine. In capite stat 1. puer qui portat aquam benedictam : 2. ceroferarii : 3. puer collectarium deferens : 4. pueri ; 5. clericus, qui defert crucem ; 6. subdiaconus : 7. diaconus : 8. celebrans, & ponè illum choristæ. In parochialibus ecclesiis ponè crucem stant choristæ, hinc subdiaconus, tum diaconus, deinde celebrans.

3. Tempore stationis ante missam, curet sacrista ut in altari, ante quod fit statio, missa non celebretur; si celebretur & tempore stationis contingat SS. Sacramentum elevari, omnes nudo omnino capite profundè inclinabunt sine intermissione cantûs, & sine conversione vultûs ad idem altare.

4. Si ad stationem cantentur responsorium, antiphona, vel prosa, choristæ deambulando chorum moderantur.

5. Ad stationes, quæ fiunt post vesperas, non defertur crux, nisi facienda sit processio. Non defertur etiam vas aquæ benedictæ, sed thuribulum cum thure. In ipsis post pueros stat celebrans, deinde choristæ, & in parochialibus ecclesiis post pueros stant choristæ, deinde celebrans, reliqui ut suprà.

6. In illis, cantantur quæ notantur in processionali cujuslibet ecclesiæ

7. *In ecclesia metropolitana, in stationibus post vesperas omnes de clero stant eodem ordine, quo suprà part. 2. cap. 1. art. 1. num. 52. & 53. In stationibus ante missam stant ut suprà art. 2. num. 11. vel 19. aut 26. secundum qualitatem festi.*

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

De processionibus, quæ fiunt longè ab ecclesia.

1. IN illis primus procedit ostiarius, qui defert vexillum imagine sancti titularis insignitum, deinde clericus exorcista qui vas aquæ benedictæ portat. Thus non defertur, candelabra cum cereis non portantur, crucifer nudo capite crucem gestat in habitu chori ordinario, nisi choristæ sint in cappis sericis, tunc enim ipse induitur cappa serica. Si processio fiat horis matutinis, codex evangeliorum à subdiacono gestatur ante pectus, aliàs non defertur.

2. Processiones ecclesiarum, quæ processioni ecclesiæ metropolitanæ obviam fiunt, eâ transeunte, gradum fistant, & cantum interrumpant, donec processio majoris ecclesiæ transgressa fuerit.

3. In his processionibus, cantantur quæ notantur in processionali.

4. Si processio ad aliquam ecclesiam divertat, omnes ingressi chorum ante altare profundè inclinant, & in stallis se fistunt, deinde cantatur ad aquilam antiphona cum versiculo & oratione de patrono ejusdem ecclesiæ. Si ante aliquam ecclesiam gradum fistat, eodem modo cantatur ante fores illius antiphona cum versiculo & oratione de patrono ecclesiæ, deinde resumuntur quæ fuerant interrupta, & processio continuatur.

5. Cum processio pervenit in ecclesiam stationalem, chorum ingreditur, ante aquilam cantatur antiphona cum versiculo & oratione de patrono, deinde cantatur missa ritu convenienti, vel aliud officium conveniens. Post missam, si ecclesia habeat duos patronos, in eodem choro cantatur antiphona cum versiculo & oratione de secundo patrono ejusdem ecclesiæ, posteà inchoantur litaniæ sanctorum usque ad *Sancta Maria*; moxque processio discedit. Redeundo, pueri, vel alii, qui cantant litanias, nudo capite incedunt medii inter cantores, ut illis faciliùs responderi possit. Si ecclesia unicum habeat patronum, post missam, aut aliud officium, pueri inchoant litanias sanctorum, ut sufsirà usque ad *Sancta virgo virginum* inclusivè: tuncque processio discedit.

6. Processione in propriam ecclesiam reversâ, cantatur in choro antiphona cum versiculo & oratione de patrono; eâque finitâ omnes discedunt.

Digitized by Google

Articulus V.

De quibusdam in cantu observandis.

1. Quidquid canitur, primò à choristis, vel à choristâ hebdomadario, nudo omnino capite, etiam hyeme, intonatur. Versus etiam responsorii ab eodem choristâ, vel choristis intonatur, choro prosequente ut notatur in processionali.

2. Quando psalmus, vel canticum in responsorio interponitur, tunc versus responsorii à toto choro resumitur, eo ritu, qui notatur in processionali ad processionem, quæ fit ad fontes in die S. Paschæ, part. 4. cap. 15. num. 11 pag. 200.

3. Versiculus à pueris cantatur, cum neumate in fine, & chorus non respondet.

4. Ante orationem præmittitur solùm *Oremus*, collecta cantatur sub tono collectæ horarum, & terminatur minori conclusione.

Articulus VI.

De processionibus, quæ in quibusdam ecclesiis fiunt, tempore Paschali, longè ab ecclesia.

In illis eundo, cantantur responsoria *Sedit angelus*; *Christus resurgens*; *Si consurrexistis*, Hymni *Ad cœnam*; *Rex sempiterne Domine*, cum aliis responsoriis notatis in processionali, ad processionem in die S. Paschæ, cætera fiunt ut suprà art. 5. Si fiant infrà hebdomadam Pentecostes, cantabuntur responsoria & hymni de festo Pentecostes.

Articulus VII.

De processionibus, in quibus deferuntur reliquiæ, vel imagines sanctorum.

1. Quando in processionibus reliquiæ sanctorum deferendæ sunt, sacrista, congruo tempore, inter altare & chorum præparat mensam, illam mappâ lineâ & mundâ, & undique ad terram fluente, operit: super illam collocat ferculum tapete serico coopertum, deinde ferculo capsam reliquiarum, vel imaginem imponit, uncis ferreis vel funibus sericis firmat, & ab utrâque parte ponit duo candelabra, cum cereis ardentibus.

2. In processione, eædem capsas, vel imagines gestant duo, vel plures sacerdotes in cappis sericis, aut clerici tunicellis induti, secundùm consuetudinem locorum.

Digitized by Google

3. Reliquias hinc & hinc comitantur duo, vel plures clerici, cum facibus ardentibus.

4. In reliquis idem ritus servatur qui suprà.

Articulus VIII.

De processione, qua fit in translatione, seu susceptione reliquiarum.

1. Quando reliquiæ sanctorum ex aliquo loco ad alium transferendæ sunt, ante omnia debent recognosci à D. Archiepiscopo, qui earum veritatem approbabit, & Christi fidelibus publicè venerandas proponet. Posteà fidis clavibus in capsa claudentur.

2. Pridiè quàm transferantur, D. Archiepiscopus vel præpositus loci, manè exponet illas decenter in mensa ad id præparata.

3. Horâ constitutâ, clerus ecclesiæ, ad quam transferendæ sunt reliquiæ, procedit hoc ordine ad ecclesiam, ubi asservantur.

4. In exitu chori, choristæ, vel choristæ imponunt responsorium *Ecce ego aperiam tumulos*, choro prosequente. Finito responsorio, cantabitur psalmus *Benedicam*, eoque finito, chorus cantabit versum *Dabo spiritum &c.* nemine imponente, deinde cantabitur hymnus, *O vos unanimes &c.* Post hymnum, cantabitur psalmus *Dominus regnavit exultet terra &c.* cum antiphona *Letamini.* Si psalmus non sufficiat, addentur tres ultimi psalmi de laudibus, scilicet *Laudate Dominum de cœlis*; *Cantate* & *Laudate Dominum in sanctis ejus*, sub eadem antiphona.

5. Processione ingressâ chorum ecclesiæ unde reliquiæ transferendæ sunt, cantabitur antiphona cum versiculo & oratione de patrono ejusdem ecclesiæ.

6. Deinde cantabitur responsorium conveniens sancto, cujus suscipiuntur reliquiæ, cum hymno vesperarum, antiphona, versiculo & oratione.

7. Impositio responsorio, celebrans accedet ad reliquias, illas trino ductu thurificabit, & osculabitur; deinde reliqui de clero accedent ad osculum earumdem reliquiarum profundè inclinantes ante & post.

8. Finitâ oratione, processio discedet, & reliquiæ deferentur à sacerdotibus, vel clericis, ritu qui dictus est suprà, choro cantante litanias sanctorum.

9. Processione in propriam ecclesiam reversâ, reliquiæ deponentur in mensa ad hoc præparata, & cantabitur antiphona

Digitized by Google

bum versiculo, & oratione de patrono ejusdem ecclesiæ.

10. Deinde poterit cantari missa de eodem sancto, in qua, post evangelium, fiet sermo de virtutibus, & meritis ejusdem sancti, ut ad eum venerandum populus excitetur.

11. Post missam, super altare exponentur reliquiæ, per totum diem venerandæ, & circa solis occasum, capsa in loco debito recondetur, & de translatione conficietur publicum instrumentum per secretarium D. Archiepiscopi.

Articulus IX.

De processione, quæ fit pro diversis necessitatibus, primo ad ecclesiam metropolitanam, deinde ad S. Genovefam in monte.

CUm, ex mandato D. Archiepiscopi, fiunt supplicationes pro diversis necessitatibus ad ecclesiam metropolitanam, & ad S. Genovefam-in-monte, hic ordo servandus est.

1. Processio fit ritu, qui dictus est suprà art. 4.

2. Antequam clerus exeat è choro, cantatur antiphona *Exurge* sine *Alleluia* extra tempus paschale, cum oratione *Mentem familiæ*, ut habetur in processionali, feriâ secundâ Rogationum sup. 209.

3. Exeundo ex ecclesia, cantatur unum ex responsoriis, quæ habentur in processionali, pro necessitate de qua agitur; cantatur autem usque ad versum exclusivè, & tum dicuntur septem psalmi pœnitentiales sub tono responsorii.

4. In navi ecclesiæ metropolitanæ, absolvitur psalmus inceptus, & dicitur *Gloria Patri* in fine.

5. Deinde ad stationem, quæ fit in navi, cantantur antiphonæ de B. Maria, de SS. Dionysio & Sociis, ac de S. Marcello, cum versiculis, & orationibus, ut in processionali.

6. Finitâ statione, processio in silentio progreditur per circuitum chori, incipiendo à parte evangelii.

7. Exeundo ex ecclesia metropolitana, resumuntur psalmi, ab eo loco, ubi intermissi fuerant, & proceditur ad ecclesiam S. Genovefæ in monte. Si propter majorem locorum distantiam, septem psalmi non sufficiant, addentur ex psalmis gradualibus quot necessarii fuerint.

8. Processione ecclesiam S. Genovefæ ingressâ, fit statio in navi, absolvitur psalmus inceptus, cum *Gloria Patri* in fine. Tum uterque chorus cantat versum responsorii, nemine imponente, cum reclamatione. Deinde dicitur oratio conveniens pro necessitate de qua agitur; posteà cantatur antiphona de B. Genovefa, cum versiculo & oratione, ut in processionali.

Digitized by Google

9. Post orationem de S. Genovefa, processio cum silentio progreditur per circuitum chori pone columnas, quibus imposita est capsa S. Genovefæ, incipiendo à parte evangelii.

10. In reditu, cantantur litaniæ Sanctorum, ut in processionali.

11. Processione in propriam ecclesiam reversâ, finis imponitur litaniis, ter cantando *Agnus Dei*, ut in processionali; deinde cantatur antiphona, cum versiculo, & oratione de patrono ejusdem ecclesiæ.

Articulus X.

De processione, qua fit quando reliquiæ S. Genovefæ deferuntur in ecclesiam metropolitanam pro diversis necessitatibus.

Quoties in publicis regni, & urbis calamitatibus, cives parienses ad misericordiam Dei confugiunt; & auxilium beatæ Genovefæ virginis, & urbis patronæ, humiliter implorant; ut per ejusdem virginis preces, & intercessionem, à malis imminentibus liberentur; capsa sacrarum ejus reliquiarum ad ecclesiam metropolitanam defertur ordine sequenti.

§. Primus

De præviis.

1. *D. Archiepiscopus, communicato consilio cum decano, canonicis & capitulo ecclesiæ metropolitanæ, ac aliis quorum interest, solemnem processionem indixit, in qua capsa reliquiarum B. Genovefæ ad ecclesiam metropolitanam solemniter deferatur.*

2. *Publico mandato suo populum ad pœnitentiam excitat; hortatur ut contrito corde adeant cum fiducia ad thronum gratiæ Dei; suadet etiam humiliter implorare opem B. Mariæ semper virginis, S. Dionysii, S. Marcelli, S. Genovefæ ac aliorum sanctorum patronorum urbis, quorum in publicis, & privatis calamitatibus, præsens auxilium sæpius experti sunt, ut eorum intercessione misericordiam Dei consequantur, & gratiam inveniant in auxilio opportuno.*

3. *Triduanas supplicationes edicit, & singulis urbis & suburbiorum ecclesiis, diem, & horam assignat, quibus procedant ad ecclesiam metropolitanam, & ad basilicam S. Genovefæ. Indicit etiam jejunium generale observandum pridie solemnis processionis.*

4. *Abbas & canonici regulares S. Genovefæ basilicam convenienter ornant, capsam reliquiarum ejusdem sanctæ discooperiunt, & triduanum jejunium observant, orationi, & aliis piis operibus vacantes.*

Digitized by Google

5. *Die tertio, antequam capsa ejusdem sanctæ ad ecclesiam metropolitanam deferatur, clerus ecclesiæ metropolitanæ, unà cum clero quatuor ecclesiarum capitulo B. Mariæ subditarum, solemniter procedit ad basilicam S. Genovefæ.*

6. *In hac processione, duo sacerdotes in cappis albis deferunt imaginem B. Mariæ, & duo alii sacerdotes in cappis rubeis similiter humeris gestant tabellam auream S. Sebastiani martyris, & cantantur responsoria convenientia, ut in processionali ejusdem ecclesiæ notantur.*

7. *Abbas & canonici regulares S. Genovefæ cappis ornati, ingredientem clerum ecclesiæ metropolitanæ excipiunt, & duo ex canonicis regularibus illum thure honestant.*

8. *Ad ingressum basilicæ, quatuor cappiferi depositas imaginem B. Mariæ, & tabellam S. Sebastiani tradunt quatuor canonicis regularibus, qui, comitantibus ceroferariis, in locum constitutum illas deferunt, & super mensam ad id præparatam deponunt.*

9. *Clerus ecclesiæ metropolitanæ chorum S. Genovefæ ingressus, omnes sedes occupat, clericus præcentoris imponit antiphonam de SS. Petro & Paulo, choro prosequente, versiculus cantatur à duobus pueris, & oratio à D. Archiepiscopo, vel illo absente, à digniori, deinde cantatur missa de S. Genovefa ritu solemni minori à D. Archiepiscopo, vel alio ejus nomine.*

10. *His peractis, D. Archiepiscopus, & canonici ecclesiæ metropolitanæ conveniunt in capitulum S. Genovefæ, ubi dextram partem occupant, & canonici regulares S. Genovefæ sinistram, residentibus interim in choro beneficiatis, & aliis clericis ecclesiæ Parisiensis.*

11. *Sedentibus omnibus, D. Archiepiscopus, vel, illo absente, dignior ecclesiæ metropolitanæ, abbatem, & canonicos regulares alloquitur brevi oratione: demonstrat quam necesse sit in ingruenti necessitate, S. Genovefæ reliquiarum capsam demittere, idque ut abbas, & canonici regulares concedant rogat; cui respondens abbas ejusdem capsæ demissionem concedit.*

12. *His peractis, D. Archiepiscopus, & canonici Parisienses basilicam repetunt, comitantibus abbate, & canonicis regularibus usque ad portam, quà patet è claustris in eandem basilicam ingressus.*

13. *D. Archiepiscopo, & canonicis in chorum reversis, cantatur antiphona de S. Genovefa, cujus versiculus, & oratio cantantur ut suprà.*

14. *Finitâ oratione, processio redit in ecclesiam metropolitanam, cantans litanias sanctorum.*

Digitized by Google

15. *Interim quatuor ex canonicis regularibus imaginem B. Mariæ, & tabellam S. Sebastiani referunt ad majorem portam ecclesiæ, & illas reddunt quatuor cappiferis, qui illas exceptas referunt in ecclesiam metropolitanam.*

16. *Processione in ecclesiam metropolitanam reversâ, cantatur in choro antiphona, cum versiculo, & oratione de B. Maria.*

17. *Horis pomeridianis ejusdem diei, & duobus diebus sequentibus, horis matutinis, & pomeridianis omnes & singulæ ecclesiæ urbis, & suburbiorum, horis à D. Archiepiscopo constitutis, procedunt ad ecclesiam metropolitanam, & indè ad basilicam S. Genovefæ, ritu qui descriptus est suprà art. 9.*

18. *Per idem triduum, in basilica S. Genovefæ, post completorium, fit processio per circuitum ecclesiæ: defertur Imago S. Genovefæ, cujus basi unus ex dentibus ejusdem beatæ Virginis sub cristallo insertus est, & cantatur litania* Aufer à nobis. *Perveniens processio in capellam S. Clotildis, gradum sistit, litania dimittitur, & procumbentibus in genua canonicis regularibus, cantatur antiphona de S. Genovefa, eâque absolutâ, resumitur litania ubi dimissa fuerat, processio ceptum iter prosequitur, & chorum intrat per majorem portam, & finitâ litaniâ, genibus flexis cantatur tractus* Domine non secundùm peccata nostra &c. *Illo completo, hebdomadarius dicit versiculos, & orationes pro remissione peccatorum, de S. Genovefa, pro necessitate ingruente, & aliis statutas.*

§. II.

De præparandis in ecclesia Parisiensi, & aliis ad solemnem processionem capsæ reliquiarum sanctæ Genovefæ.

1. *IN ecclesia metropolitana, pridiè solemnis processionis, post completorium, per clericum fabricæ, aliis clericis juvantibus, capsa beatæ Mariæ, & S. Lucani martyris super majus altare deponuntur.*

2. *Interim cantatur antiphona de beata Maria, pro ratione temporis cum versiculo, & oratione, quam dicit hebdomadarius. Eodem ritu cantatur antiphona, cum versiculo, & oratione de S. Lucano. Deinde singuli procedunt ad salutationem, & osculationem earumdem capsarum, incipiendo à digniori, profundè inclinantes antè & post osculum.*

3. *Posteà cantatur officium nocturnum; eoque cantato, capsa reliquiarum S. Marcelli solemniter super mensam præparatam deponitur.*

4. *Interim clericus præcentoris imponit antiphonam de S. Mar-*

Digitized by Google

cello, quam prosequitur chorus : versiculum concinunt pueri, & collectam dicit hebdomadarius, ut suprà ; deinde eodem ordine, quo suprà, omnes osculantur capsam S. Marcelli ; postea in choro disponuntur majores mensæ, ad excipiendas, die sequenti, sanctorum reliquias : & altare paratur pretiosioribus ornamentis albis.

5. In aliis ecclesiis, quæ tenentur processioni interesse, eodem ritu super altare deponuntur sanctorum reliquiæ, quæ deferendæ sunt in processione.

6. Ipso die processionis, horâ quartâ matutinâ, in ecclesia metropolitana, cantatur prima, deinde tertia, missa, & sexta. Idem observatur in aliis ecclesiis, quæ tenentur processioni interesse.

7. Horâ quintâ aurifices, qui gestant capsam S. Marcelli, audiunt missam, quam celebrat in sacello S. Annæ unus ex canonicis ecclesiæ Parisiensis sine cantu, & in illa communicant.

§. III.

De præparandis in ecclesia S. Genovefæ.

1. PRidiè solemnis processionis, cantantur solemniter vesperæ de S. Genovefa, abbate celebrante in pontificalibus. Deinde completorium ; posteà officium nocturnum cum laudibus.

2. Mediâ nocte, canonici regulares S. Genovefæ conveniunt in chorum nudis pedibus, & cantant horas primam, tertiam, sextam & nonam.

3. Absolutis horis, accedunt omnes ad sanctuarium tapetibus stratum, & prostrati recitant septem psalmos pœnitentiales, cum antiphona, litaniis, precibus, & orationibus, quibus penultimo loco additur oratio necessitati ingruenti conveniens.

4. Post orationes, abbas facit confessionem, cui chorus respondet Misereatur, & repetitâ à choro confessione, abbas conversus ad chorum, dicit Misereatur, deinde dicit Dominus vobiscum, tum dextrâ manu extensâ, dicit orationem Dominus Jesus-Christus, qui dixit discipulis suis, quæcumque ligaveritis &c. eâque finitâ, dicit Absolutionem & remissionem &c.

5. His paratis, duo canonici regulares sacerdotes albis & stolis albi coloris ornati, demittunt capsam reliquiarum S. Genovefæ, quam quatuor alii sacerdotes ex dignioribus, stolis albis ornati, excipiunt, & deponunt super mensam præparatam in sacello S. Clotildis.

6. Interim, imponente præcentore, cantatur responsorium de S. Genovefa, cum versiculo & oratione, quam cantat abbas.

7. Tum abbas accedit ad capsam, illam thurificat, & osculatur ; deinde reliqui canonici regulares illam salutant, & osculantur, pre-

Digitized by Google

fundè inclinantes ante & post. Eandem capsam deosculantur prætor urbanus, & alii magistratus præposituræ Parisiensis, qui illam deinceps custodiunt, usque ad restitutionem illius in locum suum.

8. *Posteà missa de S. Genovefa solemniter celebratur ab abbate in pontificalibus.*

9. *In illa, secunda oratio dicitur pro necessitate ingruente, ut in missali, & communicant omnes, excepto sacerdote, qui missam celebrat in capella B. Mariæ in claustro, pro capsigeris S. Genovefæ.*

10. *Finitâ missâ, omnes recedunt, deinde alternis vicibus, seni & seni revertuntur, secundum ordinem præscriptum, psalterium flexis genibus ante sacrum feretrum prosecuturi.*

11. *Summo manè unus è canonicis regularibus S. Genovefæ, in capella B. Mariæ in claustro, celebrat missam sine cantu pro capsigeris S. Genovefæ, qui in illa communicant.*

12. *Circa horam septimam, in ecclesiam S. Genovefæ successivè conveniunt curia Parlamenti, camera Computorum, & curia Subsidiorum. Has excipiunt ad majorem portam duo canonici regulares, qui illas ducunt ad salutationem & osculationem capsæ S. Genovefæ, hinc que deducunt in aulas ipsis respectivè destinatas.*

§. IV.

De incessu processionis ecclesiæ metropolitanæ ad basilicam sanctæ Genovefæ

1. *HOrâ circiter sextâ, in ecclesiam metropolitanam conveniunt processiones ecclesiarum, quæ huic processioni interesse tenentur, & capsas sanctorum deponunt in choro super mensas præparatas. Conveniunt etiam in eandem ecclesiam Præpositus, & Ædiles urbis.*

2. *Paratis omnibus, ex ecclesia metropolitana (resonantibus campanis) proceditur, hoc ordine: 1. Franciscani: 2. Dominicani: 3. Augustiniani: 4. Carmelitæ: 5. sodales B. Mariæ Bonæ-liberationis in ecclesia S. Stephani de greßibus qui nudis pedibus incedunt: 6. presbyteri congregationis Oratorii Domini Jesu domûs S. Maglorii, & monachi S. Martini à campis (cum capsis S. Paxentii & S. Maglorii), qui inter se de Prioritatis ordine certant; & sub D. Archiscopo judice adhuc lis est: 7. canonici S. Opportunæ & S. Honorati, cum capsis reliquiarum S. Honorati Episcopi & S. Opportunæ Virginis, duplici linea paralleli progredientes; 8. Canonici S. Germani, &*

Digitized by Google

sancti Marcelli (unà cum clero ecclesiarum S. Martini, & S. Hyppoliti ecclesiæ S. Marcelli subditarum) qui alternis dextram tenent, ex ordinatione Francisci de Harlay, quondam Parisiensis Archiepiscopi, & capsas sancti Landerici & sancti Clementis deferunt: 9. procedunt vexilla, & cruces S. Mederici, & Dominici Sepulcri, cum pueris earumdem ecclesiarum: 10. Canonici S. Mederici unà cum capsa ejusdem sancti, quam gestant tingendi corii magistri, & canonici Dominici Sepulcri cum capsa S. Aureæ virginis, quam gestant clerici regulares S. Pauli, vulgò Barnabitæ commorantes in prioratu S. Eligii ad palatium, eodem modo progrediuntur. Hanc beatæ Aureæ capsam comitantur sex Barnabitæ cum totidem facibus ardentibus: 11. majus vexillum ecclesiæ metropolitanæ, cujus clerus unà cum canonicis S. Benedicti & sancti Stephani de gressibus more solito procedit, cum capsis S. Lucani quam gestant duo sacerdotes in cappis rubeis, & S. Marcelli, quam deferunt aurifices vestibus & palliis nigri coloris induti: 12. ultimus omnium procedit D. Archiepiscopus, ornamentis pontificalibus indutus, & populum benedicens, sequentibus præposito, & ædilibus urbis; capsam autem B. Mariæ relictam in choro cum cereis ardentibus custodit clericus fabricæ.

3. Has omnes processiones parochus ecclesiæ S. Genovefæ-de-miraculo-ardentium, ornatus cappâ, stans præ foribus ejusdem ecclesiæ, per quatuor diversas vices incensat, dum ante eandem ecclesiam transeunt: 1. quando procedunt ad ecclesiam metropolitanam: 2. quando ab eadem ecclesia vadunt ad ecclesiam S. Genovefæ-in-monte: 3. quando capsam S. Genovefæ comitantur, & ducunt ad ecclesiam metropolitanam: 4. denique dum illam ab eadem ecclesia metropolitana reducunt.

4. Interim præcentore imponente, cantantur responsoria convenientia.

5. Perveniens processio ad compitum S. Severini, divertit per vicum, cui nomen (Galande) & per montem S. Genovefæ, procedit ad basilicam ejusdem sanctæ.

6. Ad portam basilicæ, capsa S. Marcelli suscipitur à gestatoribus capsæ S. Genovefæ & defertur ad capsam ejusdem S. Genovefæ, deinde ad majus altare, & super illud deponitur. Eodem modo gestatores capsæ S. Lucani illam deferunt ad capsam S. Genovefæ, deinde ad majus altare, & super illud eam deponunt. Cæteræ capsæ eodem modo deferuntur ad capsam S. Genovefæ & inde in capitulum, ubi deponuntur super mensas ad id præparatas.

7. Clerus ecclesiæ metropolitanæ perveniens in chorum salutatur à

Digitized by Google

canonicis regularibus stantibus à parte evangelii, & illos vicissim salutat, & locum accipit à parte epistolæ.

8. Ad ingressum D. Archiepiscopi, abbas S. Genovefæ pontificalibus indutus stans in stallo prioris, & canonici regulares profundè inclinant, & illum excipiunt honorificè.

9. Post mutuam salutationem, D. Archiepiscopus ascendit in sedem abbatis.

10. Considentibus omnibus, præcentor imponit antiphonam de SS. Petro & Paulo basilicæ patronis, prosequente choro, pueri concinunt versiculum, & D. Archiepiscopus dicit orationem.

11. Completâ oratione, D. Archiepiscopus, & cæteri de clero ecclesiæ metropolitanæ incipiendo à dignioribus, per latus evangelii accedunt ad capsam S. Genovefæ, illam osculantur, profundè inclinantes ante & post, & per latus epistolæ redeunt in chorum.

12. Post osculationem capsæ, eodem modo cantatur antiphona de S. Genovefa cum versiculo & oratione.

13. Finitâ antiphonâ, præcentor S. Genovefæ imponit antiphonam de S. Marcello, quam prosequitur chorus S. Genovefæ, versiculus ab iisdem cantatur, & oratio ab abbate.

14. Interim præpositus, & ædiles, post osculationem capsæ S. Genovefæ, ducuntur in aulam ipsis destinatam.

15. Paratis omnibus, curiæ Parlamenti, & aliis annuntiatur processionem ecclesiæ Parisiensis advenisse, jamjamque discessuram: moxque in ecclesiam rédeunt eadem curiæ.

§. V.

De incessu processionis ab ecclesia S. Genovefæ, ad ecclesiam metropolitanam.

1. DAto signo abeundi, minoritæ, & reliqui omnes ab ecclesia B. Genovefæ discedunt per portam claustri, eodem ordine quo suprà.

2. Post canonicos S. Germani, & S. Marcelli, procedunt vexilla parochiarum S. Stephani, & S. Medardi, cum crucibus, & pueris earumdem ecclesiarum. Sequuntur canonici Dominici Sepulcri & S. Mederici ut suprà. Post illos sequitur majus vexillum ecclesiæ metropolitanæ, cum cruce S. Genovefæ à dextris, & cruce ecclesiæ metropolitanæ à sinistris.

3. Aurifices capsam sanctæ Genovefæ portam, usque ad majorem portam ecclesiæ, & gestatores capsæ S. Genovefæ albis lineis induti, & nudis pedibus, capsam S. Marcelli deferunt usque ad eandem portam, ubi suam quique capsam recipiunt, & gestatores S. Gene-

Digitized by Google

vefæ Capsam ejusdem deferunt à dextris, usque ad Parvum-pontem, & gestatores sancti Marcelli Capsam ejusdem sancti portant à sinistris. Inter utramque Capsam medii incedunt sacerdotes, qui gestant capsam S. Lucani. Capsam S. Genovefæ comitantur Thesaurarius ecclesiæ S. Genovefæ, dextrâ virgam gestans, & Proprætor urbanus; ac alii Magistratus Præposituræ Parisiensis, cum lictoribus suis, qui illam suis periculis custodiunt. Attendant gestatores capsarum, quòd capsæ ecclesiæ Parisiensis, & S. Genovefæ, æqualiter procedere debent per vicos sine prioritate vel posterioritate, ex ordinatione Caroli sexti quondam Francorum Regis, de die 13. Augusti anno 1392.

4. Clerus Ecclesiæ Metropolitanæ ad sinistram procedit; Canonici autem regulares nudis pedibus, cum Clericis Ecclesiarum S. Stephani in monte, & S. Medardi procedunt ad dextram pro servanda, quam quique tenuerant in choro S. Genovefæ, parte sine ulla decussatione, vulgò sans croiser.

5. Ultimi procedunt ad sinistram, ob eandem causam, D. Archiepiscopus indutus Pontificalibus, & Abbas S. Genovefæ nudipes ad dextram etiam in Pontificalibus.

6. Sequuntur curiæ supradictæ, servantes inter se consuetum ordinem.

7. In Processione, Responsoria convenientia cantant soli Canonici regulares, lentè & mensura gravi; & inter singula responsoria pausatur aliquantulùm.

8. Cum Processio pervenit ad Parvum-pontem, cantantur Responsoria de sancta Genovefa.

9. Ante majorem portam Domûs-Dei Parvo-ponti contiguam, aurifices capsam S. Genovefæ; hujus autem sanctæ gestatores capsam S. Marcelli suscipiunt, easque ad Ecclesiam Metropolitanam deferunt.

10. Franciscani, & alii supradicti, ecclesiam B. Mariæ ingressi, secedunt in Capellas cuilibet ecclesiæ respectivè assignatas. Franciscani & alii mendicantes lipsanothecas suas deponunt in Capellis sibi assignatis; capsæ verò SS. Maglorii, Paxentii & aliorum deponuntur in choro super mensas præparatas.

11. Ante majorem januam Domûs-Dei, inchoatur responsorium de B. Maria.

12. In Choro B. Mariæ, super mensam præparatam à dextris capsæ B. Mariæ deponitur capsa S. Genovefæ, ad sinistram partem ejusdem capsæ B. Mariæ deponuntur capsa S. Lucani & capsa S. Marcelli, ita ut inter capsam S. Genovefæ, & S. Marcelli, sint in medio capsa B. Mariæ à dextris, & capsa S. Lucani à sinistris.

13. In ingressu Chori, Canonici regulares cantant prosam Inviolata, ad versum O benigna, qui ter repetitur, in genua procumbunt.

Digitized by Google

14. *Cum processio pervenit in Chorum, D. Archiepiscopus ascendit in sedem pontificiam, si non celebret; si verò celebret, procedit in vestiarium. Abbas S. Genovefæ sedem Decani occupat. In prima sede infra Abbatem, stat presbyter assistens Abbatis. Infra illum sedent ministri ejusdem Abbatis, in scamno ad id præparato. Post Abbatem, superiores & inferiores sedes à parte epistolæ usque ad gradus, qui sunt è regione aquilæ, occupant Præsides & Senatores Parlamenti. In cæteris sedibus superioribus & inferioribus ab eadem parte, locum accipiunt Canonici Regulares usque ad ultimas superiores, quas Prætor urbanus, Quæstor Capitalis, & regius Castelleti Procurator occupant. In sede Præcentoris à parte evangelii locum accipit Decanus, vel illo absente dignior; & infra illum in sede inferiori stat senior Canonicus subdiaconus. Cæteras superiores & inferiores ab eadem parte usque ad sex ultimas occupant Præsides, & Magistri Camera Computorum, deinde Præsides & Consiliarii Curiæ Subsidiorum; tum Præpositus, & Ædiles urbis. Ad sex ultimas superiores & inferiores versùs altare stant Canonici Ecclesiæ metropolitanæ. In scamnis ab utraque parte chori in plano dispositis sedent, à parte epistolæ juniores Canonici S. Genovefæ, & à parte evangelii Beneficiati, & alii ministri Ecclesiæ metropolitanæ.*

15. *Finitâ Prosâ* Inviolata, *Versiculus* Post partum *canitur à duobus Canonicis regularibus, & Oratio ab Abbate S. Genovefæ.*

§. VI.

De Missa.

1. *Missam de B. Maria cantat ritu solemni D. Archiepiscopus, aut ejus nomine, aliquis ex his qui dignitates obtinent in Ecclesia metropolitana.*

2. *In illa, evangelium & epistolam legunt duo ex Canonicis regularibus S. Genovefæ, respectivè delegati. Quatuor ex iisdem Canonicis Indutorum officio funguntur in eadem missa. Acolythorum munia pueri Ecclesiæ metropolitanæ adimplent more solito.*

3. *Chorum moderantur præcentor S. Genovefæ à parte epistolæ & unus ex Beneficiatis ecclesiæ metropolitanæ à parte evangelii. Secunda oratio dicitur de S. Genovefa, & tertia pro necessitate ingruente.*

4. *Graduale cantant ad rostrum aquilæ quatuor beneficiati Ecclesiæ metropolitanæ in cappis, &* Alleluia, *vel Tractum quatuor Canonici regulares S. Genovefæ in cappis.*

5. *Quando D. Archiepiscopus celebrat, post evangelium codex evangeliorum osculandus defertur ad D. Archiepiscopum tantùm.*

Non

Digitized by Google

Non thurificatur chorus ad præfationem. Ante Agnus Dei, *D. Archiepiscopus solemnem dat benedictionem. Thuriferarii incensant choristas tantùm, & illis solis instrumenta pacis osculanda offerunt ceroferarii.*

6. *Quando D. Archiepiscopus missam non celebrat, diaconus, dicto* Munda cor meum, *præcedentibus indutis, & subdiacono, accedit ad sedem pontificiam, ante illam genibus flexis, benedictionem petit à D. Archiepiscopo, deinde thuriferarius genibus flexis incensum præsentat in navicula, & ab eodem petit benedictionem, more solito. Lecto evangelio, subdiaconus ascendit in sedem pontificiam, librum evangeliorum offert D. Archiepiscopo osculandum; post osculum, illi profundè inclinat, & descendit in planum, moxque diaconus stans in plano D. Archiepiscopum trino ductu incensat. Deinde subdiaconus redit ad altare, codicem evangeliorum osculandum offert celebranti, illi profundè inclinat, & librum reddit induto, moxque diaconus genibus flexis celebrantem trino ductu incensat more solito. Ante* Agnus Dei, *diaconus, accepta pace à celebrante, præcedentibus duobus indutis, descendit in chorum, ascendit in sedem pontificiam, instrumentum pacis osculandum offert D. Archiepiscopo, illi profundè inclinat, & descendit in planum, ubi pacis instrumenta, more solito, porrigit ad osculum, primò indutis, deinde ceroferariis, illa ipse osculatur, & redit ad altare. Interim thuriferarii stantes ante sedem pontificiam D. Archiepiscopum trino ductu incensant, more solito, deinde respectivè incensant choristas tantùm, & redeunt ad altare. Eodem modo ceroferarii pacis instrumenta choristis tantùm offerunt ad osculum, moxque revertuntur ad altare. In fine missæ, D. Archiepiscopus dat solemnem benedictionem.*

7. *Post missam, chorus B. Mariæ cantat tractum* Domine non secundum, *versus* Adjuva nos *cantatur à quatuor pueris genibus flexis; versiculus* Ostende *à choristis, & oratio à D. Archiepiscopo, vel illo absente, à digniori ecclesiæ metropolitanæ.*

8. *Deinde canonici regulares S. Genovefæ cantant antiphonam* Salve regina, *cum versiculo, & oratione* Famulorum, *qua dicitur ab abbate.*

9. *Cætera cantantur, & fiunt eodem ordine, & ab iisdem, quibus suprà in missa S. Genovefæ, die 3. Januarii.*

Digitized by Google

§ VII.

Do modo reducendi capsam S. Genovefæ.

1. *Finitâ oratione* Famulorum, *capsa SS. Maglorii, Paxentii, Opportunæ, & aliorum extrà chorum exportantur. Aurifices capsam S. Genovefæ per partem epistolæ, & gestatores S. Genovefæ capsam S. Marcelli per partem evangelii deportant.*

2. *Dum per chorum transit capsa sancti Marcelli, canonici regulares S. Genovefæ cantant antiphonam de S. Marcello, tum omnes reducunt capsam S. Genovefæ usque ad compitum vici novi B. Mariæ, & à parte dextra procedunt D. Archiepiscopus, & canonici ecclesiæ metropolitanæ; abbas verò & canonici regulares sanctæ Genovefæ à sinistra, sequentibus præposito, & ædilibus urbis. Præsides, & alii magistratus post exitum processionis è choro, redeunt ad propria.*

3. *In atrio B. Mariæ, canonici regulares inchoant responsorium de B. Maria, & procedentes ad ecclesiam S. Genovefæ de miraculo ardentium, illud prosequuntur.*

4. *Pervenientes ad compitum vici novi B. Mariæ; Franciscani, Augustiniani, Carmelitæ, sacerdotes S. Maglorii, Monachi S. Martini, canonici S. Germani, S. Honorati, & S. Opportunæ, S. Stephani, S. Benedicti & sancti Mederici suas ecclesias repetunt; canonici verò Dominici Sepulcri capsam S. Aureæ comitantur usque ad ecclesiam S. Eligii, & ad propria redeunt. Gestatores capsarum S. Marcelli, & S. Genovefæ ante januam Domus Dei, Parvo-ponti contiguam, gradum sistunt: suam quique capsam recipiunt, & alteram versùs alteram inclinant, ad mutuam digredientium salutationem.*

5. *D. Archiepiscopus stans ante portam S. Genovefæ de miraculo ardentium, solemnem dat benedictionem, abbate, & aliis omnibus ad eum conversis prono corpore, deinde post mutuam digredientium salutationem, clerus ecclesiæ metropolitanæ redit in ecclesiam metropolitanam, sequentibus præposito & ædilibus urbis.*

6. *Processione reversâ in chorum, cantatur antiphona de B. Maria cum versiculo, & oratione, quam dicit D. Archiepiscopus, vel, illo absente, dignior.*

7. *Post orationem, omnes de clero osculantur capsam S. Marcelli, profundè inclinantes ante & post, incipiendo à D. Archiepiscopo. Post clerum præpositus, & ædiles urbis eandem capsam deosculantur.*

8. *Demùm capsa B. Marcelli in suum locum restituitur, choro cantante*

Digitized by Google

tante antiphonam de B. Marcello, cum versiculo & oratione, quam dicit D. Archiepiscopus.

9. Interim, præcedentibus Dominicanis, & sodalibus B. Mariæ Bona-liberationis, canonici regulares S. Genovefæ incedentes à dextris, & canonici S. Marcelli à sinistris, per vicum (Galande) & montem S. Genovefæ, procedunt usque ad fontem S. Genovefæ.

10. Pervenientes ad eundem fontem, canonici S. Marcelli, post mutuam salutationem, discedunt, & canonici regulares repetunt basilicam S. Genovefæ, capsam ejusdem comitantibus, & custodientibus, ut suprà, prætore urbano, & aliis Castelleti magistratibus.

11. Ante januam basilicæ S. Genovefæ, canonici regulares, Dominicani, ac sodales B. Mariæ Bona-liberationis se invicem salutant; canonici regulares basilicam S. Genovefæ ingrediuntur; Dominicani verò, & supradicti sodales B. Mariæ redeunt in ecclesias suas.

12. In ingressu basilicæ, gestatores capsæ S. Genovefæ illam in transversum ponunt, & subtus illam omnes demisso collo transeunt, choro cantante in navi responsorium de S. Genovefa.

13. Processione chorum ingressâ, omnes genua flectunt, capsa S. Genovefæ in locum suum restituitur ab iisdem, à quibus demissa est, choro interim cantante antiphonam de S. Genovefa, cum versiculo, & oratione de S. Genovefa, quam dicit abbas.

14. Demum abbas solemnem dat benedictionem, moxque omnes discedunt.

15. Per octo sequentes dies, in ecclesia S. Genovefæ, officium fit de octava depositionis capsæ S. Genovefæ, ut notatur in proprio ejusdem ecclesiæ. Singulis diebus ejusdem octavæ, post completorium, fit processio intrà septa ecclesiæ eodem ritu, quo suprà, §. 1 n. 18. & ultimo festivitatis die, post processionem, capsa B. Genovefæ cooperitur.

ARTICULUS XI.

De processionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum.

QUando processio, in qua defertur SS. Sacramentum, fit extra ecclesiam, cum majori apparatu, in illa observantur quæ dicta sunt suprà parte 4. cap. 21. art. 4. de processione in festo corporis Christi. Quando autem fit intrà ecclesiam, cum minori apparatu, in illa observantur, quæ dicta sunt suprà eadem parte cap. 21. art. 8. de processione, quæ fit intrà ecclesiam, post salutem vespertinam, in die octava festi corporis Christi.

Digitized by Google

CAPUT III.

De precibus pro gratiarum actione.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

1. *COngregatis curiis, D. Archiepiscopus ornamentis Pontificalibus indutus, ut in vesperis, ascendit in sedem Pontificiam, ubi deponit mitram, & stans intonat canticum* Te Deum Laudamus, *prosequente choro.*

2. *Finito cantico, pueri concinunt versiculum* Benedicamus Patrem &c. *deinde D. Archiepiscopus dicit orationem de SS. Trinitate, cum oratione* Deus cujus misericordiæ non est numerus, *sub una conclusione.*

3. *Post orationem, cantatur ter* Domine salvum fac regem, ℣. Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, *& oratio pro Rege ut in collectario.*

4. *Demum D. Archiepiscopus solemnem dat benedictionem, cantans more solito* Sit nomen Domini benedictum &c.

5. *D. Archiepiscopo absente, decanus, vel illo absente, dignior chori, stans in stallo suo, nudo omnino capite, intonat canticum, & dicit orationes ut suprà, & non datur solemnis benedictio.*

6. In aliis ecclesiis, eadem observantur quæ in ecclesia metropolitana D. Archiepiscopo absente.

CAPUT IV.

De precibus quæ fiunt initio Jubilæi.

1. QUando Jubilæum indicitur à summo Pontifice, & ipsius notitia per litteras apostolicas sive bullam habetur: D. Archiepiscopus more solito litteras suas, sive mandatum edendum curat: in quo diœcesanos admonet ut accuratè se præparent ad hanc gratiam consequendam. In mandato suo inserit exemplar litterarum apostolicarum, vulgari idiomate; in illo assignat ecclesias visitandas, tam in urbe, quam in aliis locis diœcesis, sicut & preces in eisdem ecclesiis à fidelibus recitandas.

2. Die Dominicâ præcedente, per parochos, & concionatores Jubilæum publicatur, & docentur fideles quam adhibere debeant præparationem, ut fructum illius colligere mereantur.

3. De mandato D. Archiepiscopi, typis mandatur libellus precum, continens quæ agenda sunt, prout rei, & temporis ratio postulat.

Digitized by Google

4. Die statutâ, cantatur missa de Spiritu S. ritu solemni-minori, tum *Gloria* & *Credo*, sine prosa, nisi missa cantetur infrà hebdomadam Pentecostes. Dicitur unica oratio, nisi aliud statuatur mandato D. Archiepiscopi.

5. Si officium fiat de Dominica, aut festo duplici, & suprà, missa cantatur de dominica, vel de festo, cum secunda oratione de Spiritu S. si tamen aliæ dicendæ statuantur, addendæ erunt ex præscripto rubricarum missalis.

6. Ante missam, celebrans medius inter diaconum & subdiaconum, genibus flexis imponit hymnum *Veni creator Spiritus*, prosequente choro, facie conversâ ad altare. Hymno finito, celebrans stans cantat versiculum *Emitte Spiritum tuum*, deinde collectam *Deus qui corda fidelium &c.* moxque cantatur missa.

CAPUT V.

De missis & aliis officiis votivis.

1. IN omnibus Dominicis, in duplicibus-minoribus & suprà, in triduo ante pascha, infra hebdomadas Paschæ, & Pentecostes, infra octavam natalis Domini, ac in vigiliis festorum annualium, missa votiva nunquam cantatur, sub quolibet prætextu, nisi solùm pro defunctis corpore præsente, exceptis festis annualibus, solemnibus-majoribus Domini, & triduo ante paschа.

2. Ubi Dominicis diebus, & aliis suprà notatis, cantanda esset votiva, aut ex fundatione, vel devotione cujuscunque confraternitatis, dicetur missa de Dominica aut festo, non verò votiva, sed de illa fiet tantùm commemoratio, exceptis festis solemnibus-minoribus & suprà, hebdomadâ Paschæ, vigiliâ, ac primo triduo hebdomadæ Pentecostes, in quibus nulla fit commemoratio.

3. Infra octavas B. Mariæ, loco missæ votivæ de B. dicetur missa de octava occurrente.

4. Aliis diebus, in quibus haberur missa de festo etiam simplici, aut propria de feria, vel evangelium proprium, votivæ missæ, aut pro defunctis, non dicuntur sine necessitate, vel nisi sint fundatæ.

5. Diebus infrà hebdomadam, in quibus integrè missa repetenda foret, vel de Dominica, (excepto tamen Adventu,) vel de festo infrà octavam, votiva, aut pro defunctis dici potest, etiam pro missa majori.

6. Missæ votivæ de sanctis, sumuntur ex proprio sanctorum in

Digitized by Google

eorum festis, ubi habentur propriæ, mutato natalitii, aut festivitatis, seu solemnitatis nomine, in nomen memoriæ, vel commemorationis. Si autem non habeantur propriæ, sumuntur de communi.

7. Quando missa votiva indicitur à D. Archiepiscopo pro re gravi, cantatur ritu solemni-minori, cum *Gloria in excelsis* & *Credo*.

8. Missæ votivæ de SS. Sacramento, quæ dicuntur feriâ quintâ cujuslibet hebdomadæ, cantantur ritu duplici-majori, cum *Gloria in excelsis* & *Credo*, & thurificatione solemni, si SS. Sacramentum sit expositum, ut dictum est suprà cap. 1. art. 5. p. 250. alias cantantur ritu semiduplici sine *Credo*.

9. In missis votivis de SS. Trinitate, de Spiritu sancto, de B. Maria, de angelis, de sponsalibus, ac in missa, quæ dicitur pro gratiarum actione, dicitur *Gloria in excelsis*; in missis autem de cruce, de quinque plagis, seu de passione Domini, non dicitur, nisi tempore Paschali.

10. Ubi unica cantatur missa, in missis votivis fit commemoratio ejus de quo fit officium, etiam si fiat de feria per annum, iis exceptis, quæ dicuntur pro re gravi.

11. In missis votivis pro ecclesia, tempore schismatis; contra infideles, tempore belli; pro pace; pro vitanda mortalitate; pro remissione peccatorum; pro quacunque necessitate; pro iter agentibus; pro infirmis; pro infirmo in agone, & aliis missis, quæ cantantur ritu lugubri, non cantatur *Gloria in excelsis*, nec *Credo*. In eisdem, post epistolam, extra tempus Paschale, dicitur graduale sine *Alleluia*: tempore Paschali dicitur unicus versus cum tribus *Alleluia*, sine graduali.

12. Aliæ missæ votivæ cantantur ritu, qui præscriptus est in fundationibus, aut statutis cujuslibet ecclesiæ; ex præscripto tamen rubricarum missalis.

13. Officia, & missæ in festis patronorum cujuslibet confraternitatis, ut S. Claudii, vel S. Hildeverti, & similium, cantantur ritu duplici, nisi solemnior ritus præscribatur in statutis ejusdem confraternitatis.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De officio defunctorum.

ARTICULUS I.

De vesperis & vigiliis.

1. IN officio defunctorum, non dicitur versus *Domine labia*, nec *Deus in adjutorium*. Non dicuntur etiam hymni. In fine psalmorum, & canticorum, loco *Gloria Patri*, dicitur versus *Requiem aternam* unico versu, & non fit thurificatio in vesperis, vigiliis, & laudibus. Præterea in vigiliis non dicitur invitatorium, nec etiam psalmus *Venite*, præterquam in Commemoratione omnium fidelium defunctorum. Lectiones leguntur sine absolutione, benedictione, & titulo.

2. Primam antiphonam vesperarum, vigiliarum, & laudum imponit celebrans, cætera cantantur, & fiunt eodem ritu, quo in festis secundùm qualitatem officii.

3. In depositione defuncti, & in primo anniversario dicuntur vigiliæ, cum tribus nocturnis, nisi aliter notetur.

4. In depositione sacerdotum, & clericorum, exequiæ fiunt ritu solemni; chorum tenent choristæ hebdomadarii in cappis sericis, nonum responsorium cantant quatuor cantores aut alii de choro in cappis sericis.

5. Anniversaria cantantur cum unico, vel tribus nocturnis, ritu duplici, vel simplici, ut notatur in fundationibus, vel secundùm consuetudinem locorum; ultimum responsorium cantant duo cantores aut alii de choro in cappis sericis, si celebrentur ritu duplici, in simplicibus verò cantatur à choristis.

6. Quando exequiæ laicorum fiunt ritu duplici, & suprà; vigiliæ cantantur cum tribus nocturnis; si verò simplici, cantatur unicum tantùm nocturnum, sive vesperæ, vel officium inhumationis tantùm, idque ad arbitrium hæredum.

7. Quando laudes non cantantur post vigilias, celebrans, lectâ nonâ lectione, locum suum repetit, per brevem morulam sedet, deinde procedit in vestiarium, cappam sericam induit, & redit in chorum, ubi stans ad aquilam, cantat versiculum *Requiem aternam*, cum sequentibus, & orationem *Absolve*, ut in collectario, & dicto *Requiescant in pace*, redit in vestiarium cum choristis.

Digitized by Google

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

8. *In exequiis Archiepiscoporum & canonicorum Parisiensium, & in aliis officiis solemnibus defunctorum, officium cantatur ritu solemni: chorum tenent duo beneficiati in cappis laneis cum biretis: nonum responsorium cantant quatuor canonici in cappis sericis, unà cum choristis, ritu qui descriptus est suprà, pro tractu missæ Purificationis B. Mariæ parte 5, pag. 231. n. 6. &c.*

9. *Officium verò, cui intersunt curia Parlamenti, & aliæ curiæ, pro Archiepiscopis, & Regibus, & quibusdam aliis cantatur ritu solemniori, tumque ad vesperas, & missam chorum tenent præcentor, & succentor in cappis sericis, cum duobus beneficiatis in cappis laneis, ut suprà. Hi præcentorem, & succentorem respectivè comitantur, quoties aliquid annuntiant. Ad vigilias autem serò, & laudes nocte, chorum tenent iidem beneficiati soli, induti ut suprà; n. præced. nonum responsorium cantant quatuor canonici, in cappis sericis, cum eisdem choristis eodem ritu quo suprà num. 8.*

10. *In anniversariis ordinariis defunctorum, officium cantatur cum tribus nocturnis, ritu duplici; chorum tenent duo beneficiati, in cappis sericis. Responsorium* Libera me, *cum universis versibus cantant duo beneficiati sacerdotes in cappis sericis.*

11. *Lectâ nonâ lectione celebrans locum suum repetit, deinde procedit in vestiarium, ubi cappam sericam induit, & cætera perficit ut suprà num. 7.*

ARTICULUS II.

De missa defunctorum.

1. IN missâ defunctorum, celebrans non benedicit incensum antequam è vestiario procedat, nec defert crucem ad altare.

2. Subdiaconus non porrigit codicem evangeliorum celebranti, antequam incipiat missam, & dicat *In nomine Patris.*

3. Non dicitur psalmus *Judica me Deus*: sed dicto *Introibo ad altare Dei*, dicitur versus *Adjutorium &c.* moxque fit confessio.

4. In missis quæ celebrantur ritu solemni non thurificatur SS. Sacramentum, nec altare ante introitum; sed dicta oratione *Aufer à nobis*, celebrans osculatur altare more solito, procedit ad cornu epistolæ, ubi non signat se ad introitum, sed manu extensâ solus producit signum crucis super librum, sinistrâ interim super librum positâ, & legit introitum more solito, stantibus ad ejus dextram ministris.

5. Finitâ epistolâ, subdiaconus non osculatur manum celebran-

Digitized by Google

tis, nec ab eodem celebrante benedicitur (etiam in missis solemnibus.)

6. Si dicenda sit prosa, ea cantatur semper ante evangelium, & ad versum *Pie Jesu*, celebrans genua flectit in ora infimi gradus suppedanei, & chorus convertit se ad altare.

7. Diaconus ante evangelium more solito dicit *Munda cor meum*, sed non petit benedictionem, nec manum celebrantis osculatur.

8. Ad evangelium non defertur incensum.

9. Lecto evangelio, subdiaconus celebranti non porrigit librum ad osculandum.

10. Ministri, cum aliquid porrigunt celebranti, aut ab eo recipiunt, rem tradendam, aut acceptam non osculantur, nec manum celebrantis.

11. Subdiaconus, antequam infundat aquam in calicem, non dicit *Benedic pater*, nec offert illam celebranti ad benedicendum.

12. Si fiat oblatio cleri, vel populi, celebrans, impósito à choristis offertorio, convertit se ad chorum, & dum porrigit patenam ad osculandum, dicit accedentibus *Requiescant in pace*, & singuli respondent *Amen*.

13. Si missa celebretur ritu solemni, celebrans post oblationem populi, & orationem *Veni sanctificator*, incensat oblata, SS. Sacramentum, & altare dicens more solito *Incensum istud*, & solus incensatur à diacono. Ad elevationem SS. hostiæ & calicis thurifer ritus incensat. In aliis missis nulla fit thurificatio.

14. In fine psalmi *Lavabo* omittitur *Gloria Patri &c.*

15. Ad *Agnus Dei* non percutitur pectus, omittitur etiam oratio *Domine Jesu Christe qui dixisti apostolis pacem relinquo vobis &c.* nec pax datur.

16. Dicto *Placeat*, celebrans osculatur altare more solito, non dat benedictionem; sed statim descendit in planum, genua flectit in ora infimi gradus, & redit in vestiarium, dicens evangelium *In principio*. Cætera fiunt more solito.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

17. *In missis solemnibus quæ cantantur in die obitûs Archiepiscoporum, & canonicorum Parisiensium, & quorumdam aliorum; epistolam & evangelium cantant duo canonici respectivè rogati; tractum cantant quatuor canonici in cappis sericis unà cum duobus beneficiatis eodem ritu, qui descriptus est suprà part. 5. pag. 231. num. 6. &c. in festo purificationis B. Mariæ.*

18. *In missis solemnioribus pro Archiepiscopis, Regibus, & aliis*

Digitized by Google

quibus intersunt curiæ, ministrant quatuor induti. Epistolam et evangelium respectivè cantant duo canonici: tractum cantant quatuor canonici in cappis cum beneficiatis choristis, sedentibus præcentore & succentore.

19. *Post missam cantatur responsorium..... aspergitur & thurificatur cænotaphium ut notatur in rituali ejusdem ecclesiæ.*

CAPUT VII.

De exequiis.

1. SAcras cæremonias, quibus ex antiquissima traditione, & summorum Pontificum institutis, sancta mater Ecclesia catholica, in filiorum suorum exequiis uti solet, tanquam veræ religionis mysteria, christianæque pietatis signa, & fidelium defunctorum saluberrima suffragia præpositi ecclesiarum summo studio servare debent, atque usu retinere.

2. His præstandis, quâ par est modestiâ, ac devotione, ita se habebit clerus, ut ad defunctorum salutem, simulque ad vivorum pietatem, ejusmodi ritus instituti esse videantur.

3. Illud autem quod antiquissimi est instituti, quantum fieri poterit, retineatur, ut missa, præsente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur, exceptis triduo ante pascha, annualibus, & solemnibus majoribus Domini, quibus diebus, etiam corpore præsente, missa de defunctis celebrari non potest, sed tunc serò, si sepultura urgeat, corpus terræ mandabitur; missa verò solemniter celebrabitur proximâ die non impeditâ.

4. Si quis die festo minùs solemni, vel dominicâ sit sepeliendus, missa solemnis pro defunctis, præsente corpore celebrari poterit; dum tamen major missa, & officia divina de officio diei non impediantur.

5. Itaque quamprimùm aliquis diem clauserit extremum, dicetur commendatio animæ post decessum ut infrà: de mandato præpositi ecclesiæ, majori campanâ dabitur signum decessûs, maximè pro clericis, ut fideles, sonitu campanæ moniti, Deum precentur pro anima recens è corpore egressa. Curabitur corpus defuncti. Eadem die, si fieri possit, cantabuntur vesperæ, & vigiliæ defunctorum; die sequenti cantabuntur laudes, commendationes animarum, ubi consueverunt decantari, corpus deferetur ad ecclesiam: missa celebrabitur corpore præsente, & post illam corpus terræ mandabitur ordine infrà scripto.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De commendatione animæ post decessum.

QUamprimùm aliquis obierit, sacerdos genibus flexis dicet responsorium *Subvenite*, cum precibus, & oratione *Tibi Domine commendamus animam &c.* ut in rituali pag. 239.

ARTICULUS II.

De curando corpore defuncti.

1. FAmiliares defuncti curabunt opportunis remediis, ut corpus defuncti sine fœtore usque ad præstitutum tempus sepulturæ servari possit.

2. Ad pedes defuncti collocabuntur crux, imagine versâ ad caput defuncti, aquâ benedictâ, & unus saltem cereus accensus.

3. Præpositus ecclesiæ curabit ut (quantum fieri poterit) aliqui ex clericis ecclesiæ permaneant ad corpus defuncti, donec sepulturæ tradatur; & eos potissimum providebit, qui & defuncto sint in subsidium, & vivis in solatium & exemplum.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

4. *Ubi D. Archiepiscopus vel canonicus Parisiensis obierit, pulsatur campana nomine* Gabriel: *juxta corpus defuncti duo ex beneficiatis, aut aliis ecclesiæ clericis, successivè diu noctuque recitant alternatim officium defunctorum, septem psalmos pœnitentiales, & integrum psalterium: & pluries ita repetunt, si opus sit, attendentes, ut qui succedunt prosequantur psalmos, vel alias preces ab eo loco, in quo præcedentes cessaverunt.*

5. Idem observandum in majoribus ecclesiis circa corpora defunctorum clericorum, quantùm fieri poterit; in minoribus autem ecclesiis singuli sufficient per vices.

6. Horâ ab obitu circiter vigesimâ, corpus syndone involutum mittetur in feretrum, & super illud expandetur pannus mortuorum, deinde corpus è cubiculo ad januam domûs, aut ad alium locum constitutum efferetur; crux super mensam vel scabellum ad caput collocabitur, & circa feretrum quatuor, vel plura candelabra, cum totidem cereis ardentibus disponentur, vel pro pauperibus unum saltem candelabrum, cum cereo ardente collocabitur ad pedes, & vas aquæ benedictæ, cum aspergillo.

7. Interim in ecclesia præparabuntur omnia necessaria pro exequiis. In omni officio defunctorum & exequiis adultorum & adul-

Digitized by Google

tarum color niger ad altare, & in cúnctis ornamentis ministrorum adhibeatur; in exequiis verò parvulorum usque ad annos septem color albus.

8. Caveant sacristæ, ne pallia, & ornamenta altarium adhibeant ad ornatum feretri.

Articulus III.

De vesperis, vigiliis, & laudibus.

EAdem die quâ defunctus expiraverit, si fieri possit, cantabuntur vesperæ, & vigiliæ defunctorum, cum tribus nocturnis, maximè pro sacerdotibus, & clericis, ritu qui dictus est suprà cap. 6. art. 1. p. 277. laudes verò cantabuntur die sequenti, post laudes diei.

Articulus IV.

De commendationibus animarum.

1. UBi in exequiis defunctorum commendationes consueverunt cantari ante missam, celebrans indutus amictu, albâ, cingulo, manipulo & stolâ decussatâ, stans ad bancam, nudo capite, imponit responsorium *Subvenite*, choro prosequente. In fine responsorii dicitur *Kyrie eleison*, cum *Pater noster*, & orationibus *Tibi Domine commendamus*, & *misericordiam tuam*, ut in rituali.

2. Deinde impositâ antiphonâ *Suscipiat*, cantatur psalmus *In exitu Israel de Ægypto*, in cujus fine dicitur *Requiem*, antiphona *Suscipiat &c.* cum oratione *Omnipotens sempiterne Deus*, ut in rituali.

3. Postea impositâ antiphonâ *Chorus angelorum*, cantantur psalmi *Dilexi*, *Credidi*, *Laudate Dominum omnes gentes*, *Confitemini Domino*, & *Beati immaculati in via*, sub uno *Requiem æternam*. Interim sedent omnes, demissis sedibus, operto capite.

4. Cantatâ antiphonâ, omnes detegunt caput & surgunt, tumque cantatur oratio *Diri vulneris*, cum sequentibus, iisque finitis, celebrans redit in vestiarium.

Articulus V.

De funere adultorum.

1. COnstituto tempore, quo corpus ad ecclesiam deferendum est, campanis convocatur clerus, & alii qui funeri interesse debent, & in ecclesiam conveniunt; tumque omnes de clero modestè, & in silentio bini & bini procedunt ad domum defuncti, clerico crucem processionalem præferente.

2. Cum ventum est ad locum ubi jacet corpus defuncti, cele-

Digitized by Google

brans, habitu chori, & ſtolâ nigrâ ornatus, ſiſtit ſe ad pedes defuncti, medius inter clericum, qui vas aquæ benedictæ defert, & clericum, qui geſtat rituale; deinde nudo omnino capite, accipit de manu clerici aſpergillum & corpus aſpergit aquâ benedictâ in modum crucis, primo versùs caput & pedes defuncti: 2. à dextris: & 3. à ſiniſtris ipſius cantans *Requieſcat in pace* annuntiante priùs primo choriſtâ.

3. Deinde primo choriſtâ imponente, cantatur alternis choris Pſalmus *De profundis*, & in fine *Requiem æternam dona ei Domine &c.* unico verſu. Finito pſalmo celebrans cantat *Requieſcat in pace*, cum precibus, & oratione ut in rituali, deinde dicens *Requieſcat in pace*, & iterum corpus aſpergit: poſtea mediocri voce dicit *Suſcipiat te chriſtus &c.*

4. Impoſito reſponſorio *Libera*, corpus defertur ad eccleſiam hoc ordine. Procedunt 1. qui funalia deferunt: 2. collectifer: 3. ceroferarii: 4. pueri niſi candelabra deferant circâ corpus: 5. clericus geſtans crucem: 6. cæteri de clero, inter quos in parochiis clericus fabricæ defert vas aquæ benedictæ: 7. clericus ſive qui minorem crucem defert: 8. celebrans: 9. qui feretrum vectibus portant. Si defunctus fuerit ſacerdos, vel in ſacris conſtitutus, quatuor digniores de choro, quatuor angulos panni mortuorum deferunt. Feretrum hinc & inde comitantur pueri, vel clerici, qui candelabra cum cereis accenſis geſtant, licet defunctus fuerit ſacerdos.

5. Cum ad eccleſiam funus acceſſerit, qui funalia deferunt, ad utramque partem navis ſe ſiſtunt, cedentes locum funeri tranſeunti, & clerus in choro, vel in navi conſiſtit, ſecundum conſuetudinem locorum. Ad ingreſſum eccleſiæ, celebrans nudo omnino capite accipit de manu clerici aſpergillum, & corpus defuncti aquâ benedictâ aſpergit in modum crucis, dicens ſine cantu *Aperite mihi &c.* ut in rituali, deinde corpus deponitur in loco præparato, pedibus defuncti ad altare verſis, & circa corpus candelabra cum cereis accenſis diſponuntur.

6. Poſtea, quantum fieri poterit, cantabitur miſſa.

7. Si ſepultura fiat extra horam celebrandi miſſam, vel horis matutinis miſſa pro defuncto propter aliquam cauſam celebrari non poſſit, & aliquod officium, præter officium inhumationis, ſit in eccleſia faciendum, ab hora poſt meridiem prima, uſque ad decimam, dicentur veſperæ defunctorum; à decima uſque ad quartam matutinam, dicetur unum nocturnum, ſecundùm feriam, ita tamen ut Dominicâ, & feriâ ſecundâ, ac quintâ, pro primo

Digitized by Google

responsorio dicatur responsorium *Ne recorderis &c.* loco responsorii *Qui Lazarum.* Post responsorium, celebrans nudo omnino capite dicet versiculos *Requiem æternam dona ei Domine, Requiescat in pace. Domine exaudi &c. Dominus vobiscum* & orationem *Absolve quæsumus Domine animam famuli tui* N. (vel *Sacerdotis*, vel *Pontificis*, vel *famulæ tuæ* N.) *abomni vinculo delictorum; ut in resurrectionis gloria, inter sanctos & electos tuos resuscitatus*, (vel *resuscitata*) *respiret : per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. Requiescat in pace.* Ab hora quarta matutina dicentur laudes ut in rituali, sed versicul post *Benedictus* dicentur in singulari numero.

Articulus VI.

De Missa in die obitûs defuncti.

1. Deposito in ecclesia corpore, cantatur missa eodem ritu, quo vigiliæ defunctorum.

2. Si cantetur prosa *Dies iræ*, post tractum, & ante evangelium eam cantant in majoribus ecclesiis quatuor de choro in cappis sericis, hoc ordine. Primam & ultimam strophen cantant quatuor in simul, secundam, duo qui stant à parte dextra, tertiam qui à sinistra, & sic de reliquis. In minoribus ecclesiis cantatur ut suprà de choro à duobus, & choristis ; vel à choro, per alternas vices, secundùm consuetudinem locorum.

3. In quibusdam ecclesiis, cerei distribuuntur singulis de clero, qui illos accensos gestant, dum corpus defertur ad ecclesiam, ad evangelium, ad oblationem, ad elevationem SS. Sacramenti, & quando corpus effertur ad sepulturam. Præterea in exequiis solemnibus fit oblatio cleri. Celebrans singulis accedentibus patenam offert ad osculandum, sacerdotibus quidem, diaconis & subdiaconis in parte concava, aliis autem in parte convexa, dicens *Requiescat in pace*, cui singuli respondent *Amen*: deinde in exequiis sacerdotum, & clericorum, tres sacerdotes, vel clerici offerunt respectivè cereum accensum cum denariis, panem, & vinum; in aliis offerunt laici.

4. Interim cantatur mensura graviori offertorium *Domine Jesu Christe*, cum versu *Hostias, & preces.*

5. In minoribus exequiis fit tantum oblatio cerei cum denariis, & panis, ac vini.

6. Si habenda sit oratio funebris habebitur post evangelium, & non peretur benedictio.

7. Cætera fiunt, ut dictum est suprà cap. 6. art. 2.

Digitized by Google

ARTICULUS VII.

De officio inhumationis sacerdotum.

1. POst missam, celebrans in cornu evangelii dicit evangelium *In principio*, & adjuvante sacristâ, casulam exuit, & cappam induit.

2. Interim omnes de clero accedunt ad feretrum, & ab utraque parte se sistunt, ita ut juniores sint versùs altare.

3. Celebrans descendit in planum, ubi, medius inter diaconum & subdiaconum genua flectit in infimo gradu, & profundè inclinat.

4. Deinde ceroferarii, & post illos acolythus, qui defert crucem, procedunt ad feretrum; crucifer medius inter ceroferarios, sistit se ad caput defuncti, facie crucifixi ad defunctum versâ, celebrans verò medius inter diaconum, thuriferarium, clericum qui defert vas aquæ benedictæ, & primum choristam à dextris, & subdiaconum & clericum qui defert collectarium, & secundum choristam à sinistris, stantes in modum hemicycli sistit se ad pedes.

5. His ita dispositis, celebrans nudo omnino capite æstate cantat sine oremus in tono horarum *Non intres in judicium &c.* ex libro, quem sustinet ante illum clericus.

6. Finitâ oratione *Non intres*, choristæ imponunt responsorium *Ne recorderis* choro prosequente.

7. Circa finem responsorii, celebrans imponit, & benedicit incensum, ministrantibus diacono, & thuriferario, ut moris est, sed sine osculis.

8. Post finitum responsorium, choristæ incipiunt *Kyrie eleison &c.* deinde dicitur secretò *Pater noster.*

9. Interim celebrans accipit aspergillum à diacono sine osculis, & factâ profundâ inclinatione versùs altare, circuit feretrum aspergens ter à parte dextra, & ter à sinistra, diacono, & subdiacono, partes anteriores cappæ à dextris, & à sinistris elevantibus. Transiens ante crucem processionalem profundè inclinat, ficut & diaconus & subdiaconus, deinde reversus ad locum suum aspergillum reddit diacono, qui illud reddit clerico: tunc thuribulum accipit de manu ejusdem diaconi sine osculis, deinde incensat corpus ter à parte dextra, & ter à parte sinistra eodem ritu quo asperfit, & thuribulum reddit diacono.

10. Celebrans, reversus ad pedes defuncti, cantat *Et ne*

Digitized by Google

nos inducas cum versiculis in numero singulari, & oratione *Deus cui soli &c.* ut in rituali.

11. Dictâ oratione, choristæ incipiunt responsorium *Qui Lazarum*, quod prosequitur chorus, tumque corpus effertur ad tumulum.

12. Depositò ad tumulum corpore, qui crucem defert, stat ad caput defuncti, facie crucifixi ad defunctum versâ, celebrans ad pedes, ut suprà, & clerus ab utraque parte.

13. Post finem responsorii, choristæ incipiunt *Kyrie eleison*, deinde dicitur secretò *Pater noster*.

14. Interim celebrans de loco suo aspergit in modum crucis primò tumulum, secundò feretrum, tum triplici ductu incensat tumulum, deinde feretrum, diacono thuribulum ministrante ut suprà; deinde cantat *Et ne nos*, cum sequentibus versiculis, & oratione, *Debitum humani generis &c.* ut in rituali.

15. Posteà cantatur psalmus *De profundis*. Interim corpus in fossam demittitur.

16. Demisso in terram corpore, celebrans, acceptâ de manu diaconi palâ semel dicit *Revertitur pulvis &c.* terram ter projicit super corpus in modum crucis, deinde illud aquâ aspergit in tumulo.

17. In fine psalmi, dicto *Requiem*, celebrans cantat versiculos *Requiescat in pace, Domine exaudi &c.* & orationem *Omnipotens sempiterne Deus &c* & in fine subdens versiculum *Animæ omnium defunctorum &c.* tumulum aspergit in modum crucis, moxque præcedente clero in vestiarium revertitur.

18. Quando officium inhumationis fit post vesperas, nocturnum, vel laudes, celebrans, indutus stolâ, & cappâ sericâ nigri coloris, nudo omnino capite eadem peragit, quæ suprà, ministrantibus exorcistâ ad aspersionem, & thuriferario ad thurificationem ut suprà.

Articulus VIII.

De officio inhumationis ordinario.

1. Post missam, vel aliud officium ut suprà art. 5. & 7. celebrans cappa indutus, stans ad caput defuncti, cantat *Non intres*, clerico, qui defert crucem stante ad pedes.

2. Dicto *Non intres*, choristæ imponunt responsorium *Qui Lazarum*, moxque corpus effertur.

3. Depositò ad tumulum corpore, qui crucem defert, sistit se ad pedes defuncti, facie crucifixi ad defunctum versâ, celebrans ad caput, & clerus ad utramque partem.

Digitized by Google

4. Post responsorium, choristæ incipiunt *Kyrie eleison*, dicitur secretò *Pater noster*, in cujus fine celebrans cantat *Et ne nos*, cum versiculis *Ne tradas bestiis, Dic anima mea*, & *Tu es spes mea*: deinde cantatur psalmus *De profundis*, vel *Miserere*, si in delatione corporis cantatus non fuerat & in fine *Requiem æternam dona ei Domine*, *& lux perpetua luceat ei.*

5. Interim celebrans aspergit tumulum, deinde feretrum, & illato in tumulum corpore, ter superinjicit terram in modum crucis, dicens *revertitur pulvis* ut suprà art. 7. num. 16. deinde aspergit corpus in tumulo.

6. Post psalmum, celebrans cantat versiculos *Requiescat in pace*, *Domine exaudi*, *Dominus vobiscum*, & orationem *Omnipotens sempiterne Deus &c.* & in fine subdens *Anima omnium &c.* ut in rituali, tumulum aspergit in modum crucis, deinde revertitur in vestiarium, ut suprà art. 7. n. 17.

7. Quando, sepulto corpore, missa in sequentem, vel aliam diem transfertur, post missam non dicitur ampliùs *Non intres*, sed clero stante in circuitu cenotaphii vulgò *Representation*, ut suprà art. 7. n. 2. cantatur responsorium *Libera me* cum versu *Creator omnium*, & reclamatione *Quando cæli* usque ad *Sæculum per ignem* inclusivè, versibus aliis omissis &c. deinde *Kyrie*, postea dicitur secretò *Pater noster*: interim celebrans, si officium fiat ritu solemniori, cenotaphium circumeundo aspergit, & thurificat, ut suprà art. 7. num. 9. deinde cantat versiculos *Et ne nos*; *In memoria æterna. A porta inferi. Credo videre.* ut in rituali in fine laudum pag. 299. tum cantatur psalmus *De profundis*, eoque finito, celebrans cantat *Requiescat in pace*, *Domine exaudi*, *Dominus vobiscum*, & orationem *Absolve*, cum conclusione *Per eum qui venturus est*, ut suprà pag. 283. art. 5. n. 8. deinde versiculum *Requiescat in pace.*

Articulus IX.

De officio depositionis defuncti.

IN ECCLESIA METROPOLITANA.

1. *Ante missam cantantur commendationes animarum ut suprà* 282. *& circa finem illarum, videlicet dum dicitur oratio* Partem beatæ resurrectionis &c. *duo beneficiati choristæ in cappis laneis cum biretis, præcedentibus puero cum vase aqua benedicta, & ceroferariis cum cereis accensis intrant in chorum, more solito altare & chorum salutant & accedunt ad bancam; ceroferarii sistunt*

Digitized by Google

se ad utramque oram hanc, facie ad se invicem versâ.

2. *Finitis commendationibus, celebrans cantat* Non intres &c. *deinde imponentibus choristis cantatur responsorium* Subvenite.

3. *Post finem responsorii choristæ imponunt* Kyrie eleison, *prosequente choro, deinde celebrans cantat orat.* Deus cui omnia vivunt &c.

4. *Postea cantatur responsorium* Antequam nascerer, *imponentibus iisdem choristis & in fine* Kyrie eleison, *tum sacerdos cantat orat.* Fac quæsumus.

5. *Finitâ orat. dicitur secretò* Paternoster, *in cujus fine celebrans cantat* Et ne nos inducas, *cum versiculis & oratione* Inclina &c.

6. *Tum omnes genua flectunt, celebrans & choristæ ponè bancam, ceroferarii depositis humi candelabris facie ad se invicem versâ; ad dextram primi ceroferarii puer de vase aquæ benedictæ, & utroque choro ad se invicem verso cantantur recto voce tono septem psalmi pœnitentiales & in fine ultimi psalmi tantùm dicitur* Requiem æternam.

7. *Finitior psalmis dicitur antiphona* Intret, *deinde* Kyrie eleison, *cum precibus & orationibus* Absolve & Fidelium *ut in rituali ejusdem ecclesiæ, deinde præcedentibus ceroferariis celebrans & choristæ redeunt in vestiarium.*

8. *His peractis proceditur ad domum defuncti & corpus defertur ad ecclesiam. Si defunctus fuerit Archiepiscopus vel canonicus Parisiensis, quatuor ex dignioribus, quatuor angulos panni mortuorum deferunt.*

9. *Post depositum in choro corpus defuncti cantatur missa, eaque finita, imponentibus choristis cantatur responsorium* Qui Lazarum; *deinde psal.* Miserere & De profundis.

10. *Interim corpus effertur ad tumulum, ubi aspergitur à celebrante & cætera ut in rituali ejusdem ecclesiæ.*

Articulus X.

De translatione corporis in aliam ecclesiam.

1. Quando corpus in aliam ecclesiam à clero transferendum est, dicto *Non intres*, clerus ad eam ecclesiam procedit, eodem ordine quo suprà art. 5. cantando responsorium *Qui Lazarum.* Si responsorium non sufficiat, dicetur psalmus *Domine ne in furore*, & ubi opus erit, reliqui psalmi pœnitentiales cantabuntur, & in fine cujuslibet psalmi dicetur *Requiem æternam.*

2. Clerus ingressus navim ecclesiæ, in quam corpus transferetur, cantat psalmum *De profundis*, quo dicto, parochus defuncti, aut qui vices illius agit, cantat versiculum *Requiescat in pace*, *Domine*

Digitized by Google

mine exaudi, Dominus vobiscum, & orationem *Absolve*, ut suprà art. 5. n. 8.

3. Postea idem parochus, brevi ad pietatem compositâ oratione, latinè alloquetur præpositum ecclesiæ, in quam corpus transfertur, eâque ipsi testabitur defunctum, seu defunctam in fidei catholicæ professione, & ecclesiæ communione (perceptis etiam sacramentis) obiisse, rogabitque, ut velit ipsi concedere ecclesiasticam sepulturam, ut in rituali habetur pag. 314.

4. Tunc præpositus ecclesiæ, eâdem linguâ respondebit se votis ejus facturum satis.

5. Recedente clero qui corpus obtulit, præpositus ecclesiæ, in quam translatum est corpus, incipiet officium inhumationis ab his verbis *Non intres*, ut in rituali, nisi fortè sit aliud officium agendum, ut dictum est suprà art. 5. num 8.

6. Quando corpus in aliam ecclesiam sine clero transfertur, dicto *Non intres*, cantatur responsorium *Qui Lazarum*, & proceditur ad rhedam.

7. Ad januam ecclesiæ cantatur *Kyrie*, deinde secretò *Pater noster*, postea celebrans cantat versus *Et ne nos, Domine exaudi, Dominus vobiscum*, & orationem *Absolve*, cum conclusione *Per eum qui venturus est*, & in fine subdit versum *Animæ omnium*.

8. Tum infertur corpus in rhedam, aspergitur à pastore, & recedit clerus.

9. Sacerdos à parocho delegatus, cum superpelliceo & stolâ nigra intrat in rhedam, & cum venerit ad ecclesiam, in quam transfertur corpus, præpositum alloquetur, testabiturque ut suprà num. 3.

Articulus XI.

De exequiis parvulorum.

1. Post obitum parvuli, horâ constitutâ, clerus ad locum, ubi jacet corpus, procedit eodem ordine, quo suprà art. 5. num. 1.

2. Cum clerus pervenit ad locum, celebrans, stolâ albi coloris ornatus, stans ad pedes defuncti, aspergit corpus aquâ benedictâ in modum crucis, & dicit altâ voce versum *Sit nomen Domini &c.*

3. Deinde recitatur alternis choris psalmus *Laudate pueri Dominum*, cum versu *Gloria Patri*.

4. Finito psalmo, celebrans dicit versus *Me autem &c. Domine exaudi, Dominus vobiscum*, & orationem *Omnipotens & mitissime Deus*, deinde aspergit corpus aquâ benedictâ, dicens medio-

Digitized by Google

cri voce *Accipiet benedictionem &c.* ut in rituali.

5. Tum defertur corpus ad ecclesiam. Interim cantatur responsorium *Credo quod redemptor &c.* ut suprà art. 5. num 4. 5. & 6. Si non sufficiat, cantatur psalmus *Cœli enarrant*, cum versu *Gloria Patri* in fine.

6. In ingressu ecclesiæ, celebrans aspergit corpus aquâ benedictâ dicens *Aperite mihi portas.*

7. Si celebretur missa, dicetur de SS. Trinitate, cum ornamentis albi coloris.

8. Post missam, vel si nulla celebretur, post ingressum in ecclesiam, celebrans imponit antiphonam *Sinite*, deinde primo choristâ inchoante cantatur canticum *Benedicite*, cum psalmis *Laudate Dominum de cœlis*, *Cantate Domino canticum novum*, *Laudate Dominum in sanctis ejus*, & in fine cujuslibet psalmi dicitur *Gloria Patri*, & post psalmos cantatur antiphona *Sinite.*

9. Postea effertur corpus ad tumulum, cantando responsorium *Salvos nos fecit*, ut in rituali.

10. Deposito ad tumulum corpore, stant omnes circa illud ut suprà art. 8. num. 3. primus choristа imponit *Kyrie eleison*, deinde dicitur secretò *Pater noster*, in cujus fine celebrans cantat *Et ne nos inducas* cum versibus *Anima nostra*, *Laqueus contritus est*, *Ex ore infantium*, deinde cantatur psalmus *Domine Dominus noster.*

11. Interim celebrans aspergit tumulum, & illato in tumulum corpore, super illud ter superinjicit terram in modum crucis, dicens semel *Revertitur pulvis &c.* & corpus aspergit in tumulo.

12. Finito psalmo, celebrans cantat versum *Domine exaudi*, *Dominus vobiscum*, & orationem *Omnipotens sempiterne Deus sancta puritatis amator &c.* ut in rituali; deinde tumulum aspergit in modum crucis. Postea dicit *Anima omnium fidelium &c.*

Digitized by Google

CÆREMONIALIS PARISIENSIS

PARS SEPTIMA.

DE MINISTRIS,

CAPUT PRIMUM

DE OFFICIO SACERDOTIS celebrantis.

ARTICULUS PRIMUS.

De officio sacerdotis ad vesperas,

1. DAtis ad vesperas signis, sacerdos celebrans stans in stallo suo, dicit secretò *Pater* & *Ave*: deinde nudo omnino capite, & facie ad altare versâ, inchoat *Deus in adjutorium*, Eodem ritu, psalmis & antiphonis finitis, dicit capitulum, deinde mediocriter inclinat.

2. In ecclesiis, in quibus est major cleri numerus, & amplior chori ambitus, ut in ecclesia metropolitana, in semiduplicibus & suprà, celebrans, ad tertiam hymni strophen, è choro procedit in vestiarium, unde, acceptâ cappâ, nudo omnino capite accedit ad altare, SS. Sacramentum &c. thurificat, ritu qui descriptus est suprà parte primâ, cap. 14. de thurificatione, & accedens ad bancam, sistit se in medio choristarum.

3. In aliis ecclesiis, in quibus minor est chori ambitus, celebrans imponit antiphonam ad *Magnificat*, procedit in vestiarium, ubi acceptâ cappâ, pergit ad altare, SS. Sacramentum &c. thurificat, ut suprà parte 1. cap. 14. de thurificatione, & accedit ad bancam ut suprà n. 2.

4. Finitâ antiphonâ post *Magnificat*, stans ad aquilam nudo omnino capite, cantat *Dominus vobiscum*, & orationem &c. se-

Digitized by Google

cundùm rubricas breviarii; deinde descendit ad bancam, ubi stans medius inter choristas, dicit sine cantu versiculum *Fidelium anima &c.* deinde procedit ad superiorem partem chori; ubi, medius inter choristas, altare & chorum profundè inclinans salutat, & præcedens choristas (in parochialibus vero ecclesiis ipsos sequens) redit in vestiarium.

5. Quando post vesperas fit statio, impositò à choristis responsorio vel antiphonâ, in navim primus procedit post ceroferarios, ut in metropolitana & aliis ecclesiis, in quibus cantores incedunt inter primos ordines; ubi verò cantores procedunt inter postremos ordines, ut in parochialibus, ultimus omnium incedit. Imaginem beatæ Mariæ virginis vel crucem, secundùm consuetudinem locorum, stans nudo omnino capite incensat profundè inclinans ante & post: orationes &c. nudo omnino capite cantat stans inter pueros & choristas, ut in metropolitana & aliis; in parochialibus verò stans ponè choristas.

6. In festis simplicibus, & feriis, stans ad aquilam sine cappa nudo omnino capite dicit orationes &c. deinde ℣. *Deus in adjutorium*, pro vesperis officii parvi B. Mariæ, ubi, & quando dicitur.

7. Quando dicuntur preces flexis genibus, celebrans, conversus ad chorum, illas cantat nudo omnino capite, & genibus flexis in stallo suo. Ad ℣. *Exurge*, descendit ad aquilam, & ibi stans dicit collectas, & cætera perficit ut suprà n. 6.

8. Ubi dicitur officium parvum B. Mariæ, sacerdos collectas ejusdem officii &c. nudo omnino capite, stans in stallo suo, & versâ facie ad altare cantat.

Articulus II.

De officio sacerdotis ad completorium.

1. AD completorium, celebrans in stallo suo, nudo omnino capite, & conversus ad altare inchoat ℣. *Converte nos*, & *Deus in adjutorium*. Ad *Sicut erat*, uni ex vicinis sacerdotibus annuntiat psalmum intonandum de octavo tono, aut alio, inclinans minori inclinatione ante & post.

2. Post *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine*, conversus ad chorum, nudo omnino capite, imponit antiphonam, & mediocriter inclinat. Eodem modo, finitis psalmis, imponit hymnum.

3. Hymno finito, stans nudo omnino capite conversus ad altare dicit capitulum deinde mediocriter inclinat.

4. Ad ℣. *Custodi nos*, uni ex vicinis sacerdotibus annuntiat

Digitized by Google

canticum *Nunc dimittis*, de tertio, vel alio tono, & finito versu, imponit antiphonam *Salva nos*, aut aliam.

5. In duplicibus, & suprà, & quoties non dicuntur preces, circa finem antiphonæ accedit ad bancam, id est ante medium bancæ, ibique stans nudo omnino capite cantat orationem.

6. In semiduplicibus & infra, quoties cantantur preces, & non flectantur genua, stans ad bancam ut suprà cantat *Kyrie eleison* cum versiculis sequentibus, confessionem facit, dicit *Misereatur* & *Indulgentiam*, voce submissâ, quæ audiri possit à choro, versiculum *Dignare* cum sequentibus, & orationem cantat &c. Deinde voce submissâ, dicit *Benedicat* &c. Quando dicitur officium parvum B. Mariæ, dicto *Benedicamus* ibidem stans inchoat *Converte nos*, & *Deus in adjutorium* pro completorio officii parvi B. Mariæ.

7. Quando dicuntur preces flexis genibus, illas nudo omnino capite, genibus flexis in stallo suo, facie ad chorum versa cantat, & confessionem facit, deinde stans in eodem stallo, conversus ad altare, cantat *Dominus vobiscum*, orationem &c. Posteà inchoat *Converte nos*, pro completorio beatæ Mariæ, ubi & quando dicitur.

8. Ubi dicitur officium parvum beatæ Mariæ virginis, celebrans stans in stallo suo, & nudo omnino capite cantat orationem officii parvi de beata Maria; cætera perficit ut suprà n. 2. 3. & 4.

9. Ubi post officium dicitur antiphona B. Mariæ, illam celebrans imponit stans in eodem loco, in quo cantavit orationem *Visita*, vel collectam completorii de B. Mariâ.

ARTICULUS III.

De officio sacerdotis celebrantis, ad officium nocturnum.

1. DIctis secretò *Pater*, *Ave*, & *Credo*, stans in stallo suo, nudo omnino capite, & conversus ad altare, inchoat *Domine labia mea aperies*, & *Deus in adjutorium*; deinde mediocriter inclinat.

2. In solemnibus & suprà, celebrans unà cum alio sacerdote adjutore, indutus cappâ, SS. Sacramentum thurificat in principio primi psalmi cujuslibet nocturni, ritu, qui descriptus est suprà 1. part. cap. 14. de thurificatione. art. 2.

3. Finito versiculo cujuslibet nocturni, dicit secretò *Pater noster* & in fine, nudo omnino capite stans conversus ad chorum cantat *Et ne nos*, deinde absolutiones, & benedictiones & mediocriter inclinat.

4. Nonam lectionem nudo omnino capite legit in semiduplicibus & suprà, nisi aliter notetur, ac etiam tertiam lectionem in officio trium lectionum, quando lectiones leguntur de homilia.

Digitized by Google

5. Canticum *Te Deum laudamus*, quando dicendum est, nudo omnino capite stans in stallo suo, & conversus ad chorum imponit. Post finitum canticum, caput omnino nudat, deinde conversus ad altare cantat versum sacerdotalem.

6. Ubi laudes-matutinæ non dicuntur immediatè post officium nocturnum, celebrans, in festis annualibus, postquam legit nonam lectionem, redit in vestiarium, cappam exuit & redit in chorum. Cantato nono responsorio, stans in stallo suo imponit canticum *Te Deum* ut suprà. In solemnibus, duplicibus, & semiduplicibus, lectâ nonâ lectione, locum suum repetit, ubi completo nono responsorio stans imponit canticum *Te Deum* ut suprà. Post ℣. *Te ergo quæsumus*, procedit in vestiarium, cappam induit, redit in chorum, nudo omnino capite altare & chorum salutat, accedit ad bancam: finito cantico, stans ad aquilam dicit versum sacerdotalem, *Dominus vobiscum*, collectam, & iterum *Dominus vobiscum*. Dicto à pueris *Benedicamus*, medius inter choristas, dicit submissâ voce, *Fidelium animæ*, & redit in vestiarium ut suprà art. 1. n. 4. In duplicibus, & semiduplicibus, quando non dicitur *Te Deum*, celebrans, dictâ nonâ lectione, locum suum repetit, & post brevem moram, pergit in vestiarium, & cætera perficit ut suprà. In simplicibus, & feriis, celebrans post tertium responsorium, vel post canticum *Te Deum*, quando dicitur, stans ad bancam nudo omnino capite dicit versum sacerdotalem ut suprà. Quando preces dicuntur flexis genibus, celebrans stans in stallo suo nudo omnino capite dicit versum sacerdotalem, deinde genibus flexis dicit *Kyrie eleison*, & preces, quæ habentur ad tertiam. Ad ℣. *Exurge* accedit ad bancam, & stans dicit *Domine exaudi*, *Dominus vobiscum*, collectam, & cætera ut suprà.

7. Ubi cappæ non deferuntur, celebrans stans ad bancam nudo omnino capite eadem cantat & perficit quæ suprà. In laudibus-matutinis, celebrans nudo omnino capite eadem cantat, & perficit quæ in vesperis, & eodem ritu.

Articulus IV.

De officio sacerdotis celebrantis ad primam.

1. Sacerdos celebrans, dictis secretò *Pater* & *Ave*, nudo omnino capite stans in stallo suo, conversus ad altare inchoat *Deus in adjutorium*, deinde mediocriter inclinat.

2. Conversus ad chorum, imponit hymnum in tono convenienti & mediocriter inclinat: ad ultimam strophen hymni, uni ex vi-

Digitized by Google

cinis sacerdotibus annuntiat psalmum de tono convenienti, inclinans minori inclinatione ante & post.

3. Hymno finito imponit antiphonam, eâque post psalmos decantatâ, nudo omnino capite conversus ad altare cantat capitulum, deinde mediocriter inclinat.

4. In duplicibus & suprà, & quoties preces non dicuntur, ad versiculum *Exurge*, accedit ad bancam, ibique stans nudo omnino capite cantat orationem.

5. In semiduplicibus, & infrà, quoties cantantur preces, & non flectantur genua, ibidem stans cantat preces, facit confessionem &c. ut suprà ad completorium.

6. In simplicibus & feriis impositâ à puero antiphonâ, celebrans nudo omnino capite stans in stallo suo facie ad chorum versâ inchoat psalmum, cantat capitulum facie uersa ad altare, deinde stans ad bancam cantat preces, ut suprà.

7. Quando dicitur officium parvum B. Mariæ, dictâ oratione *Domine Deus &c.* ibidem stans nudo omnino capite dicit *Deus in adjutorium* ad primam officii parvi, cujus capitulum, & orationem dicit in stallo suo stans nudo omnino capite, conversus ad altare.

8. Quando dicuntur preces flexis genibus, illas nudo omnino capite cantat genibus flexis in stallo suo, & facie ad chorum conversâ, facit confessionem &c. ut suprà ad completorium, deinde in eodem stallo dicit *Deus in adjutorium* ad primam officii parvi.

AD OFFICIUM CAPITULI.

1. Sedet in medio bancæ, dum leguntur Martyrologium & canones. Post lectionem martyrologii chorus non respondet *Deo gratias.*

2. Stans ad bancam nudo omnino capite cantat ℣. *Pretiosa*, orationem *Sancta Maria* & cætera, ut in breviario.

3. Finitâ lectione canonum, dicit *Adjutorium &c.* deinde submissiori voce dicit *Benedicite*, postea formans signum crucis super lectorem canonum dicit *Dominus nos benedicat &c.*

4. Ubi martyrologium legitur in capitulo, celebrans eadem cantat, & dicit stans in loco convenienti, secundùm consuetudinem, & situm locorum.

5. *In ecclesia metropolitana, quando ad primam dictæ sunt preces flexis genibus, celebrans ad lectionem martyrologii, necrologii & canonum sedet in stallo inferiori contiguo gradibus adversis aquilæ versus ambonem à parte sua. In eodem stallo stans, conversus ad chorum dicit*, ℣. Pretiosa &c.

Digitized by Google

Articulus V.

De officio sacerdotis celebrantis ad tertiam, sextam & nonam.

1. In semiduplicibus & suprà, dictis secretò *Pater* & *Ave*, stans in stallo suo nudo omnino capite & conversus ad altare inchoat, ℣. *Deus in adjutorium*; post *Alleluia* conversus ad chorum imponit hymnum in tono convenienti: circa finem ipsius, uni ex vicinis sacerdotibus annuntiat psalmum inchoandum de tono convenienti inclinans minori inclinatione ante & post. Post finem hymni conversus ad chorum imponit antiphonam & mediocriter inclinat.

2. Finitâ antiphonâ post psalmos nudo omnino capite conversus ad altare cantat capitulum & mediocriter inclinat.

3. Post responsorium breve & versiculum, nudo omnino capite stans in eodem stallo & conversus ad altare cantat orationem &c.

4. In simplicibus, & feriis, impositâ antiphonâ à puero, ab alterâ parte chori, sacerdos celebrans nudo omnino capite & facie ad chorum versâ inchoat psalmum de tono convenienti, & mediocriter inclinat.

5. Quando preces dicuntur flexis genibus, illas nudo omnino capite cantat genibus flexis in stallo suo, & conversus ad chorum, sed orationem cantat stans in stallo suo conversus ad altare.

6. Quando, & ubi officium parvum B. Mariæ dicitur, eadem, cantat in horis B. Mariæ quæ suprà num. 1. & sequentibus, & eodem ritu.

Articulus VI.

De officio sacerdotis celebrantis in missa solemni & suprà.

1. Celebrans eâ moderatione se gerat in iis quæ sunt sui muneris, ut ministri omnia decenter, modestè, & tempestivè faciant, & simul cum illo eodem temporis momento inclinare, genuflectere, & surgere commodè possint; ac nihil unquam cursim & præcipitanter agere cogantur.

2. Panem, & vinum nunquam offerat, antequam evangelium fuerit à diacono cantatum, ac etiam symbolum à choro decantatum, quando debet cantari.

3. Attendat ut quæ in missa clarâ voce dicit sine cantu, eâ voce legat, quæ cantum non interturbet. Caveat etiam ne propter ejus festinationem cantus unquam à choro præcipitetur.

Digitized by Google

§. I.

De præparatione celebrantis.

1. HOrâ convenienti, celebrans ad vestiarium se recipit, & post brevem orationem lavat manus, & paramenta de more induit, ministrante clerico.

2. Advertat hyeme, ut amictum ita aptet capiti, ut illud concinnè operiat, & super humeros fluat æqualiter.

§. II.

De egressu è vestiario, & ingressu ad altare in solemnibus & suprà.

1. PAramentis indutus convertit se ad diaconum, ab illo accipit cochlear, incensum mittit in thuribulum, reddit cochlear & signum crucis format super incensum dicens *Ab illo benedicaris &c.*

2. Crucem accipit à diacono, & tenens illam cum velo circa pedem, profundè inclinat cruci vestiarii, convertit se ad ministros, illos nudo capite salutat mediocri inclinatione, & præcedentibus ministris procedit ad altare.

3. Cum pervenit ad altare super infimum gradum suppedanei, utrumque genu flectit, crucem tradit diacono, profundè inclinat altari, surgit, & detecto capite, etiam hyeme, oblatum à subdiacono librum evangeliorum osculatur antequam incipiat *In nomine Patris &c.*

4. Ubi crucem ad altare non defert, post benedictionem incensi inclinat cruci vestiarii, convertit se ad ministros, illos salutat & tecto capite ac manibus junctis procedit ad altare, & cum ante medium illius pervenerit, æstate caput detegit, biretum tradit diacono, utrumque genuflectit, surgit, osculatur librum, &c. ut suprà n. 3.

§. III.

De principio missæ, & aliis, usque ad collectam.

1. CElebrans, postquàm librum osculatus est, hyeme caput amictu operit, profundè inclinat, incipit continuò missam junctis manibus, & facit confessionem cum ministris, hinc & inde stantibus.

2. Cum dicit *Confiteor*, profundè se inclinat, donec ministri illud incipiant. Ad verba *Vobis fratres, Et vos fratres* aliquantulùm se convertit primò ad diaconum, deinde ad subdiaconum, & ad *Meâ culpâ* ter tundit sibi pectus, sinistrâ infra illud positâ,

Digitized by Google

3. Factâ confessione, dicit *Oremus: Aufer a nobis* more solito. Antequam ascendat ad altare, oblatam à subdiacono crucem osculatur, detecto capite, etiam hyeme, dicens *Adoramus te Christe & benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum:* deinde ascendit ad medium altaris, & junctis super altare manibus, dicit *Oramus te*, & dicens *Quorum reliquiæ hîc sunt*, osculatur altare more solito.

4. Dicto *Oramus te Domine &c.* incensum immittit in thuribulum, & benedicit, ministrantibus diacono, & thuriferario; descendit in planum, in infimo gradu suppedanei genibus flexis thuribulum accipit à diacono, SS. Sacramentum thurificat, ascendit ad altare & stans illud incensat, ritu, qui dictus est suprà 1. part. cap. 14. de thurificatione art. 3. §. 2. Thurificatione finitâ, reddit diacono thuribulum, & stans in cornu epistolæ, facie ad cornu evangelii aliquantulum conversâ, thurificatur à diacono, & illi mediocriter inclinat ante & post.

5. Peractâ incensatione altaris, celebrans convertit faciem ad librum, legit introitum solus, & alternatim cum ministris dicit *Kyrie eleison.*

6. Ubi crucem non detulit ad altare, dicto *Oremus* ascendit ad altare dicens *Aufer à nobis &c.* ut suprà n. 3.

7. Cum choristæ pervenit ad altare, ut celebranti annuntiet *Gloria in excelsis*, celebrans se ad illum convertit, & mediocriter inclinans illum salutat, ante & post annuntiatum hymnum. Si verò sedeat (æstate caput detegit,) surgit & stans choristam eodem modo salutat.

8. Quando chorus cantat ultimum *Kyrie.* celebrans accedit ad medium altaris, eoque finito, intonat *Gloria in excelsis*, manus disjungens, elevans, & jungens, ac caput inclinans, more solito; deindè submissâ voce hymnum prosequitur cum ministris.

9. Posthymnum angelicum recitatum, inclinat profundè ante altare, ac statim descendit per gradus laterales epistolæ, procedit ad sedem suam, in qua sedet medius inter diaconum & subdiaconum.

10. Cum pervenit ad sedem suam, sedet, biretum à diacono accipit æstate, & caput tegit, manus super genua hinc & indè expansas tenet, & à se invicem distantes, digitis tamen junctis. Ad verba *Adoramus te, Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Jesu Christe. Suscipe deprecationem nostram*, & iterum *Jesu Christe.* mediocriter se inclinat, detecto capite æstate. Quoties celebrans operto capite sedens, à diacono, subdiacono, vel aliis salutatur, caput non detegit æstate, sed solo nutu capitis illos resalutat.

Digitized by Google

11. Ad verba *Cum sancto Spiritu*, æstate biretum tradit diacono, surgit, præcedente diacono, procedit per planum presbyterii ad medium ante infimum gradum, ibi profundè inclinat, & ascendit ad medium altaris. Eodem ritu potest sedere celebrans ad *Kyrie eleison* si per tempus liceat.

12. Quando celebrans non sedet, postquam absolvit hymnum, in medio altaris remanet nudo capite æstate.

§ IV.

De collecta, & aliis, usque ad evangelium.

1. POstquam chorus absolvit hymnum *Gloria in excelsis*, celebrans osculatur altare, convertit se ad populum, cantat *Dominus vobiscum*, deinde procedit ad cornu epistolæ, ubi cantat *Oremus*, ac subjungit collectam, vel plures, si dicendæ sint.

2. Quando subdiaconus ab ambone reversus genua ante illum flectit, celebrans sedens tecto capite (etiam æstate) manum dextram super summitatem libri imponit, illam offert subdiacono ad osculandum, deinde illum benedicit signo crucis, nihil dicens, sinistrâ interim infra pectus positâ. Si nondum sedeat, aliquantulum se ad subdiaconum convertit, sinistrâ super altare positâ, dextram libro superponit, & subdiaconum benedicit.

3. Quando diaconus genibus flexis dicit *Jube domne benedicere*, celebrans (capite detecto æstate) surgit & stans ad sedem suam dicit *Dominus sit in corde tuo &c.* diaconum benedicit, moxque manum super summitatem libri ponens, præbet illi ad osculandum in extima parte; deinde incensum benedicit more solito, dicens *ab illo benedicaris*, sedet, & æstate caput operit.

4. Dum diaconus procedit ad ambonem, celebrans surgit, & redit ad altare viâ breviori, profundè inclinat, sistit se inter medium altaris & cornu epistolæ. §. V.

De evangelio, & aliis, usque ad offertorium.

1. CUm diaconus dicit *Dominus vobiscum*, celebrans, stans inter medium altaris & cornu epistolæ, convertit se ad diaconum, junctis manibus ante pectus: eoque dicente *Initium*, vel *Sequentia sancti evangelii*, se signat pollice dextro in fronte, ore, & pectore, sinistrâ infra pectus positâ; deindejungit manus: ad verba *Gloria tibi Domine* pergitum ad medium altaris, & mediocriter inclinat, & iterū convertit se ad diaconum. Ad verba *Jesu*, & *Maria*, inclinat caput, sed aliquantò profundiùs ad nomen *Jesu*, facie ad diaconum versâ; & quando genuflectendum erit, conversus ad altare genuflectet.

Digitized by Google

2. Evangelio decantato, cum subdiaconus porrigit celebranti codicem apertum dicens, *Hæc sunt verba sancta*, celebrans osculatur librum dicens *Credo*, *& confiteor*, deindè in solemnibus minoribus, & suprà, incensatur à diacono, ut suprà §. 3. num 4.

3. Si habeatur concio inter missarum solemnia, celebrans ad illam sedet, priusquam intonet, & dicat symbolum.

4. Post concionem, vel si non habeatur concio post evangelium, celebrans accedit ad medium altaris, ubi stans præcinit symbolum, si dicendum sit, extendens & elevans manus de more, & prosequitur; ad verba *Jesum Christum*, *Maria*, *Homo factus est*, & *Adoratur*, caput inclinat: ad verba *Et vitam venturi sæculi*, se signat, deinde factâ inclinatione profunda sedet ut suprà §. 3. n. 10. In minoribus ecclesiis ubi aquila, vel locus, in quo legitur evangelium, non longè est ab altari, post lectum evangelium celebrans porrectum à subdiacono codicem evangeliorum osculatur, thurificatur à diacono, accedit ad medium altaris, ubi stans præcinit symbolum & cætera perficit ut suprà.

5. Dum in choro cantatur versus *Et incarnatus est*, celebrans caput detegit æstate, & profundè inclinat se versùs altare, usque ad finem versûs; at in tribus missis nativitatis Domini, & annuntiationis Dominicæ, genua flectit prope sedem suam, ac etiam solito profundiùs inclinat se ad verba *Et homo factus est*, & versu finito sedet ut priùs. Si fortè dum in choro cantatur *Descendit de cœlis*, celebrans nondum sedeat, descendit in planum, & superoram suppedanei flectit genua, finitoque versu surgit, altari profundè inclinat, & pergit ad sedem, ubi illicò sedet.

6. Ad verba *Et expecto resurrectionem*, redit ad altare eodem ritu, quo suprà post hymnum angelicum.

§. VI.

De offertorio, & aliis, usque ad canonem.

1. FInito symbolo in choro, vel quando non dicitur, post osculum codicis evangelii, celebrans thurificatus à diacono osculatur altare in medio, & more solito cantat *Dominus vobiscum*, tum *Oremus*, deinde legit offertorium.

2. Quando fit oblatio cleri, vel populi, celebrans, acceptâ de manu diaconi patenâ, descendit ad infimum gradum vel ad cancellos altaris, ibique stans medius inter diaconum, & subdiaconum, patenam accedentibus porrigit ad osculandum, sacerdotibus, diaconis & subdiaconis à parte concavâ, cæteris à convexâ. Si celebrans sit episcopus sedet, manum offert ad osculandum in extimâ

Digitized by Google

parte. Quando offertur panis benedicendus, celebrans illum benedicit, ut habetur ad calcem missalis, & accepto aspergillo à diacono, ter panem aspergit aquâ benedictâ, primò ante se in superiori & inferiori parte panis: secundò à sinistra sua: tertiò à dextera. Idem semper observat in simili casu.

3. Acceptis deri vel populi oblationibus, celebrans patenam reddit diacono & redit ad altare, deinde acceptâ de manibus diaconi patenâ cum hostia superpositâ, detectâque à diacono pyxide, si in ea sint particulæ consecrandæ, offert hostiam solus; ac deinde deponit patenam ad dextram aliquantulum sub corporali, & jungit manus. Cum subdiaconus dicit *Benedic pater*, celebrans, facie ad illum aliquantulum conversâ, & manu sinistrâ super altare positâ, producit dextrâ signum crucis super aquam dicens *Deus qui humanæ substantiæ &c.* tum manus jungens, prosequitur orationem: deinde porrectum à diacono calicem accipit ambabus manibus. Post hæc elevatis oculis, dicit *Offerimus* & cætera more solito prosequitur.

4. Dicto *Veni sanctificator*, benedicit incensum, thurificat oblata, SS. Sacramentum, & altare, ut suprà part. 1. cap. 14. de thurificatione §. 5. & lavat manus more consueto art. 3.

5. Post lotas manus, redit ad medium altaris, ubi de more dicit *Suscipe sancta Trinitas*, ac posteà conversus ad populum dicit *Orate fratres &c.* deinde hyemali tempore declinat amictum super collum & dicit orationem, vel orationes secretas. Perveniens ad conclusionem secretarum, cantat præfationem, ut habetur in missali.

§. VII.

De canone, & aliis, usque ad communionem.

FInitâ præfatione, & dicto *Benedictus qui venit in nomine Domini*, celebrans incipit canonem, & prosequitur ut in missis sine cantu, attendens ut verba consecrationis super hostiam non proferat ante finitum cantum in choro.

2. Post dictam orationem *Domine Jesu Christe qui dixisti Apostolis tuis*, celebrans osculatur altare, deinde porrectum à diacono pacis instrumentum osculatus, dat pacem diacono dicens *Pax tibi frater, & Ecclesiæ sanctæ Dei.*

Digitized by Google

§. VIII.

De communione, & aliis, usque ad finem missæ.

1. SI administranda sit sacra communio, celebrans, postquam sumpsit pretiosum sanguinem, stat in medio altaris, dum diaconus patenam, seu pyxidem, in qua sunt hostiæ consecratæ, ante calicem collocat, & facit confessionem.

2. Si sacra pyxis è tabernaculo sit extrahenda, dum diaconus illam extrahit, & in medio corporalis positam discooperit, celebrans genua flectit super oram suppedanei aliquantulum à parte evangelii, & cum diaconus descendit in planum ut faciat confessionem, surgit, & redit ad altare, & genuflectit.

3. Finitâ confessione, celebrans genuflectit, & secedens aliquantulum ad latus evangelii, ne terga vertat SS. Sacramento, convertit se ad communicandos, junctis manibus, & clarâ voce dicit *Misereatur vestri, & Indulgentiam, absolutionem &c.* producens interim signum crucis super illos, sinistrâ pectori ad motâ, nec indices disjungit à pollicibus. Eâdem formâ utitur semper, sive unum, sive plures communicet, & ad *Indulgentiam*, dicit semper *peccatorum vestrorum.*

4. Postquam dixit *Indulgentiam &c.* convertit se ad altare, genuflectit, accipit sacram pyxidem per nodum, inter indicem & medios digitos sinistræ manûs, vel patenam per oram; dextrâ verò, acceptam inter pollicem & indicem tenens unam ex particulis consecratis, super ipsam pyxidem, vel patenam aliquantulum elevatam, convertit se ad communicandos, & stans in medio, defixis in SS. Sacramentum oculis, dicit *Ecce agnus Dei &c.* statimque subdit ter *Domine non sum dignus &c.* Eâ formâ semper utitur, quamvis uni soli, etiam fœminæ, communio porrigenda esset.

5. Repetitis tertiò iisdem verbis *Domine non sum dignus*, accedit ad communicandos, incipiens à latere epistolæ, & stans ante faciem communicandi, tenensque SS. Sacramentum inter indicem & pollicem, reliquis digitis versùs palmam manûs paululum inflexis, ipso sacramento producit signum crucis super pixidem vel patenam, quasi signans ipsum communicandum, non autem à labio ad labium ipsius pyxidis, aut patenæ, advertens etiam ne limites ipsius pyxidis vel patenæ excedat; & signando dicit *Corpus Domini nostri Jesu Christi &c.* & porrigit SS. Sacramentum.

6. Communicatis diacono, & subdiacono, vel qui sunt in primo ordine, celebrans, retentis suprà pyxidem, vel patenam di-

Digitized by Google

gitis, quibus SS. Sacramentum miniſtravit, revertitur ad altare, & ibi ſtat converſus ad crucem. Idem ſemper obſervat quoties interponenda eſt aliqua mora, donec alii ad ſacram menſam acceſſerint, habens quidem præ manibus ſacram pyxidem, ſed non tenens hoſtiam elevatam. Si communicandi ſint laici, celebrans illos communicat ad cancellos, vel ad gradus presbyterii, ſi non ſint cancelli; tuncque communicatis, qui ſunt in primo ordine, cum pervenit ad ultimum à parte evangelii, ſi nulla interponenda ſit mora, non redit ad altare, ſed ſtatim pergit ad illum qui primus ſucceſſit à parte epiſtolæ, & in hoc caſu tranſiens ante medium altaris non ſe convertit ad illud, licet SS. Sacramentum ſit expoſitum.

7. Communicatis omnibus, celebrans redit ad altare, tenens digitos, quibus miniſtravit SS. Sacramentum, junctos ſuper pyxidem, vel patenam, quam ſtatim reponit ſuper corporale: deinde excuſſis in calicem fragmentis, ſi quæ digitis adhæſerint, purificat pyxidem, vel patenam, intrà quam erant particulæ conſecratæ, & illas immittit in calicem; poſtea dicens *Quod ore ſumpſimus* porrigit ſubdiacono calicem, & miſſam abſolvit more ſolito.

8. Quando communicatis omnibus, aliquæ ſuperſunt particulæ conſecratæ, & ſacra pyxis eſt in tabernaculo reponenda, celebrans illam deponit ſuper corporale, atque in calicem excutit fragmenta, ſi quæ digitis adhæſerint: tum factâ genuflexione, deſcendit, & ſuper oram ſuppedanei genua flectit, dum diaconus pyxidem reponit in tabernaculo.

9. Si communicatis omnibus, aliquæ ſuperſint hoſtiæ conſecratæ ſuper corporale, celebrans priùs eas reponit intrà pyxidem, genuflectens ante & poſt, deinde diaconus eam cooperit, & recondit intrà tabernaculum ut ſuprà. Si tamen hoſtiæ conſecratæ quæ ſupererunt, non poſſint intrà tabernaculum commodè reponi, celebrans, antequam ſe purificet, eas ſumet nihil dicens, neque ſe ſignans.

10. Ablutione ſumptâ, celebrans accedit ad cornu epiſtolæ, ubi lectâ antiphonâ communionis, redit ad medium altaris, illud oſculatur converſus ad populum, cantat *Dominus vobiſcum*, & mox ad librum accedens, dicit poſtcommunionem vel poſtcommuniones, ſi plures dicendæ ſint.

11. Dictâ poſtcommunione, celebrans pergit ad medium altaris, illud oſculatur, converſus ad populum, cantat *Dominus vobiſcum*, deinde ſubmiſſâ voce diacono indicit *Ite miſſa eſt*, vel *Benedicamus*, aut *Requieſcant in pace.*

Digitized by Google

12. Postquam diaconus cantavit *Ite missa est*, celebrans convertit se ad altare, dicit *Placeat tibi &c.* osculatur altare, convertitse ad populum, illum benedicit more solito, convertit se iterum ad altare, crucem accipit, descendit in planum, genua flectit in ora infimi gradûs, & profundè inclinat, surgit, dicit *Dominus vobiscum*, *Initium S. Evangelii*, se signans in fronte, ore, & pectore, & revertitur in vestiarium, Evangelium recitans, nudo capite.

13. Perveniens in vestiarium, crucem reddit diacono, ad verbà *Et verbum caro factum est* genuflectit. Si Evangelium sit proprium, illud recitat ex libro, quem ministrat subdiaconus. Evangelio finito, cruci vestiarii profundè inclinat, ministros salutat ut suprà ante missam, vestes exuit, & gratiis Deo actis redit in chorum, vel ad propria.

14. Ubi crucem non detulit ad altare, datâ benedictione descendit in planum, & cætera perficit ut suprà n. 13. Si evangelium sit proprium, tecto capite redit in vestiarium.

Articulus VII.

De officio celebrantis in missâ duplici & infrà.

1. Celebrans crucem non defert ad altare, nisi sit Dominica; vel festum populo præceptum: 2. codicem evangeliorum osculatur post evangelium tantùm: 3. thurificationem solemnem non facit, nisi SS. Sacramentum sit expositum: 4. communiter non sedet ad *Gloria in excelsis &c.* tumque dicto *Gloria in excelsis*, stans permanet ante altare junctis manibus: 5. Si ad collectas præmittatur *Flectamus genua*, non genuflectit: 6. si cantetur ℣. *Adjuva nos Deus*, vel *Veni sancte Spiritus*, in ora infimi gradus genua flectit: 7. cum diaconus dicit *Jube domne benedicere* convertit se ad illum, & more solito illum benedicit: tum præsentatum à thuriferario incensum in navicula benedicit more solito & vertit se ad altare: 8. post evangelium non thurificatur à diacono: 9. quando in missa dicitur symbolum, dum chorus cantat *Descendit de cœlis*, celebrans descendit in planum in infimo gradu genua flectit, & post verba *Et homo factus est*, surgit, & redit ad altare. Si sedeat ad symbolum ad verba *Et homo factus est* profundè inclinat ut suprà §. 5. n. 5. dicto *Veni sanctificator* descendit in planum, in infimo gradu genibus flexis SS. Sacramentum incensat, redit ad altare, & stans inter medium altaris & cornu evangelii incensatur à Diacono, & lavat manus: 10. quando missa celebratur ponè majus altare, celebrans post oblata non thurificat SS. Sacramentum. Cætera perficit ut in missa solemni. Quando missa celebratur sine diacono, & subdiacono, celebrans nudo omnino capite etiam hyeme epistolam & evangelium cantat.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT II.

De officio Diaconi in missa solemni.

1. Diaconus diurnale, vel alium librum nunquam habeat præ manibus, quando stat ad altare, vel celebranti assidet.

2. Manus ita jungat, quando jungendæ erunt, ut eas teneat decenter compositas, & elevatas ante pectus, & nunquam brachia super dalmaticam complicet.

3. Omnia quæ ipsi agenda incumbunt diligenter prævideat, ut celebranti tempestivè ministret, & quæ sui muneris sunt, modestè, decenter, & sine ulla cunctatione, vel præcipitatione exequatur.

Articulus Primus.

De præparatione diaconi.

1. Dum datur signum ad missam catechumenorum, vel dum cantatur in choro tertia, vel sexta, aut nona, pro temporis varietate, vestiarium ingreditur: prævia brevi oratione, accipit missale, perquirit missam, & signacula suis quæque locis aptat; similiter in codice evangeliorum, aut alio missali perlegit evangelium, illudque notat signaculo, tum manus lavat.

2. Post hæc, clerico juvante, reverenter accipit paramenta, scilicet amictum, albam, cingulum, manipulum, & stolam, quam ab humero sinistro ad latus dextrum pendentem portat, osculando crucem amictûs, manipuli, & stolæ, antequam ea sibi adaptet, deinde dalmaticam induit.

3. Advertat ut æstivali tempore amictum circa collum aptet: hyemali verò amictum ita aptet capiti, ut concinnè illud operiat, & super humeros fluat æqualiter.

Articulus II.

De egressu diaconi è vestiario, & ingressu ad altare.

1. In solemnibus minoribus, & suprà, paratis omnibus, diaconus stans à dextris celebrantis incensum offert illi ad benedicendum, ritu, qui dictus est suprà parte 1. cap. 14. §. 1. num 1. & 3. deinde si crux deferatur ad altare, eandem tradit illi velo cooperatam per pedem, cum debita inclinatione: tum factâ cruci vestiarii & celebranti profundâ inclinatione procedit ad altare, detecto capite, & æstate biretum celebrantis deferens. Si crux ad altare

Digitized by Google

non deferatur, post factam cruci vestiarii & celebranti inclinationem, procedit ad altare tecto capite.

2. Perveniens ad altare, si celebrans ante illum transeat, paululùm retrocedit, ut illi transeunti det locum, & profundè inclinat: à dextris ipsius utrumque genu flectit in ora infimi gradûs altaris profundè inclinans, crucem accipit à celebrante, surgit, in medio altaris collocat, & velum plicatum à parte epistolæ, altari profundè inclinat, & tradit ad dextram celebrantis. Si crux ad altare non deferatur, perveniens ad altare, æstate caput detegit & biretum tradit primo ceroferario, biretum celebrantis accipit dextrâ cum quasi osculo ipsius bireti, & tradit eidem ceroferario, deinde utrumque genu flectit.

Articulus III.

De principio Missæ, & aliis usque ad collectam.

1 QUando celebrans incipit missam, diaconus stans à dextris illius, respondet cum subdiacono, ac eo se signante, & inclinante, se quoque signat, & inclinat. Dum celebrans facit confessionem, stat diaconus, & dum ipse facit confessionem, stante celebrante inclinat se profundè, donec eidem dicenti *Misereatur &c.* respondeat *Amen*. Cum verò ante confessionem dicit *Misereatur tui*, convertit se aliquantulum ad celebrantem mediocriter inclinatus, deinde conversus ad altare & profundè inclinatus facit confessionem: dicendo *Tibi pater*, & *Te pater*, convertit se aliquantulum ad celebrantem: cum dicit *Meâ culpâ*, ter sibi manu dextrâ tundit pectus, sinistrâ pectori admotâ, & ad *Indulgentiam* semel se signat. Celebrante dicente *Deus tu conversus*, inclinat se cum ipso mediocriter, sed ad verbum *Oremus* non disjungit manus.

2. Confessione factâ, & dicto *Oremus*, quando delata est crux ad altare, diaconus post celebrantem deosculatur crucem à subdiacono oblatam dicens *Adoramus te Christe &c.* nudo capite, etiam semel, ascendit ad altare cum celebrante, albam, & vestes illius anteriores sinistrâ paululum attollens, dextrâ pectori admotâ (quod in simili casu facit semper) & dum celebrans osculatur altare, inclinat se profundè, deinde celebranti ministrat incensum ut suprà parte 1. cap. 14. de thurificatione §. 2.

3. Quando celebrans thurificat altare, stans à dextris ejus paululùm retro, tenet sinistrâ manu posteriorem casulæ, seu planetæ partem, quæ est circa humeros, quam paululum attollit, dextrâ verò pectori admotâ; & ante medium altaris transiens inclinat profundè. Eodem modo inclinat quoties celebrans tempore in-

Digitized by Google

censationis transeundo ante medium altaris se inclinat. Peractâ thurificatione altaris, stat à latere epistolæ, & ambas manus supponens manibus celebrantis, dextram illius quasi parumper sublevans osculatur in exteriori parte, tum dextrâ manu accipit catenulas thuribuli infrà dextram celebrantis, sinistrâ verò summitatem catenularum infrà sinistram celebrantis, cui profundè inclinat, deinde descendit in planum, ante medium altaris profundè se inclinat, & in ora infimi gradûs genuflexus, sinistrâ pectori admotâ tenens summitatem catenularum inter indicem & pollicem, dextrâ verò catenulas ipsas, thurificat celebrantem triplici ductu, profundè inclinans ante & post, surgit, & altari profundè inclinat. Tum dextrâ manu thuribulum reddit thuriferario, accedit ad cornu epistolæ, & stans ad dextram celebrantis, nonnihil conversus ad librum, junctis manibus, assistit eidem celebranti dum legit introitum, cum ipso se signat, & ad *Gloria Patri*, mediocriter inclinat versùs crucem, nihil tamen dicit usque ad *Kyrie eleison*, quod alternatim demissiori voce cum celebrante recitat; eoque recitato, sistit se ponè celebrantem in infimo gradu.

4. Quando choristа celebranti annuntiat *Gloria in excelsis*, convertit se ad illum à læva celebrantis & cum illo mediocriter inclinat choristæ ante & post annuntiatum canticum. Si celebrans sedeat, accedente choristâ, diaconus cum celebrante surgit [detecto capite æstate] & choristæ mediocriter inclinat ut suprà.

5. Paulò antequam *Kyrie* finiatur in choro, diaconus celebrantem procedentem ad medium altaris comitatur, æquali passu cum eo progrediens per infimum gradum, ante medium altaris profundè inclinat, & in medio infimi gradûs ponè celebrantem se sistit donec inchoetur hymnus angelicus. Illo inchoato, mox ut celebrans dicit *Deo*, diaconus caput inclinat, ascendit ad dextram celebrantis, ubi profundè inclinat, & stans junctis manibus, prosequitur cum illo hymnum, voce paulò demissiori, [advertens ne illum præveniat in ipsa recitatione, sed sequatur potiùs] & caput cum eo inclinat, ac in fine se signat; tum dicens *Amen* jungit manus.

6. Post recitatum hymnum apud altare, diaconus profundè inclinat in eodem loco, in quo stabat, pergit viâ breviori ad sedem, & ibidem accedenti celebranti profundè inclinat unà cum subdiacono; posteriorem partem casulæ celebrantis sinistrâ elevat, & decenter aptat, [æstate sedenti celebranti biretum porrigit cum quasi osculo illius, deinde biretum suum dextrâ sumit,] celebranti inclinat, posteriorem dalmaticæ suæ partem decenter elevat, & secedit à dextris celebrantis, erecto corpore, & capite cooperto, ma-

Digitized by Google

nus super genuâ tenens hinc & inde expansas, & aliquantulum à se distantes, digitis tamen junctis. Quando chorus ea cantat, ad quæ inclinandum est, inclinat [capite detecto æstate.] Post verba *Jesu Christe* surgit, [æstate biretum deponit, celebrantis biretum accipit cum quasi osculo illius, utrumque in loco convenienti collocat,] celebranti profundè inclinat, & præcedente subdiacono, redit ad altare, per planum incedens. Cùm verò pervenit prope angulum infimi gradûs altaris, parum recedit ab eo, ut relinquat liberum spatium celebranti transeunti, & illi profundè inclinat, deinde stans à dextris ejusdem profundè inclinat altari, ascendit cum illo usque ad secundum gradum, ac illius vestes modicè attollit, ut initio missæ, descendit ad infimum gradum altaris, & in medio illius se sistit ponè celebrantem. Eodem ritu procedit, quando celebrans sedet ad *Kyrie*, & ad symbolum.

Articulus IV.

De collecta, & aliis, usque ad evangelium.

1. DUm celebrans dicit *Dominus vobiscum*, diaconus stat, ut priùs, in medio infimi gradûs, nec inclinat, moxque celebrantem euntem ad cornu epistolæ comitatur, manibus junctis, incedens æquali passu, & ibidem ex more stat post illum junctis manibus dum cantat orationes, & cum opus erit, inclinat versùs crucem. Si necesse sit vertere folia, accedit ad dextram celebrantis absque ullâ inclinatione sive in accessu, sive in recessu, & folia vertit ubi opus est.

Articulus V.

De evangelio, & aliis usque ad offertorium.

1. CIrca finem gradualis, vel si cantetur prosa, circa finem *Alleluia*, diaconus (æstate, caput omnino detegit) surgit, celebranti profundè inclinat, procedit ad altare via longiori, ante medium infimi gradûs profundè inclinat, ascendit ad cornu evangelii: utrâque manu accipit codicem evangeliorum, tenensque illum ante pectus, eâ parte, quâ liber aperitur, ad sinistram suam conversâ, descendit in planum, profundè inclinat, ascendit ad medium altaris, codicem in medio illius, quasi jacentem collocat, descendit in planum, in ora infimi gradûs genibus flexis dicit *Munda cor meum*, ascendit ad altare, librum ex illo sumit, viâ breviori redit ad celebrantem, coram illo genua flectit, hyeme amictum declinat super collum, petit benedictionem dicens *Jube domne benedicere*, eâque acceptâ osculatur manum celebrantis, surgit, celebranti profundè incli-

Digitized by Google

hat, redit ante medium altaris, illi profundè inclinat, deinde celebranti. Postea præcedentibus subdiacono, & aliis ministris, per latus dextrùm chori progreditur, codicem evangeliorum gestans in manibus transversùm elevatum, dorso codicis deorsum verso.

2. Si lecturus sit in ambone, inter aquilam & infimam partem chori profundè inclinans, altare & chorum salutat; si verò ad aquilam lecturus sit, inter altare & aquilam eodem modo inclinat; quod si lecturus sit intra cancellos altaris, post factas altari & celebranti inclinationes, rectà procedit ad locum lectioni destinatum. Ubi duo sunt ambones, evangelium legitur in eo, qui est ad partem meridionalem, facie diaconi ad septentrionem conversâ.

3. Cum pervenit diaconus ad locum, in quo solet evangelium cantari, deponit librum apertum super pulpitum vel aquilam, & stat facie ad septentrionem conversâ. Finito cantu in choro, stans junctis manibus ante pectus cantat *Dominus vobiscum*, postea dicens *Initium*, vel *Sequentia S. Evangelii*, siniſtrâ super librum positâ, atque apertâ, signat illum in principio evangelii dextro pollice, & manum reliquam interim tenet aliquantulum extensam, digitis simul junctis; deinde volâ manus ad seipsum conversâ, eodem pollice signat sibi ipsi frontem, os, & pectus, siniſtrâ pectori admotâ. Adverret autem ne sibi signet os, dum aliquid pronuntiat, idque facile vitabit, si verba sic dispenset, ut dicens *Initium* vel *Sequentia* signet librum; dicens *S. evangelii*, signet frontem; tum quasi respirando pausans aliquantisper, signet os; deinde reliquum titulum prosequendo, signet pectus. Dum chorus respondet *Gloria tibi Domine*, convertit se pauliſper ad thuriferarium, & ab illo thurificatur triplici ductu inclinans mediocriter ante & post. Postquam chorus respondit *Gloria tibi Domine*, evangelium prosequitur junctis manibus ut suprà, inclinans se, & genuflectens versùs librum, ubi opus est.

4. Cum decantavit evangelium, non inclinat versùs librum, sed [folio verso, si opus sit] digito indicat subdiacono principium evangelii cantati; dat illi librum clausum, reclinans illum super pulvinar, deinde iisdem ordine & via, quibus suprà, redit ad altare nudo capite, etiam hyeme, inclinans in iisdem locis in quibus ante evangelium.

5. Cum pervenit ad altare, profundè inclinat: thuribulum de manu thuriferarii accipit, in infimo gradu suppedanei genua flectit, & postquam celebrans librum osculatus est, illum trino ductu thurificat, ut initio missæ, surgit, & caput amictu operit hyemali tempore.

6. Reddito thuribulo, ascendit ad celebrantis dextram, profundè

Digitized by Google

inclinat, & cum illo prosequitur symbolum eodem ritu quo hymnum angelicum, se inclinans cum celebrante; ac in fine ad verba *Et vitam venturi sæculi* se signat, & dicens *Amen* jungit manus. Si sedeat celebrans, ipse pariter à dextris ejus sedet ut suprà; & choro cantante versum *Et incarnatus est*, (deposito bireto æstate) inclinat se profundè; at in tribus missis nativitatis Domini, & in missa festi Annuntiationis Dominicæ, genua flectit prope sedem suam, conversâ facie ad altare, & ad verba *Et homo factus est*, profundiùs inclinat. Si remaneat celebrans ad altare, diaconus genua flectit ad prædictum versum in ora infimi gradûs, à dextris celebrantis.

7. Post cantatum à choro versum *Et incarnatus est*, diaconus, (biretum deponit æstate) surgit, celebranti profundè inclinat, accedit ad credentiam, ubi ab acolytho accipit bursam corporalium, ac solus, clausam defert ad altare viâ longiori, ambabus manibus eam tenens extremis tantùm digitis, per oras laterales, quasi jacentem atque paulò elevatam, eâ parte qua aperitur ad pectus deferentis conversâ. Quando pervenit ad infimum gradum altaris, profundè inclinat in medio: tum rectà ascendit ad altare; explicat corporale in medio altaris, bursam erectam collocatâ latere evangelii, profundè inclinat altari; ad sedem suam redit viâ breviori, celebranti profundè inclinat, ac statim sedet, & æstate caput bireto operit. Circa finem symboli, celebrantem ad altare redeuntem præcedit eodem modo, quo sub finem hymni angelici dictum est suprà: si celebrans duntaxat sedeat post versum *Et incarnatus est*, ipsum eodem ritu comitabitur, quando perget ad sedem, & cum primùm sederit, inclinabit se illi profundè ut suprà, mox accedet ad credentiam, deferet bursam ad altare, & cætera præstabit quæ suprà.

Articulus VI.

De offertorio, & aliis usque ad canonem.

1. Dum celebrans dicit *Dominus vobiscum*, diaconus ponè illum stat, & dicto *Oremus*, si fiat oblatio cleri vel populi, accedit ad credentiam, patenam ex ea sumit, accedit ad dexteram celebrantis, cui patenam tradit, cum celebrante descendit ad infimum gradum altaris, vel cancellos sanctuarii, ubi stat à dextris ipsius celebrantis, si panis benedicendus sit, aspergillum porrigit celebranti, & post benedictionem recipit cum osculo ipsius aspergilli ante & post, & cum celebrante redit ad altare, ubi profundè inclinat, depositum à subdiacono calicem in altari detegit, & velum tradit subdiacono. Si fiat oblatio generalis, primus accedit ad oblationem, deinde redit ad dextram cele-

Digitized by Google

brantis. Ubi non fit oblatio cleri nec populi, dicto *Oremus*, diaconus accedit ad dexteram celebrantis & calicem detegit ut suprà.

2. Post discoopertum calicem, diaconus accipiens patenam cum hostia, & extremis utriusque manûs digitis eam tenens, decenter, & commodè offert celebranti, cum osculis priùs patenæ, tum manûs dextræ ejusdem. Verùm si calix sit in altari, accipit ipsum de medio, & amovens velum, tradit subdiacono, accipit patenam. & cætera ut suprà.

3. Si hostiæ consecrandæ sint in pixide, postquam delata fuerit ad altare, diaconus ipsam detegit, ac prope calicem super corporale à latere epistolæ collocat, antequam porrigat patenam celebranti, quâ traditâ, pyxidem attollit aliquantulum, dextrâ illam tenens dùm celebrans dicit *Suscipe sancte Pater &c.* Statim ac celebrans deposuit hostiam super corporale, diaconus collocat S. pyxidem super corporale, inter calicem & crucem, vel paululum à latere epistolæ, si aliter fieri non possit (advertens ne thurificationem impediat) & illam tegit.

4. Dum celebrans offert hostiam, diaconus nodum calicis cum purificatorio sinistrâ manu accipit de manu subdiaconi, deinde urceolum vini dexterâ, & ex illo vinum in sufficienti quantitate infundit in calicem. Si, celebrante hostiam offerente, diaconus S. pyxidem teneat, tunc post depositam in altari pyxidem, nodum calicis accipit ut suprà, vinum in eundem calicem infundit, tumque instillatâ per subdiaconum aquâ, reddit illi urceolum vini. Si aliquot guttæ intrà calicem appareant sparsæ, vel eas unit circumactu vino, vel purificatorio abstergit, & postquam celebrans absolvit orationem *Deus qui humanæ substantiæ &c.* tenens dextrâ calicem infrà nodum, & sinistrâ pedem ejusdem calicis, circa oram anteriorem tenens, osculatur eandem oram, & illico ponit calicem in manibus celebrantis, osculando etiam illius dextram: & simul cum eo dicit *Offerimus tibi Domine &c.* suppositis interim pedi calicis extremis digitis manûs dextræ, & sinistrâ sustentans brachium celebrantis: postea calicem super altare depositum pallâ cooperit.

5. Quando non dicitur symbolum, diaconus allatam ex credentia bursam corporalium à subdiacono accipit, ex illa extractum corporale explicat in altari. Dicto per celebrantem *Veni sanctificator*, Diaconus ministrat illi incensum, ut initio missæ, thurificanti assistit à dextris, & dum thurificat oblata, posteriorem partem planetæ illius aliquantulum elevat sinistrâ manu, firmans interim calicis pedem extremis dextræ digitis & cætera ut suprà num. 4.

Digitized by Google

6. Post thurificationem altaris genuflexus incensat celebrantem, & deinde reliquias SS. ut suprà part. 1. cap. 14. §. 5.

ARTICULUS VII.

De canone, & aliis usque ad consecrationem inclusivè.

1. CIrca finem præfationis, diaconus ascendit ad dextram celebrantis, profundè inclinat, deinde mediocriter inclinatus dicit *Sanctus* manibus junctis, & ad *Benedictus* se erigit, & signat, ac jungit manus. Dicto *Benedictus &c.* inclinat profundè ibidem, statimque ad librum transit, iterum inclinat profundè [eodem modo inclinat, quoties recedens ab uno celebrantis latere, accedit ad aliud] tum erectus assistit celebranti, dum dicit canonem, & folia vertit ubi opus est, & quæ dicenda sunt indicat celebranti, ubi necesse viderit.

2. Quando celebrans dicit *Quam oblationem*, inclinat profundè, transit ad latus epistolæ, (reducit cortinas, si ad altare sint cortinæ,) accedit ad dextram celebrantis, genua flectit in ora supremi gradûs, ubi, celebrante genuflectente, profundè se inclinat: celebrante SS. Sacramentum elevante, posteriorem casulæ illius partem sinistrâ attollit modicè, dexterâ interim pectori admotâ, & corpore profundius inclinato. SS. hostiâ in altari depositâ, casulam celebrantis sine osculo demisit, & celebrante genuflectente profundè se inclinat, cum celebrante surgit, detegit calicem, & mox iterum genua flectit in eodem gradu. Cum celebrans genuflectit profundè se inclinat, & dum elevat calicem, posteriorem ejusdem planetæ partem sinistrâ elevat, eodem ritu quo suprà. Postquam celebrans calicem deposuit, diaconus surgens sine mora illum cooperit, & simul cum celebrante genuflectit, deinde cortinam expandit.

3. Quando S. pyxis, cum hostiis consecrandis est in altari, factâ in accessu ad dextram celebrantis profundâ inclinatione, dum celebrans dicit *Qui pridie*, detegit S. pyxidem, ac prope majorem hostiam reponit intra aram consecratam, (ubi ara est portatilis.) Post depositam in altari SS. hostiam, diaconus cum celebrante surgit, tegit S. pyxidem, ac in priori loco collocat retro calicem, vel ad latus illius, secundùm situm altaris: postea detegit calicem, & cætera prosequitur ut suprà.

Digitized by Google

ARTICULUS VIII.

De reliquo canone, usque ad orationem Dominicam.

1. POst expansam cortinam, diaconus transit ad librum, ubi genuflectit, & celebranti assistit ut suprà art. 7. num. 1. vertens folia si opus sit. Ad orationem *Supplices te rogamus*, se inclinat profundè. Ad verba *Omni benedictione cœlesti*, se signat, & ad verba *Nobis quoque peccatoribus* dextrâ tundit pectus, sinistrâ infra illud positâ.

2. Paulo antequam celebrans dicat *Per quem hæc omnia*, genuflectit prope librum, transit ad latus epistolæ, cortinam reducit, ad dextram celebrantis ita opportunè sine genuflexione accedit, ut cum celebrans signaverit ter super hostiam & calicem, simul ipse calicem discooperiat, & cum celebrante genuflectat. Dum autem celebrans signat ter cum hostia super calicem, diaconus mediocriter se inclinat, & ad verba *Omnis honor & gloria* profundiùs se inclinat.

3. Repositâ per celebrantem hostiâ super corporale, iterum tegit calicem, genuflectit cum celebrante, cum eodem se erigit, ac cortinâ expansâ, redit ad locum suum ponè celebrantem, ubi stat junctis manibus.

ARTICULUS IX.

De oratione Dominica, & aliis, usque ad communionem.

1. CUm celebrans dicit *Panem nostrum quotidianum*, diaconus dexterâ patenam accipit de manu subdiaconi sine velo, & tenet illam inter pollicem & indicem manûs dextræ nudam, & ad altitudinem capitis usque elevatam, parte concavâ ad latus evangelii versâ, donec celebrans dicat *Et ne nos*; moxque ascendit ad dextram celebrantis, genuflectit, patenam tergit purificatorio, oram illius exteriorem osculatur, deinde genibus flexis, eandem ponit in dextra celebrantis inter digitos indicem & medium, surgit, & quando celebrans se signat patenâ, ipse etiam dextrâ se signat.

2. Cum celebrans supponit patenam hostiæ, diaconus detegit calicem, cum celebrante genuflectit, ac immissâ per eundem celebrantem particulâ in calicem, eundem calicem operit, & cum celebrante genuflectit; tum inclinatus mediocriter versus SS. Sacramentum, manibus ante pectus junctis dicit cum eodem ter *Agnus Dei*, toties dextrâ sibi tundens pectus ad verbum *Nobis*, sinistrâ infra illud positâ.

3. Dum celebrans dicit orationem *Domine Jesu Christe qui dixisti &c.* diaconus manu dextra accipit pacis instrumentum, & quando ce-

Digitized by Google

lebrans osculatur altare, simul cum illo osculatur altare extra corporale, deinde genibus flexis pacis instrumentum celebranti offert ad osculandum, & mox ab eodem dicente *Pax tibi frater &c* accipit pacem respondens *Et cum spiritu tuo.* Tum surgit, aliud pacis instrumentum sinistrâ sumit, genuflectit cum subdiacono, sistit se ponè dextram celebrantis in suppedaneo, si locus patiatur, vel in secundo gradu, & subdiacono ponè lævam celebrantis eodem modo stanti dat pacem. Postea utrumque pacis instrumentum porrigit ceroferariis ad osculandum cuilibet dicens *Pax tecum.* Post hæc eadem pacis instrumenta inversa tradit illis per ansas, & ab illis sibi statim oblata osculatur, priùs quod ad lævam, deinde quod ad dextram, & cuilibet dicenti *Pax tecum*, respondet *Et cum spiritu tuo.*

4. Diaconus, post datam pacem ceroferariis, accedit ad sinistram celebrantis, genuflectit cum subdiacono, celebranti assistit ad librum, ac ter dicit *Domine non sum dignus* profundè se inclinans versùs SS. Sacramentum junctis manibus, & tundens sibi pectus, sinistrâ infrà illud positâ, & sic manet inclinatus dum celebrans sumit corpus Domini. Deinde cum celebrante se erigit, genuflectit, & iterum se profundè inclinat dum celebrans sumit pretiosum sanguinem; quo sumpto, statim se erigit. Post sumptam à celebrante ablutionem, cum eodem celebrante caput amictu operit hyeme, accipit utrâque manu librum, quem ad latus epistolæ refert, inclinans profundè ante medium altaris, librum aperit ubi legenda est communio, quam digito indicat celebranti.

ARTICULUS X.

De communione cleri, & aliis, usque ad postcommunionem.

1. QUando fit communio cleri, vel populi, postquam celebrans sumpsit Dominicum sanguinem, ac subdiaconus calicem pallâ texit, diaconus genuflectit, transit ad dextram celebrantis, ubi denùo genuflectit, patenam, seu S. Pyxidem, in qua sunt hostiæ consecratæ, collocat prope calicem quem tantillum removet versùs latus evangelii, si opus sit, ac eandem pyxidem discooperit. Tum factâ genuflexione cum celebrante, descendit in planum à latere epistolæ, ubi stans profundè inclinatus, conversâ facie ad SS. Sacramentum, facit confessionem clarâ & intelligibili voce.

2. Si sacra pyxis è tabernaculo sit extrahenda, diaconus ante confessionem collocat calicem paulò ultrà medium corporalis, versùs cornu evangelii, tum celebrante in ora suppedanei genuflexo,

Digitized by Google

aperit tabernaculum, solus genuflectit, sacram pyxidem extrahit, illam ponit super corporale, ostium tabernaculi claudit, si opus sit, S. pyxidem discooperit, iterumque genuflectit. Deinde inclinatus facit confessionem; post *Misereatur* & *Indulgentiam*, respondet *Amen*, deinde se erigit.

3. Dum celebrans dicit *Domine non sum dignus*, diaconus stat in eodem loco profundè inclinatus, & postquam celebrans eadem verba ter repetiit, diaconus secundùm consuetudinem locorum, dextrâ accipit de credentia calicem, vel aliud vas cum vino modicâ aquâ mixto, & mappulam sinistrâ, accedit ad communicandos, & dum tertius in ordine communicatur, offert purificationem primo communicato, deinde aliis, etiam laicis: mappulam ministrat cuilibet ad os tergendum, & identidem alterâ linteoli parte labra vasis extergit, & post ultimi purificationem, calicem refert ad credentiam.

4. Si Diaconus communicaturus sit in missa, post *Indulgentiam* in ora infimi gradûs flectit genua, accipit linteum sive mappam communionis & profundè se inclinat dum celebrans dicit *Domine non sum dignus*. Deinde erecto capite porrectum à celebrante corpus Domini cum summa reverentia accipit, moxque profundiùs se inclinat. Post brevem moram dextrâ accipit vas purificationis à thuriferario oblatum, & sinistrâ mappulam ad os tergendum: os sibi purificat, & mappulâ tergit, deinde illa ministrat subdiacono, & cætera perficit ut suprà. num. 3.

5. Ubi purificatio non datur post communionem, dictis à celebrante *Misereatur* & *Indulgentiam*, diaconus redit ad dextram celebrantis, cum eo genuflectit, transit ad partem evangelii, accipit patenam de altari, convertit se ad communicandos cum celebrante, & patenam manu dextrâ tenens, stat inclinatus versùs SS. Sacramentum, erigit se cum celebrante, accedit ad communicandos, & patenam sub eorum mento sustinet, dum celebrans illis ministrat communionem. Communicatis omnibus, diaconus redit ad altare cum celebrante, vestes illius anteriores sinistrâ elevans, à dextris illius stans deponit patenam super corporale à latere epistolæ, discooperit calicem, & mox profundè inclinans in accessu & recessu transit ad sinistram celebrantis.

6. Quando, communicatis omnibus, aliquæ supersunt hostiæ consecratæ, & sacra pyxis est in tabernaculo reponenda, postquam celebrans deposuit illam super corporale, diaconus detegit calicem, & postquam celebrans in eundem excussit fragmenta, si quæ digitis adhæserint, diaconus, absque novâ genuflexione,

Digitized by Google

cooperit calicem & S. pyxidem, eamque reponit intrà tabernaculum, iteratò genuflectit, & tabernaculum clave obserat; postea collocat calicem in medio, illum discooperit, profundè inclinat altari, transit ad sinistram celebrantis, & cætera perficit ut suprà art. 9. num. 4.

7. Cum celebrans legit communionem, si folium sit vertendum, diaconus assistit ei à dextris, & verso folio, recedit post illum ad secundum gradum.

Articulus XI.

De postcommunione, & aliis, usque ad finem missæ.

1. Dum celebrans precedit ad medium altaris, comitatur illum; ante medium altaris profundè inclinat, & dum celebrans dicit *Dominus vobiscum*, stat recto capite conversus ad altare. Deinde cum celebrante redit ad cornu epistolæ, ubi stat à tergo ipsius, nisi vertenda sint folia. Finitis orationibus, claudit librum, redit cum celebrante ad medium altaris, & ad *Dominus vobiscum* stat ut suprà.

2. Dicto per celebrantem *Dominus vobiscum*, inclinat profundè, hyeme caput omnino detegit, convertit se ad populum, & junctis manibus cantat *Ite missa est*, & absque ullâ inclinatione statim se convertit ad altare. Quando autem SS. Sacramentum est expositum, paumper secedit ad cornu evangelii, vertens tantùm latus sinistrum & non terga, dum dicit *Ite missa est*. Cum celebrans dicit *Benedicat vos*, diaconus non nihil secedit à medio versùs cornu epistolæ, & stans in plano se inclinat mediocriter ad benedictionem.

3. Datâ per celebrantem benedictione, diaconus stans à dextris ejus, genua flectit in ora infimi gradûs suppedanei, surgit, (æstivo tempore à primo ceroferario accipit biretum celebrantis, & illi porrigit cum quasi osculo, deinde ab eodem ceroferario suum accipit,) celebranti respondet ad evangelium *In principio*, & in vestiarium revertitur eodem ordine quo accessit ad altare, sed capite detecto æstate. Quando crux delata est ad altare, diaconus genua flectit cum celebrante, & nudo capite revertitur in vestiarium ut suprà.

4. Cum pervenit in vestiarium, sistit se ante crucem vestiarii ut ante missam, ad verba *Et verbum caro factum est*, cum celebrante genuflectit. Finito evangelio profundè inclinat eidem cruci,

Digitized by Google

deinde celebranti, ut ante missam, & vestes exuit. Quando crux a celebrante delata est ad altare, illam accipit de manibus celebrantis, & collocat in loco convenienti, genuflectit & inclinat ut suprà, vestes exuit, deinde post brevem orationem redit in chorum, vel ad propria.

5. Quando episcopus celebrat in pontificalibus, vel missæ interest, & induti ministrant in missa, diaconus eadem perficit quæ notata sunt suprà, parte 3. capite de missa festorum annualium pro ecclesia metropolitana. Idem esto de aliis ministris.

Articulus XII.

De officio diaconi in missa duplici, semiduplici & simplici.

1. IN vestiario & ad introitum missæ non ministrat incensum, nisi SS. Sacramentum sit expositum.

2. Quando celebrans ad *Gloria in excelsis* & *Credo* non sedet, post recitationem illorum, profundè inclinat altari, descendit ad infimum gradum, & ibi stat ponè celebrantem.

3. Circa finem gradualis codicem evangeliorum in medio altaris collocat, vel si corporale sub calice sit explicatum, librum collocat juxta corporale à parte epistolæ, inter medium altaris & cornu epistolæ, genua flectit in ora supremi gradûs, dicit *Munda cor meum*, deinde post resumptum ab altari librum, in eodem loco genibus flexis dicit *Jube domne benedicere* ut suprà art. 5. n° 1. & sequentibus.

4. Post evangelium, celebrantem non thurificat, nisi SS. Sacramentum sit expositum.

5. Dicto per celebrantem *Veni sanctificator*, cum ipso descendit in planum, à dextris celebrantis genua flectit in ora infimi gradus, acceptum que de manu thuriferarii thuribulum porrigit eidem celebranti, & post thurificationem SS. Sacramenti thuribulum recipit, facie ad cornu evangelii versâ celebrantem trino ductu genibus flexis incensat, deinde SS. reliquias.

6. Quando nulla fit incensatio, diaconus, postquàm calicem operuit pallâ, & patenam purificatorio, profundè inclinat, ac recedit statim ad secundum gradum post celebrantem, eumque comitatur euntem ad cornu epistolæ ut lavet manus, & ad medium redeuntem. Factâ manuum lotione, dicenti *Orate fratres* respondet *Suscipiat*, accedit ad librum, profundè inclinat, caput detegit hyeme, & vertit folia cum opus est, ac statim, factâ ibidem profundâ inclinatione, redit post celebrantem, ubi stat de more dum celebrans

Digitized by Google

cantat præfationem, advertens ut ad verba *Deo nostro* caput inclinet. Cætera fiunt ut suprà in missâ solemni.

In missa feriali.

1. IN missis ferialibus adventûs, quadragesimæ & quatuor temporum adventus & septembris, ac etiam in missis vigiliarum, in quibus missa cantatur post sextam vel nonam, & preces dicuntur flexis genibus, exceptis vigiliis festorum annualium, feria quarta quatuor temporum adventus, & feria sexta paraſceves in ecclesia metropolitana, diaconus super stolam ordinariam adaptat sibi orarium, & super illud induit casulam transversam.

2. Si dicendum, sit *Flectamus genua*, diaconus primus omnium super oram secundi vel infimi gradûs genua flectit cantans *Flectamus genua*, & post brevem moram surgit cantans *Levate*.

3. Antequam librum evangeliorum sumat ab altari, planetam transversam deponit in loco convenienti secundùm situm locorum.

4. In missis quadragesimæ & de S. Spiritu, ad versus *Adjuva nos*, & *Veni sancte Spiritus*, si sit ad altare, genua flectit à dextris celebrantis, si verò sit ad locum evangelii, stat conversus ad altare sicut chorus.

5. Quando missa celebratur ponè majus altare, post lectum evangelium perveniens ad majus altare SS. Sacramentum trino ductu incensat genibus flexis in ora infimi gradûs, deinde SS. reliquias.

6. Post communionem celebrantis, diaconus antequam missale deferat ad latus epistolæ, resumit casulam transversam, nec eam deponit amplius nisi in vestiario.

7. Quando dicendum est *Humiliate capita vestra Deo*, diaconus nulla facta inclinatione, stans à tergo celebrantis, convertit se versus populum per eam partem, quæ respicit cornu epistolæ, hoc est per latus suum dextrum, junctis manibus cantat *Humiliate &c.* tunc convertit se ad altare per eandem viam, & dum dicitur oratio super populum, stat ponè celebrantem.

8. Si dicendum sit *Benedicamus* vel *Requiescant in pace* non se vertit ad populum.

CAPUT III.

De officio subdiaconi in missa solemni.

1. CAveat subdiaconus ne librum unquam habeat præ manibus inter missarum solemnia.

2. Quando manus jungendæ erunt, illas ita jungat, ut teneat

Digitized by Google

decenter compositas ante pectus, & brachia nunquam complicet super tunicam.

3. Quæ sui sunt muneris diligenter prævideat, ut ea modestè, tempestivè & ritè exequatur.

Articulus I.

De præparatione subdiaconi.

Subdiaconus ministraturus in missa, audito signo, vel dum cantatur in choro tertia, sexta, vel nona, pro varietate temporis, protinus vestiarium ingreditur: brevi oratione præmissa, epistolam perlegit in libro, in quo est eam cantaturus, illam notat signaculo, & lavat manus: tum juvante clerico, accipiens amictum, osculatur crucem, quæ est in medio, illum aptat circa collum æstate; hyemali autem tempore, amictum ita aptat capiti, ut illud operiat, & super humeros fluat æqualiter, albam induit, cingulo se præcingit, sinistro brachio manipulum imponit, deinde tunicellam induit.

Articulus II.

De egressu subdiaconi è vestiario, & ingressu ad altare.

1. Paratis omnibus, stans à sinistris celebrantis profundè inclinat cruci vestiarii, deinde celebranti; caput operit, & junctis manibus, cum summa modestia procedit ad altare ante diaconum sequens ceroferarios. Quando crux defertur ad altare, procedit ad illud, nudo capite etiam hyeme.

2. Perveniens ad altare, caput discooperit æstate, & biretum suum tradit secundo ceroferario; (si diaconus & celebrans ante eum transituri sint, paululum secedit & sacerdoti transeunti profundè inclinat,) ad lævam celebrantis genua flectit super infimum gradum, ascendit ad cornu evangelii, codicem evangeliorum utraque manu sumit, profundè inclinat versus crucem altaris, descendit ad lævam celebrantis, librum evangeliorum offert illi ad osculandum, in ea parte, in qua sculpta est imago Christi pendentis in cruce, post osculum eidem profundè inclinat, librum refert ad cornu evangelii, profundè inclinat versus crucem, redit ad lævam celebrantis, & cum illo profundè inclinat altari.

Digitized by Google

Articulus III.

De principio missæ, & aliis, usque ad collectam.

1. Quando celebrans incipit missam, stans ad lævam illius, cum illo se signat, & pari voce respondet ei cum diacono, cui se conformat in omnibus, diligenter advertens, ut eodem tempore cum illo se inclinet, genuflectat, surgat, ad celebrantem se convertat, & alia id genus præstet, quæ capite præcedenti art. 3. num. 1. præscribuntur.

2. Factâ confessione cum celebrante, ascendit ad altare, albam interim, & vestes illius anteriores, à parte sua manu dextrâ modicè attollens, sinistrâ pectori admotâ. Idem semper facit in simili casu. Cum celebrans osculatur altare, inclinat se profundè, tum transit sine alia inclinatione ad cornu epistolæ, & dum celebrans thus benedicit, stat à dextris illius aliquantulum post eum.

3. Ubi crux delata est ad altare per celebrantem, dum dicitur *Deus tu conversus &c.* Subdiaconus ascendit ad altare, hyeme nudat caput, profundè inclinat, crucem accipit, profundè inclinat altari, descendit ad lævam celebrantis, crucem osculandam illi offert, deinde diacono & aliis ministris, singulis mediocriter inclinans post osculum, illam postea osculatur dicens *Adoramus te Christe &c.* & super altare collocat in loco suo, & profundè inclinat.

4. Quando celebrans incensat altare, manu dextrâ paululum elevat illam planetæ partem, quæ est circa humeros illius, sinistrâ pectori admotâ, & transiens ante medium altaris profundè se inclinat cum celebrante. Peractâ thurificatione altaris, descendit rectà in planum, & junctis manibus stat à sinistris celebrantis, facie ad partem evangelii versâ, dum celebrans thurificatur à diacono, cui cum celebrante mediocriter inclinat ante & post.

5. Dum celebrans legit introitum, stat manibus junctis à dextris diaconi, ita ut oram hemicycli claudat aliquantulùm conversus ad librum, & ad principium introitûs se signat, ad *Gloria Patri* mediocriter se inclinat versùs crucem nihil dicens; ad *Kyrie* respondet celebranti unà cum diacono, deinde recedit in planum ponè diaconum, eâ distantiâ, quâ diaconus distat à celebrante, quod semper servat, quando stat ponè diaconum.

6. Celebrante hymnum *Gloria in excelsis* intonante, ad verbum *Deo* caput inclinat, statimque accedit ad sinistram celebrantis, ubi inclinat profundè, & stans junctis manibus cum ipso & diacono simul prosequitur hymnum usque ad finem, attendens ne celebranti præripiat verba, sed eum potiùs sequatur, & submissiori voce ea proferat

Digitized by Google

proferat, inclinans ubi opus erit. Dicens *Cum sancto Spiritu* signat se, & ad *Amen* jungit manus.

7. Postquam celebrans recitavit *Gloria in excelsis*, subdiaconus inclinat profundè altari, ac statim præcedens diaconum procedit ad sedem, per gradus laterales epistolæ. Cùm ad illam accessit, accedenti celebranti profundè inclinat, ac posteriorem planetæ illius partem à sinistris ejus attollens, sic eam aptat, ut à tergo concinnè dependeat: tum posteriorem tunicæ suæ partem sibimet elevans, sedet à sinistris celebrantis, tecto capite, corpore convenienter erecto, & manibus super tunicam decenter compositis. Ad verba, quibus inclinatio debetur, inclinat, & æstate caput detegit. Si celebrans non sedeat, subdiaconus stat in plano ponè diaconum. Quando celebrans sedet ad *Kyrie*, subdiaconus eodem ordine accedit ad sedem. Choristâ accedente ut annuntiet *Gloria in excelsis*, æstate caput detegit, surgit, & eidem choristæ mediocriter inclinat ante & post annuntiatum *Gloria in excelsis*.

Articulus IV.

De collecta, & aliis, usque ad evangelium.

1. Ad verba *Qui sedes ad dexteram Patris*, æstate biretum deponit, surgit, celebranti profundè inclinat, per planum procedit ante medium infimi gradûs altaris ubi inclinat profundè: ascendit ad altare; codicem epistolarum accipit de altari, utrâque manu illum elevatum ante pectus ita tenens per angulos inferiores, ut pars superior sit paululum inclinata super pectus illius: descendit in planum, profundè inclinat altari, deinde celebranti, si sedeat, & procedit ad locum ubi epistola legi solet.

2. Si lecturus sit in ambone, inter aquilam & infimam partem chori profundè inclinat versùs altare, deinde versùs chorum, & ascendit in ambonem.

3. Si lecturus sit ad aquilam, eodem modo inter altare & aquilam inclinans, salutat altare, & chorum, & pergit ad aquilam.

4. Ubi duo sunt ambones, epistola legitur in eo, qui est ad partem septentrionalem.

5. Ubi epistola legitur intrà cancellos altaris, ad verba *Cum sancto Spiritu*, subdiaconus surgit cum diacono & celebrante, procedit ad medium altaris, infra gradum infimum profundè inclinat à læva celebrantis, cum illo ascendit usque ad secundum gradum, vestes illius anteriores attollens à parte sua, redit in planum, ubi stat ponè diaconum dum celebrans dicit *Dominus vobiscum*: deinde cum celebrante & diacono accedit ad partem epistolæ. Circa finem ultimæ col-

Digitized by Google

lectæ, ascendit ad cornu epistolæ, librum ex eo sumit, ut suprà, redit ad medium altaris, incessum suum ita temperans, ut ad verba *Jesum Christum*, quæ dicuntur in conclusione collectæ, ante medium altaris profundè inclinet. Hinc procedit ad locum, ubi epistola legi solet.

6. Dicto *Amen*, post ultimam collectam, subdiaconus hyeme amictum demittit super collum, deinde manibus super infimam libri oram positis, altâ, & distinctâ voce cantat epistolam, eâque finitâ librum claudit, hyemali tempore caput amictu operit, librum modo quo suprà deferens ante pectus, inclinat iisdem in locis, in quibus ante epistolam, & redit ad medium altaris.

7. Perveniens ad altare, illi profundè inclinat, per planum accedit ad celebrantem sedentem, genuflexus partem libri ad eum deflectens, manum illius libro superpositam osculatur in extima parte, & inclinatus recipit ab illo benedictionem, surgit, celebranti inclinat profundè, codicem epistolarum deponit super altare à parte epistolæ, librum-missalem pulvinari vel lectorili superpositum sumit de altari, illum tenens utrâque manu ante pectus elevatum, descendit in planum, ante medium altaris profundè inclinat, ascendit ad cornu evangelii, in eo librum ita collocat, ut in ipso celebrans commodè possit legere, descendit in planum, ante altare iterum profundè inclinat, redit ad sinistram celebrantis, illi profundè inclinat & sedet.

Articulus V.

De evangelio, & aliis, usque ad offertorium.

1. Dum diaconus à celebrante benedicitur ante evangelium, subdiaconus celebranti profundè inclinat, accedit ad medium, altari profundè inclinat, deinde celebranti, tùm ascendit ad cornu evangelii, pulvinar accipit de altari, & sustinens illud utrâque manu ante pectus, descendit in planum, profundè inclinat altari, deinde rectà procedit ante diaconum ad locum, ubi legi debet evangelium, sequens clericum, qui defert crucem.

2. Perveniens ad locum, ubi diaconus lecturus est evangelium, sistit se ponè illum, pulvinar deponit in loco convenienti, ad verba *Sequentia S. Evangelii*, cum diacono se signat versus librum, stans junctis manibus audit evangelium, cum diacono inclinat, vel genu flectit versus librum, quando inclinandum, vel genuflectendum est. Si desit locus, in quo pulvinar deponi possit, subdiaconus illud utraque manu sustinens inclinatum ante pectus audit evangelium.

3. Evangelio cantato, pulvinar resumit, codicem evangeliorum clausum accipit à diacono super idem pulvinar, rectà defert ad

Digitized by Google

celebrantem, ſine ulla inclinatione, licet SS. Sacramentum ſit patenter expoſitum, librum aperit, principium evangelii digito indicat, ſi commodè poſſit, & eidem præbet oſculandum, dicens *Hæc ſunt verba ſancta*, claudit librum, tantillùm recedit, ac profundè inclinat celebranti, deinde altari, & refert librum ad altare, à parte evangelii.

4. Poſt recitatum ſymbolum, ad ſedem pergit ut ſuprà p. 321. n. 7. cum verò dicitur *Et incarnatus eſt* (æſtate caput detegit) profundè inclinat, vel genuflectit cum celebrante. Circa finem ſymboli, (æſtate caput detegit,) ſurgit, celebranti profundè inclinat, & cum eo revertitur ad altare, præcedens diaconum, & à tergo illius ſtat ex more.

5. In ſolemnibus-majoribus & annualibus, cantato verſu *Et homo factus eſt*, ſubdiaconus ſurgit, celebranti inclinat profundè, ante medium altaris profundè inclinat, aſcendit ad cornu evangelii, librum evangeliorum ex eo ſumit, deſcendit in planum, ante medium altaris iterum profundè inclinat, deinde celebranti ſedenti; tum præcedente thuriferario, codicem evangeliorum clauſum defert in chorum & offert ad oſculandum, in ea parte in qua eſt imago crucifixi, primò choriſtis, deinde aliis de choro, primùm à parte dextra, tam in ſuperioribus, quam in inferioribus ſtallis, deinde à parte ſiniſtra cuilibet dicens *Hæc ſunt verba ſancta*, ritu qui dictus eſt ſuprà parte 3. cap. 2. art. 6. num. 17. cuilibet mediocriter inclinat poſt oſculum tantùm, & redit ad altare, ubi codicem à parte evangelii collocat.

ARTICULUS VI.

De offertorio, & aliis, uſque ad canonem.

1. Dicto *Dominus vobiſcum*, dum celebrans dicit *Oremus*, ſubdiaconus inclinat profundè, ſolus accedit ad credentiam, ubi calicem ſiniſtrâ manu accipit per nodum, cum purificatorio, patena, hoſtia, palla, & velo: & quando non dicitur ſymbolum, burſam etiam calici ſuperpoſitam defert, apponens manum ſuper burſam & calicem, procedit ad altare viâ breviori, calicem deponit in cornu epiſtolæ & inclinat profundè. Si burſam corporalium ſimul attulit, continuò dat illam diacono, qui extrahit ex illa corporale, ac illud explicat in medio. Tum amotis per diaconum velo, pallâ, & patenâ, ſubdiaconus velum plicat vel expandit, calicem accipit ſiniſtrâ per nodum, & digitis dextræ cum purificatorio intrà cuppam immiſſis, abſtergit illum purificatorio: deindè idem purificatorium ſecundùm longitudinem plicatum, & per medium replicatum, applicat nodo calicis, ita ut extremitates illius

Digitized by Google

ad pedem ejusdem calicis fluant æqualiter, ac pollice firmans tradit diacono sine osculis: posteà vini urceolum accipiens ab acolytho, illum diacono porrigit.

2. Dum diaconus vinum infundit in calicem, subdiaconus accipit urceolum aquæ ab eodem acolytho, & illum tenens dextrâ elevatum per ansam ostendit celebranti, & paululùm inclinatus dicit *Benedic pater*: tum benedictione factâ, paucas aquæ guttas infundit in calicem, statimque sinistrâ recipit urceolum vini de manu diaconi, & utrumque reddit acolytho.

3. Si calix sit in altari, postquam celebrans dixit *Oremus*, subdiaconus ascendit ad altare cum diacono, ubi profundè inclinat, deinde stans à dextris ejus, velum calicis accipit à diacono, & plicat vel expandit in cornu epistolæ, tum calicem extergit, & cætera perficit ut suprà num. 1. & 2.

4. Quando plures hostiæ pro communione sunt consecrandæ, paulò antequam subdiaconus deferat calicem ad altare, accipit pyxidem hostiarum dextrâ per nodum, defert illam ad altare, & tradit diacono: tum factâ profundâ inclinatione, redit ad credentiam, defert calicem, & cætera perficit ut suprà.

5. Post urceolos acolytho redditos, subdiaconus profundè inclinat, transit ad cornu evangelii, ubi iterum profundè inclinat, & celebranti assistit à sinistris dum incensat altare, eoque incensato, transit ad cornu epistolæ, ubi porrectum à primo ceroferario manutergium super brachium sinistrum collocat, & sinistrâ pelvim ab eodem acolytho accipit, deinde urceolum aquæ dextrâ, & stans ad cornu epistolæ, tempore suo fundit aquam super manus celebrantis, inclinans profundè ante & post: pelvim, & urceolum aquæ cum manutergio eidem acolytho reddit, vel in loco suo reponit, & redit ad medium ponè celebrantem.

6. Quando fit oblatio cleri, vel populi, subdiaconus stat à sinistris celebrantis, suscipit oblationes, ad altare defert, & cætera præstat ut suprà num. 1. & sequentibus.

7. Ad *Orate fratres &c.* usque ad verbum *Omnipotentem* inclusivè, respondet *Suscipiat &c.* tum absente diacono, ascendit ad sinistram celebrantis, ubi inclinat & vertit folia, deinde descendit in planum ponè celebrantem.

8. Cum celebrans incipit secretam, subdiaconus hyeme caput detegit: & cum celebrans cantat *Gratias agamus*, adverba *Deo nostro*, caput inclinat.

Digitized by Google

ARTICULUS VII.

De canone, & aliis, usque ad consecrationem inclusivè.

1. PAulò ante finem præfationis, diacono ascendente ad dextram celebrantis, subdiaconus ascendit ad sinistram, ubi profundè inclinat deinde cum eodem mediocriter inclinatus dicit *Sanctus*. Ad *Benedictus* se erigit, & signat, ac statim profundè inclinat, transit ad dextram celebrantis, ubi iterum profundè inclinat; patenam sumit de altari: rursus profundè inclinat, descendit in planum ponè celebrantem, patenam in parte convexa offert acolytho ad osculandum, moxque illam in ora partis concavæ osculatur, & ponit in medio veli quod acolythus plicatum tenet super discum, parte concavâ ad pectus ipsius acolythi versâ: deinde convertit se ad altare, & in plano stat ponè celebrantem.

2. Ad verba *Quam oblationem &c.* subdiaconus profundè inclinat in suo loco, procedit ad latus evangelii, (reducit cortinam, ubi sunt cortinæ,) accedit ad sinistram celebrantis, in supremo gradu genua flectit, celebrante genuflectente profundè inclinat, deinde dum elevatur sacra hostia, posteriorem casulæ celebrantis partem modicè attollit corpore profundius inclinato.

3. Repositâ super altare sacrâ hostiâ, & factâ per celebrantem genuflexione, subdiaconus surgit, ut vertat folium, ad oram suppedanei redit, ubi genibus flexis, celebrante genuflectente profundè inclinat, attollit celebrantis planetam ad elevationem calicis; deinde surgit, cum celebrante genuflectente genuflectit, cortinam altaris expandit, & ad locum suum ponè celebrantem revertitur.

ARTICULUS VIII.

De reliquo canone, usque ad orationem Dominicam.

1. AD verba *Omni benedictione cœlesti*, subdiaconus se signat, & ad verba *Nobis quoque peccatoribus*, dextrâ tundit sibi pectus, sinistrâ infrà illud admotâ.

2. Paulò antequam celebrans dicat *Per quem hæc omnia*, subdiaconus genuflectit, pergit ad cortinam à parte evangelii, illam reducit, ad celebrantis sinistram ita opportunè accedit sine genuflexione, ut post discoopertum à diacono calicem vertat folium, & cum celebrante genuflectente genuflectat. Ad secundam elevationem profundè se inclinat, cum celebrante geneflectit, expandit cortinam & ad locum suum redit ponè diaconum.

Digitized by Google

Articulus IX.

De oratione Dominica, & aliis, usque ad communionem.

1. CUm celebrans inchoat *Præceptis salutaribus moniti*, subdiaconus accipit patenam cum velo ab acolytho, & ad verba *Pater noster* eam elevatam, & discoopertam tenet manu dextrâ undique velo coopertâ, ita ut pars concava patenæ ad partem evangelii sit conversa: deinde, ad verba *Panem nostrum quotidianum*, eandem patenam tradit diacono, & velum acolytho reddit.

2. Ad verba *Et ne nos inducas* ascendit ad sinistram celebrantis, genuflectit, ministrat illi ad librum, & quando celebrans se signat patenâ, ipse etiam se signat dexterâ. Postquam celebrans patenam hostiæ suppositit, & diaconus detexit calicem, subdiaconus cum celebrante genuflectit & surgit: immissâ in calicem à celebrante particulâ, cum eodem celebrante iterum genuflectit, tum inclinatus mediocriter ad altare junctis manibus, ter dicit *Agnus Dei*, & ad verbum *Nobis* tundit sibi pectus manu dextrâ, tenens interim sinistram infra pectus.

3. Dictâ per celebrantem oratione *Domine Jesu Christe, qui dixisti* &c. genuflectit simul cum diacono, secedit ad oram suppedanei, vel ad secundum gradum, ubi stans infra lævam celebrantis pacem accipit à diacono, cui dicenti *Pax tecum*, respondet *Et cum spiritu tuo*, illi mediocriter inclinat, deinde redit ad lævam celebrantis & genuflectit. Dum diaconus post data pueris instrumenta pacis accedit ad lævam celebrantis, subdiaconus genuflectit & locum superiorem cedens diacono, transit ad dextram celebrantis, ubi cum illo iterum genuflectit.

4. Cum celebrans dicit *Domine non sum dignus*, subdiaconus percutit sibi pectus nihil dicens, sed profundè se inclinans versùs SS. Sacramentum, donec celebrans acceperit Dominicum corpus, tum se erigit & quando celebrans demittit manus, subdiaconus detegit calicem, cum celebrante genuflectit, ac rursus inclinat se profundè, dum celebrans sumit Dominicum sanguinem.

Articulus X.

De communione, & aliis, usque ad postcommunionem.

1. QUando sacra communio administranda est clero vel populo, post sumptum à celebrante Dominicum sanguinem, subdiaconus calicem pallâ tegit, transit ad lævam celebrantis, cedens gradum superiorem diacono transeunti, & genuflectens in accessu & recessu; deinde recedit ad latus evangelii in plano,

Digitized by Google

ubi se inclinat profundè, dum diaconus facit confessionem, & ad *Misereatur*, ac *Indulgentiam*, respondet *Amen*. Si sacra pyxis è tabernaculo sit extrahenda, post sumptum à celebrante Dominicum sanguinem, subdiaconus profundè inclinat, transit ad lævam celebrantis, ubi iterum profundè inclinat, deinde genua flectit à læva celebrantis dum diaconus extrahit pyxidem è tabernaculo, eâque in altari depositâ, & apertâ, surgit, & secedit ad partem evangelii in plano & cætera perficit ut suprà.

2. Dicto per celebrantem *Indulgentiam*, subdiaconus si communicaturus sit, in ora infimi gradûs utrumque genu flectit, accipit linteum communionis & profundè inclinat, dum celebrans dicit *Domine non sum dignus*. Deinde erecto capite cum summa veneratione accipit corpus Domini, & profundiùs inclinat. Post breviorem moram os sibi purificat, diacono vas aut calicem ministrante.

3. Sumptâ purificatione surgit, ascendit ad altare, genuflectit, patenam sumit de altari, deinde à dextris celebrantis eandem patenam sustinet sub mento communicandorum. Communicatis omnibus, redit ad altare cum celebrante, à dextris illius patenam super corporale deponit à parte epistolæ, discooperit calicem, accipit urceolum vini, & cætera perficit ut infrà n. 4. Si S. pyxis in tabernaculo sit recondenda, subdiaconus à læva celebrantis genua flectit ut sup. n. 1. & post clausum à diacono tabernaculum transit ad dextram celebrantis, accipit urceolum vini & cætera ut infra n. 4.

4. Si facienda non sit communio, postquam celebrans sumpsit Dominicum sanguinem, subdiaconus dextrâ manu accipit urceolum vini, infundit vinum in calicem pro purificatione celebrantis, statimque sumens ampullam aquæ sinistrâ, & ampullam vini retinens dextrâ, fundit rursus ad ablutionem modicum vini, & protinus modicum aquæ super indices & pollices celebrantis, priùs ampullas singulas quasi deosculans, postea utramque deponit in pelvicula.

5. Ampullis intrà pelviculam repositis, hyeme caput amictu operit, pergit ad cornu evangelii, pallam velo calicis opertam utrâque manu deferens, ante medium infimi gradûs profundè inclinat, calicem purificatorio extergit, deinde purificatorio, patenâ, & pallâ eundem calicem cooperit, plicat corporale, reponit intrà bursam, tegit calicem velo, ejusdem veli parte majori ad altare obversâ, superponit bursam, super illam ponit duo pacis instrumenta, & quando à celebrante vel diacono crux delata est ad altare, velum crucis aptat circa pedem illius, deinde altari profundè inclinat, & calicem defert in locum suum, præcedentibus ceroferariis. Attendat subdiaconus in ecclesiis in quibus ca-

Digitized by Google

lix ponè majus altare reconditur, ut ad locum constitutum procedat per latus evangelii, & redeat per latus epistolæ, modò per sitam loci liceat.

Articulus XI.

De postcommunione, & aliis, usque ad finem missæ.

1. Post depositum calicem, subdiaconus redit ad locum suum, profundè inclinat, & stat in plano à tergo celebrantis, dum cantat orationes. Finitis orationibus, procedit cum eodem celebrante ad medium, ubi cum celebrante & diacono inclinat. Ad *Ite missa est* stat immotus.

2. Dum celebrans dicit *Placeat tibi sancta Trinitas*, sistit se in plano à parte evangelii. ubi se mediocriter inclinat ad benedictionem.

3. Post benedictionem, cum celebrante genua flectit super infimum gradum, surgit, æstate accepto de manu ceroferarii bireto, eodem ordine quo venerat, revertitur in vestiarium, respondens celebranti ad evangelium *In principio.*

4. In vestiario, cum celebrante ad verba *Et verbum caro factum est* genuflectit, dicto evangelio, cruci profundè inclinat, deinde converso celebranti. Si evangelium propriùm legendum sit, librum ministrat celebranti, & respondet, deinde post lectum evangelium cruci, & celebranti inclinat, ut suprà; vestes exuit, & post brevem orationem redit in chorum, vel ad propria.

Articulus XII.

De officio subdiaconi in missa duplici, & infrà.

1. Ante psalmum *Introibo*, codicem evangeliorum celebranti non offert ad osculandum, nec post epistolam manum illius osculatur.

2. Quando celebrans non sedet, post recitationem hymni angelici, & symboli, descendit in planum, & stat ponè diaconum. Paulò antequam cantetur in choro *Et homo factus est*, à sinistris celebrantis genua flectit in ora infimi gradus & profundè inclinat ad verba *Et homo factus est*, deinde surgit, sistit se ponè diaconum in plano, ibique perseverat usque ad offertorium. Cetera perficit ut suprà in missa solemni.

In missa Feriali.

In missis ferialibus adventus, quadragesimæ, & quatuor temporum septembris, ac etiam vigiliarum, in quibus missa cantatur post sextam vel nonam, vel preces dicuntur flexis genibus, exceptis vigi-

Digitized by Google

liis feſtorum annualium, feria quarta quatuor temporum adventus, & feria ſexta paraſceves in eccleſia metropolitana, ſubdiaconus loco tunicellæ induit caſulam tranſverſam. Circa finem *Kyrie*, caſulam tranſverſam deponit in loco convenienti, & poſt lectam epiſtolam, & librum epiſtolarum collocatum ſuper altare, caſulam reſumit. Cætera perficit ut ſuprà in miſſa duplici.

CAPUT IV.

De officio choriſtarum.

1. CHoriſtarum officium eſt chorum regere in iis quæ ad cantum ſpectant; atque ideo debent omnia ſeriò prævidere, quæ canenda ſunt, & in ordine vicis ſuæ divinis officiis aſſiduè intereſſe.

2. In primis prævidere debent ſtudioſè quæ habent cantanda, ut nulla in divinis laudibus oriatur confuſio. Advertant etiam ut tonum moderatum ſequantur ſemper: at ubi viderint cantum, ſeu pſalmodiam nimis depreſſam aut nimis elevatam, eam ad moderatum tonum eâ prudentiâ revocent, ut præſenti Deo debita ſervetur reverentia.

3. Quoties cappis induti miniſtrant, nudo omnino ſemper capite chorum ingrediuntur, & ab illo egrediuntur, digniore præcedente.

4. Chorum ingreſſi, ſiſtunt ſe ad ſuam quiſque chori partem collaterales in recta linea, ſanctuarium inter & aquilam: tum profundè inclinantes ſalutant altare, deinde adverſâ inter ſe facie vertunt ſe ad chorum, quem profundâ inclinatione ſalutant, advertentes ut verſùs altare aliquantò profundiùs inclinent. Inde ad bancam ſuum quiſque capturi locum accedunt, primus per partem dexteram chori, & ſecundus per ſiniſtram gravi modeſtoque greſſu ſemper progredientes. Si quatuor ſimul ingrediantur, ut ad officium nocturnum in duplicibus & ſuprà, ſiſtunt ſe omnes in recta linea ſanctuarium inter & aquilam, ita ut adjutores ſint medii inter choriſtas: tum omnes profunda inclinatione ſalutant altare, deinde bini alter ad alterum propiorem verſâ facie ſe vertentes chorum pari modo ſalutant, hinc ad bancam bini per dexteram partem chori, & bini per ſiniſtram progrediuntur ut ſuprà. Si fuerint ſex, eadem obſervant, & ad bancam accedunt terni, ſi per ſpatium liceat. Pervenientes ad bancam, ſibi invicem & altari mediocriter inclinant unà eâdemque ſemicirculari inclinatione, ſed paulò humiliori verſùs altare. Eodem

Digitized by Google

modo inclinant quoties ad bancam accedunt.

5. Quoties antiphonam, aut aliquid aliud annuntiaturi sunt, priusquam è banca proficiscantur, caput omnino detegunt, altari mediocriter inclinant, deinde accedunt ad illum cui annuntiaturi sunt, ante illum se sistunt in plano, antiphonam annuntiant mediocriter inclinantes ante & post, nisi aliter notetur, & redeunt ad bancam ut suprà n. 4.

6. Si post inchoatum officium, & factas à choristis in superiori & inferiori parte chori inclinationes supervenerit D. Archiepiscopus, choristæ, ubi primùm in conspectum illius venerint, caput omnino detegunt, faciem ad illum convertunt, & profundè inclinantes illum salutant. Si alius Episcopus supervenerit, choristæ ab illius parte eodem modo illum salutat.

7. *Præterea in ecclesia metropolitana, si post factas ut supra à choristis inclinationes supervenerit archidiaconus Briæ, absentibus archidiacono de Josaïo & decano, primus choristæ ubi primùm in conspectum illius venerit, caput detegit etiam hyeme, & facie ad illum versâ illum salutat inclinatione mediocri: eodem modo supervenientem archidiaconum de Josaïo salutat, decano absente. Supervenientem verò decanum salutat semper eodem ritu. Idem observatur à secundo choristâ ergà supervenientem succentorem, absentibus archidiacono Parisiensi & præcentore; ergà supervenientem archidiaconum Parisiensem, absente præcentore; & semper ergà supervenientem præcentorem. Qui verò sic salutatur, choristam simili inclinatione resalutat.*

8. Per chorum deambulantes, modesto semper, gravi & nusquam præcipiti gressu incedant, attendentes ad divinæ majestatis & angelorum præsentiam, chorum ita moderentur, ut divinum officium reverenter, distincte, devoteque decantetur. Psalmos etiam hymnos, cantica & alia ejusmodi, quantùm fieri poterit, à parte sua respectivè decantent.

9. Quoties chorus convertit se ad altare, choristæ paulo ante redeunt ad bancam, ibique cum cæteris de choro facie ad se invicem versâ convertunt se ad altare.

Articulus primus.

De officio choristarum in vesperis.

1. Post finem ultimi signi ad vesperas, paratis omnibus choristis à parte celebrantis, caput omnino detegit, surgit, altari mediocriter inclinat, pergit ad celebrantem, stans in plano & mediocriter inclinans ac nihil dicens annuit illi ut incipiat &

Digitized by Google

redit ad bancam ut suprà num. 5. Quando D. Archiepiscopus, aut alius Episcopus celebrat in pontificalibus, ante illum profundè inclinans annuit ut incipiat.

2. Ad *Sicut erat* versûs *Gloria Patri*, primus choristа nudo omnino capite accedit ad unum è sacerdotibus superioris stalli à parte dextra, stans in plano annuntiat illi primum psalmum vesperarum in tono convenienti, inclinans mediocriter ante & post, & redit ad bancam ut suprà num. 5.

3. Finito *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine*, primus choristа, nudo omnino capite, convertit se ad dextram partem chori, imponit antiphonam in tono convenienti, mediocriter inclinat, & convertit se ad altare.

4. Post primum versum primi psalmi, choristæ nudo omnino capite è banca procedunt versûs altare, ubi profundâ inclinatione salutant altare, deinde facie ad suam quisque chori partem versâ convertunt se ad chorum, & illum salutant profundâ inclinatione: hinc pervenientes ad ambonem, vel cancellos chori, iterum profundè inclinant, primò versûs eos, qui stant infra ambonem, vel cancellos chori, deinde conversi ut suprà versûs altare, reliquos de choro profundâ inclinatione salutant; tum caput tegunt & deambulant, & paulo ante *Gloria Patri* redeunt ad bancam ut suprà num. 5. (detecto capite æstate:) eodem modo redeunt ad bancam paulò ante *Gloria Patri* cujuslibet psalmi & cantici, & doxologiam hymni. Ibidem (detecto capite æstate) stant ad antiphonas.

5. Ad neuma primæ antiphonæ secundus choristа nudo omnino capite ad unum è sacerdotibus vel clericis à læva parte chori, secundùm qualitatem festi accedit, illi annuntiat secundam antiphonam & redit ad bancam eodem ritu quo suprà num. 2. Impositâ secundâ antiphonâ, idem choristа, facie ad lævam partem chori versâ, inchoat secundum psalmum, mediocriter inclinat, & vertit se ad altare, sicque vicissim choristæ alias antiphonas annuntiant, & alios psalmos inchoant, & post primum versum cujuslibet psalmi deambulant, excepto psalmo *Laudate Dominum omnes gentes*, ad quem, propter brevitatem ipsius, stant ad bancam, nudo capite æstate.

6. Quando psalmi cantantur sub una antiphona, choristæ paulò ante *Gloria Patri* ultimi psalmi redeunt ad bancam, sed ad *Gloria Patri* aliorum psalmorum, chorum moderantes deambulant, & æstate caput detegunt.

7. Ad capitulum stant ad bancam, versâ facie ad altare, & nudo capite æstate.

Digitized by Google

8. In primis vesperis festorum solemnium-majorum & suprà, post impositum à quatuor cantoribus responsorium deambulant usque ad versum, tumque cum reliquis de choro sedent: ad *Gloria Patri* surgunt, & stant ad bancam usque ad finem responsorii, capite detecto æstate.

9. In primis vesperis duplicium & solemnium-minorum, finito capitulo, stantes ad bancam cum duobus adjutoribus imponunt responsorium nudo omninò capite, moxque (tecto capite hyeme) pergunt ad inferiorem partem chori, & ab illa deambulant usque ad gradus, qui sunt in medio stallorum è regione, aquilæ & paulo ante finem responsorii redeunt ad bancam, ubi versâ facie ad altare stantes, & nudo omninò capite, versum & *Gloriâ Patri* responsorii concinunt. Ubi minor est cantorum numerus, choristæ stantes ad bancam, responsorium cum reliquis de choro decantant.

10. In primis vesperis post responsorium, in secundis verò post capitulum, si non pulsentur organa, ac in utrisque semiduplicium, primus choristâ nudo omnino capite, facie ad dextram partem chori versâ imponit hymnum in tono convenienti, & mediocriter inclinat, moxque choristæ deambulant, capite detecto æstate.

11. In duplicibus & suprà, in dominicis, & infra octavas 1. 2. & 3. ordinis, dum cantatur doxologia hymni, choristæ ab altera parte celebrantis, nudo omnino capite, accedit ad pueros seu clericos stantes ad rostrum aquilæ, facie ad eos versâ annuntiat illis versiculum post hymnum mediocriter inclinans ante & post, & redit ad bancam. Interim choristæ à parte celebrantis nudo omnino capite accedit ad sacerdotem digniorem post celebrantem ab eadem parte, & stans in plano annuntiat illi antiphonam ad *Magnificat* mediocriter inclinans ante & post, & redit ad bancam ut suprà num. 2. Ubi minor est ambitus chori, idem choristæ eodem modo celebranti annuntiat antiphonam ad *Magnificat*. Quando D. Archiepiscopus, vel alius Episcopus celebrat in pontificalibus, primus choristæ genibus flexis annuntiat illi antiphonam ad *Magnificat* profundè inclinans ante & post.

12. Post impositam antiphonam, quando non pulsantur organa, choristæ à parte celebrantis, nudo omnino capite, & facie ad suam chori partem versâ imponit *Magnificat*, & mediocriter inclinat, tum choristæ nudo capite æstate stant ad bancam. Advenientibus celebrante & adjutore, caput omnino detegunt, ab ipsis thurificantur mediocriter inclinantes ante & post. Accedenti ad medium bancæ celebranti mediocriter inclinant, moxque deambulant, si thuriferario spatium sufficiens pateat ad thurificandum.

13. Ad antiphonam post *Magnificat* & collectam stant ad

Digitized by Google

bancam facie versâ ad altare, & nudo capite æstate.

14. In duplicibus & suprà, in Dominicis & infrà octavas 1. 2. & 3. ordinis, si fiant commemorationes, antiphonas imponunt choristæ stantes ad bancam nudo omnino capite, & facie versâ ad altare: versiculos verò primæ & tertiæ commemorationis primus choristæ annuntiat puero à parte dextra chori mediocriter illi inclinans ante & post, versiculos verò secundæ & quartæ commemorationis, si tot sint, secundus choristæ eodem modo annuntiat puero stanti à læva chori parte.

15. In solemnibus minoribus & suprà, post ultimum *Dominus vobiscum*, quando non pulsantur organa, choristæ stantes ad bancam, facie versâ ad altare & nudo omnino capite concinunt *Benedicamus Domino* in cantu convenienti.

16. In semiduplicibus extra prædictas octavas, antiphonas commemorationum imponunt choristæ ut suprà, sed versiculos illarum cantat primus choristæ stans ad bancam nudo omnino capite, & facie versâ ad altare.

17. Finitis vesperis choristæ medium habentes celebrantem, accedunt ad superiorem partem chori nudo omnino capite, ibique stantes, inter sanctuarium & aquilam, altare primùm, deinde chorum profundè inclinantes salutant, & redeunt in vestiarium.

18. In festis simplicibus & feriis choristæ hebdomadarius stans in uno è stallis inferioribus sine cappa serica, circa finem *Gloria Patri*, post *Deus in adjutorium*, nudo omnino capite convertit se ad unum è sacerdotibus stalli superioris à parte sua, illi annuntiat primum psalmum vesperarum in tono convenienti, mediocriter inclinans ante & post. Dicto *Alleluia* vel *Laus tibi Domine*, facie versâ ad alteram chori partem imponit primam antiphonam. Idem eodem modo imponit hymnum, antiphonam ad *Magnificat*, & antiphonas commemorationum, ac illarum versiculos cantat.

19. Quando post vesperas fit statio, choristæ stantes ad bancam nudo omnino capite, & facie versâ ad altare imponunt responsorium vel antiphonam, altari mediocriter inclinant, moxque ad locum stationis procedunt incedentes ponè celebrantem, vel in parochialibus ecclesiis ponè vicarios. Finito responsorio versum illius imponunt, nudo omnino capite. Ante altare seu imaginem stationis stant ponè celebrantem, vel in parochialibus ecclesiis ponè ceroferarios. Versiculum responsorii sive antiphonæ ceroferariis annuntiat primus choristæ eodem ordine quo suprà n. 11. Si cantetur prosa, ad illam deambulant choristæ, tumque eâ impositâ, nudo omnino capite procedunt versùs altare vel ima-

Digitized by Google

ginem stationis, illi profundè inclinant, deinde choro, ut suprà in vesperis num. 4. Tum procedunt ad inferiorem partem stationis, ubi vertunt se ad chorum, & illi profundè inclinant: in parochialibus ecclesiis celebranti parocho inclinant, deinde choro. Si D. Archiepiscopus vel alius Episcopus in habitu chori stationi interfit, illum similiter salutant profundâ inclinatione, deinde chorum. In solemnibus-minoribus & suprà, quando non pulsantur organa, post *Dominus vobiscum*, concinunt *Benedicamus* ut suprà num. 15. redeunt in chorum, accedunt ad bancam, celebranti mediocriter inclinant, deinde altari, & post versiculum *Fidelium animæ*, accedunt ad partem superiorem chori, ubi medium habentes celebrantem, altare primùm, deinde chorum salutant profundâ inclinatione, & redeunt in vestiarium, ut suprà num. 17.

10. Ad benedictionem, quæ datur cum SS. Sacramento, & quando SS. Sacramentum per chorum defertur in festo Corporis Christi & aliis, nudo omnino capite genua flectunt ponè bancam, & profundè inclinant. Ad benedictionem pontificalem stant ad bancam nudo omnino capite, & profundè inclinant.

Articulus II.

De officio choristarum in officio nocturno & laudibus matutinis.

1. Circa finem ultimi signi ad officium nocturnum, in duplicibus & suprà, choristæ medios habentes duos adjutores, in cappis sericis nudo omnino capite chorum intrant, & accedunt ad bancam, ut suprà pag. 329. num. 3. & 4. Post finem ultimi signi choristæ à parte celebrantis nudo omnino capite ad illum accedit & annuit illi ut incipiat mediocriter inclinans & nihil dicens ut suprà in vesperis pag. 330. art. 1. num. 1.

2. In eisdem duplicibus & suprà post *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine*, choristæ stantes ad bancam nudo omnino capite, facie versâ ad altare, & medios habentes duos adjutores invitatorium & psalmum *Venite* cum illis concinunt ordine, qui dictus est suprà part. 2. cap. 3. num. 4. & 5. pag. 55. In semiduplicibus, choristæ sine adjutoribus invitatorium & psalmum *Venite* concinunt.

3. Quando non pulsantur organa, primus choristæ imponit hymnum ut suprà in vesperis, tumque choristæ deambulant, altare & chorum salutant ut suprà art. 1. num. 4. pag. 331.

4. Antiphonas omnes annuntiant secundum qualitatem festi, & psalmos vicissim imponunt eodem ritu quo suprà in vesperis num. 5. incipiente primo choristâ, qui primam antiphonam annuntiat à parte dextra.

Digitized by Google

5. Ad neuma tertiæ & nonæ antiphonæ, primus choristа pueris ſtantibus ad roſtrum aquilæ verſiculum annuntiat, vt ſuprà in veſperis num. 11. pap. 332. Eodem modo ad neuma ſextæ antiphonæ ſecundus choriſta verſiculum annuntiat iiſdem pueris.

6. Ad antiphonas, verſiculos & abſolutiones, choriſtæ ſtant ad bancam nudo capite æſtate. Ad lectiones & reſponſoria ſedent ad bancam cum reliquis de choro tecto capite. Ad *Gloria Patri* tertii & noni reſponſorii ſurgunt, & uſque in finem reſponſorii ſtant ad bancam (capite detecto æſtate) & facie verſâ ad altare. Ad *Gloria Patri* aliorum reſponſoriorum in feſtis annualibus ſedent (& caput detegunt æſtate.) Lectiones evangelii ſtantes ad bancam audiunt facie ad lectorem verſâ (& capite detecto æſtate.)

7. Sextum reſponſorium ſtantes ad bancam nudo omnino capite & facie verſâ ad altare cantant, niſi aliter notetur.

8. Circa finem noni reſponſorii vel tertii tempore Paſchali, choriſta à parte celebrantis ſtans illi annuntiat canticum *Te Deum* eodem ritu quo *Magnificat* in veſperis ſuprà num. 11. Quando D. Archiepiſcopus vel alius Epiſcopus celebrat in pontificalibus, primus choriſta genibus flexis annuntiat illi *Te Deum*, eodem ritu quo *Magnificat* in veſperis art. 1. num. 11.

9. Ad laudes matutinas choriſtæ eadem obſervant quæ ſuprà in veſperis & eodem ritu.

10. In ſemiduplicibus verſiculos primi & tertii nocturni primus choriſta annuntiat puero ſtanti à dextra parte, ritu qui dictus eſt ſuprà in veſperis; verſiculum verò ſecundi nocturni ſecundus choriſta annuntiat puero ab altera chori parte ſtanti. Reſponſorium quintum ſecundus choriſta ſtans ad bancam nudo omnino capite & facie verſâ ad altare cantat. Sextum reſponſorium eodem ritu cantat primus choriſta.

11. Tempore Paſchali, in duplicibus & ſuprà, exceptis feſtis, quæ habent octavas, primus choriſta primum pſalmum annuntiat uni è ſacerdotibus ſtalli ſuperioris à parte dextra & imponit antiphonam eodem ritu, quo ſuprà art. 1. num. 2. & 3. Verſiculum nocturni in eiſdem duplicibus & ſuprà, pueris ad roſtrum aquilæ ſtantibus annuntiat primus choriſta eodem ritu quo ſuprà in veſperis art. 1. n. 11. In eiſdem duplicibus & ſuprà tertium reſponſorium choriſtæ cantant eodem ritu, quo ſuprà num. 7. In ſemiduplicibus, primus choriſta verſiculum annuntiat puero ſtanti à parte dextra. Tertium reſponſorium cantat idem choriſta ut ſuprà num. 10.

12. In ſimplicibus & feriis, choriſta hebdomadarius ſtans in ſtallo ſuo ſine cappa ſerica, nudo omnino capite, & converſus ad

Digitized by Google

altare invitatorium & psalmum *Venite* cantat. Idem facie ad alteram chori partem versâ imponit hymnum. In festis simplicibus, infra octavas quarti ordinis, ac in feriis tempore Paschali, idem choristæ annuntiat primum psalmum uni ex sacerdotibus superioris stalli à sua parte, & facie ad alteram chori partem versâ imponit antiphonam, sub qua cantantur psalmi eodem ritu quo suprà in vesperis art. 1. num. 18. In feriis extra tempus Paschale, eodem modo annuntiat primum psalmum & imponit primam antiphonam. Tertium responsorium in supradictis festis & feriis cantat nudo omnino capite stans in stallo suo facie ad alteram chori partem versâ.

Articulus III.

De officio choristarum in stationibus ante missam.

Procedendo ad stationem, incedunt post celebrantem; at in ecclesiis parochialibus incedunt post vicarios. Ante altare vel imaginem stationis stant ponè celebrantem, sed in ecclesiis parochial bus stant ponè cruciferum. In reliquis eosdem ritus observant, & eadem cantant quæ suprà in statione post vesperas, excepto versu *Benedicamus*, qui non cantatur.

Articulus IV.

De officio choristarum in missa.

1. In semiduplicibus & suprà, choristæ stantes ad bancam nudo omnino capite imponunt introitum. Tum, si per tempus liceat, nudo omnino capite, in superiori & inferiori parte chori profundè inclinantes altare & chorum salutant ut suprà in vesperis art. 1. num. 4. deinde redeunt ad bancam, ubi imponunt psalmum & *Gloria*, & post finem illius iterum imponunt introitum prosequente choro, moxque operto capite hyeme, & detecto æstate ab utraque parte chori deambulant. Si propter brevitatem introitûs non liceat illis ambulare, tunc, post impositum *Kyrie*, supradictas faciunt inclinationes, deinde deambulant. Ubi minor est cantorum numerus, stantes ad bancam introitum cum reliquis de choro decantant; tumque post impositum *Kyrie*, supradictas faciunt inclinationes, & postea deambulant.

2. Finito introitu, quando non pulsantur organa, primus choristæ facie ad suam chori partem versâ, & nudo omnino capite imponit *Kyrie*, moxque choristæ, tecto capite hyeme, ab utraque parte chori deambulant.

3. Ad

Digitized by Google

3. Ad penultimum *Kyrie*, choristæ redeunt ad bancam, ut sup. pag. 79. n. 11. primus choristа nudo omninò capite accedit ad sanctuarium, ante medium altaris profundè inclinat, in orâ infimi gradus altaris genua flectit, & conversus ad celebrantem annuntiat illi *Gloria in excelsis* in cantu convenienti, profundè inclinans ante & post, deinde surgit, iterum profundè inclinat altari, & redit ad bancam.

4. Post impositum à celebrante hymnum *Gloria in excelsis*, choristæ stantes ad bancam nudo omninò capite & facie versâ ad altare succinunt *Et in terra* choro alternis reliquum hymnum concinente, moxque hyeme caput tegunt, & ab utraque parte chori deambulant. Paulo ante versum *Suscipe deprecationem nostram*, accedunt ad bancam, ibique stant facie versâ ad altare usque ad finem ejusdem versus, deinde deambulant.

5. Dum cantantur collectæ stant ad bancam facie versâ ad altare & capite detecto æstate.

6. Ad epistolam sedent tecto capite, etiam æstate, cum reliquis de choro, eâque lectâ, caput detegunt, surgunt, & stantes ad bancam graduale imponunt & versum illius concinunt, nisi aliter notetur.

7. D. Archiepiscopo, vel alio episcopo celebrante in pontificalibus, choristæ post cantatum versum gradualis, nudo omninò capite accedunt ad sanctuarium, altari profundè inclinant, in infimo gradu sanctuarii genua flectunt, ibique inclinati benedictionem à pontifice recipiunt, quâ datâ surgunt, iterum altari profundè inclinant, & ad bancam revertuntur.

8. Ad *Alleluia* cum versu, ad prosam & tractum sedent tecto capite, etiam æstate, donec diaconus lecturus evangelium transeat per chorum; tunc enim surgunt cum reliquis de choro non amplius sessuri, nec æstate caput tecturi, nisi ad concionem, quando habetur. Postquam diaconus ascendit in ambonem, per chorum deambulant.

9. Circà finem prosæ, vel versus *Alleluia*, redeunt ad bancam. Ubi evangelium cantatur in ambone, vel ponè bancam, quando diaconus cantat *Dominus vobiscum*, facie ad se invicem versâ convertunt se ad illū. Ad verba *Initium* vel *Sequentia S. Evangelii* se signant in fronte, ore & pectore, & cum respondetur *Gloria tibi Domine*, eodem modo convertunt se ad altare, deinde iterum convertunt se ad diaconum & stantes audiunt evangelium, quo lecto convertunt se ad altare. Quando evangelium cantatur ad aquilam, accedente diacono surgunt, & proceduut ad tergum bancæ, ibique stant facie ad diaconum versâ usque ad finem evangelii.

Digitized by Google

10. Post impositum à celebrante symbolum *Credo in unum Deum*, stantes ad bancam nudo omninò capite, & facie versâ ad altare succinunt *Patrem* utroque choro prosequente & complente. Ibidem stant donec diaconus rediens ab ambone per chorum transierit, & cantatus fuerit versus *Et homo factus est*; tumque deambulant. In solemnibus-majoribus & supra stantes ad bancam nudo omninò capite, etiam hyeme, thurificantur mediocriter inclinantes antè & post, deinde oblatum à subdiacono codicem evangeliorum osculantur mediocriter inclinantes post osculum, moxque deambulant. In minoribus ecclesiis, ubi evangelium cantatur ad aquilam, vel intra cancellos altaris, aut in alio loco ab altari non multum distante, choristæ post impositum *Patrem* per chorum deambulant. Ad versum *Et incarnatus est* redeunt ad bancam, ubi facie versa ad altare stant usque ad *Et homo factus est* inclusive, & statim deambulant. Cætera peragunt ut suprà.

11. Finito symbolo, postquam celebrans cantavit *Oremus*, quando non pulsantur organa, stantes ad bancam nudo omninò capite imponunt offertorium, moxque tecto capite hyeme deambulant. Quando fit oblatio cleri vel populi choristæ stant ad bancam donec finita sit oblatio.

12. In solemnibus-minoribus & infrà, post versum *Dignum & justum est*, choristæ thurificantur ut sup. num. 10. Dum cantatur præfatio stant ad bancam versâ facie ad altare, eâque finitâ nudo omninò capite imponunt *Sanctus*, & statim deambulant usque ad *Osanna in excelsis* inclusivè.

13. Ad elevationem SS. Sacramenti nudo omninò capite genua flectunt ponè bancam profundè inclinantes. Post elevationem surgunt, redeunt ad bancam, ibique stant usque ad impositam antiphonam communionis. Ad secundam elevationem ibidem stantes caput omninò nudant hyeme, & profundè inclinant.

14. D. Archiepiscopo, vel alio Episcopo celebrante in pontificalibus, dum datur benedictio pontificalis, choristæ stantes ad bancam profundè se inclinant versùs altare.

15. Post *Pax Domini*, quando non pulsantur organa, choristæ stantes ad bancam nudo omninò capite imponunt *Agnus Dei*. Ibidem stantes nudo omninò capite thurificantur ut suprà num. 10. oblata à ceroferariis pacis instrumenta respectivè osculantur, post osculum respondent *Et cum spiritu tuo*, & mediocriter inclinant.

16. Quando choristæ communicant in missa, tunc post communionem subdiaconi accedunt ad sacram mensam nudo omninò

Digitized by Google

capite, in ora infimi gradus altaris genua flectunt, accipiunt linteum communionis, profundè inclinant, deinde erecto capite porrectum à celebrante Corpus Domini cum summa veneratione accipiunt, moxque profundiùs inclinant. Postea accepto à diacono calice, sive vase, os sibi purificant, & mappula tergunt, profundè inclinant, & ad bancam revertuntur. Peracta communione cleri, stantes ad bancam ut sup. n. 15. antiphonam communionis imponunt, & deambulant, si peracta fuerit communio populi.

17. Quando non fit communio cleri vel populi, dum celebrans communicat, stantes ad bancam antiphonam communionis imponunt ut suprà, moxque deambulant nisi propter minorem cantorum numerum, antiphonam cum aliis decantent.

18. Circa finem conclusionis ultimæ postcommunionis choristæ post factas altari & choro debitas inclinationes in vestiarium revertuntur.

19. Dominica prima quadragesimæ, & Dominica palmarum, choristæ stantes ad bancam, nudo omninò capite, tractum concinunt cum quatuor vel duobus aliis cantoribus, ordine, qui descriptus est supra, Dominica prima quadragesimæ.

20. In simplicibus & feriis chorum moderatur unicus choristæ, in cappa serica. Hic eadem cantat & agit quæ choristæ supra in semiduplicibus, & eodem ritu. In festis simplicibus à Dominica septuagesimæ ad feriam quartam cinerum sedet in medio bancæ dum cantatur graduale. Stans ad bancam nudo omninò capite tractum solus decantat. In feriis quadragesimæ, stans facie versa ad dextram chori partem, & nudo omninò capite imponit tractum *Domine non secundum peccata nostra*, nisi aliter notetur, & sedet donec diaconus accedat ad aquilam, tumque surgit. Tempore paschali primum *alleluia* cum suo versu nudo omninò capite cantat, nisi aliter notetur. A parte dextrâ chori deambulat ad introitum, *Kyrie* & *Gloria in excelsis*. Ad offertorium vero, *Sanctus* & antiphonam communionis deambulat à læva parte chori. Genua flectit ponè bancam ad elevationem SS. Sacramenti. In feriis quadragesimæ, quas semiduplex & suprà non sequitur, post impositum *Sanctus*, per dextram partem chori procedit ad tergum bancæ, ante medium illius genua flectit, & post *Pax Domini*, per lævam partem chori redit ad medium anterius bancæ, ubi imponit *Agnus Dei*: ab utroque thuriferario thurificatur mediocriter inclinans ante & post, oblatum à ceroferariis pacis instrumentum osculatur cuilibet respondens *Et cum spiritu tuo*, & mediocriter inclinat post osculum.

Digitized by Google

CAPUT V.

De officio thuriferarii.

1. THuriferarius convenienti tempore in vestiarium pergit, præmissâ brevi oratione, lavat manus, amictum & albam induit, vel sibi aptat, carbones ardentes in thuribulo poni curat, & thus in navicula, celebrantem, & alios ministros sacros juvat, dum se induunt, si necesse sit.

2. Procedens cum thuribulo, defert illud hoc modo: dextrâ thuribulum portat per summitatem catenularum, inter pollicem & indicem; & naviculam per pedem sinistrâ manu tenet. Attendat thuriferarius ut vas thuribuli à se aliquantulum removeat, ne albam aduri contingat, vel maculari.

3. Quando stat immotus, thuribulum leviter agitat, si opus sit, ne ignis extinguatur, vel humi deponit, ut notatur in propriis locis.

4. Ministraturus incensum ad vesperas, officium nocturnum, ac laudes matutinas, in infimo gradu altaris genua flectit ad dextram celebrantis, in eodem gradu thuribulum & naviculam deponit, elevat operculum vasis thuribuli: dextrâ thus cochleari accipit de naviculâ, & immittit in thuribulum dicens *Benedic pater.*

5. Thure benedicto, clausâque naviculâ, thuribulum operit, ac porrigit celebranti, hoc ritu; accipit manu dextrâ summitatem catenularum, illas osculatur & imponit sinistræ celebrantis; inferiorem verò partem catenularum prope vas thuribuli sinistrâ complectens, ponit in ejusdem celebrantis dexterâ, quam osculatur: deinde à dextris ejus genuflexus anteriorem partem pluvialis dexterâ elevat, alterâ manu pectori admotâ, & cum illo inclinante inclinat profundè. Quando celebrans thurificat, pluvialis fimbrias ita elevat, ut pluvialis superficies exterior sola appareat, & celebrans ministerio suo commodè fungi possit.

6. Finitâ incensatione, recipit thuribulum hoc modo; supponit ambas manus manibus celebrantis, cujus dexteram osculatur; tum dexterâ thuribulum accipit per summitatem catenularum, & illas osculatur.

7. Quando celebrantem, & alios sigillatim thurificat, id facit ritu sequenti; sinistrâ manu tenet supremam partem catenularum thuribuli, quas cum in medio apprehenderit, poplites flectit, thuribulum, quantùm fert tota catenularum longitudo, eâdem dextrâ manu in altum ter jactat, & post tertium jactum poplites flectit. Quando progrediendo thurificat, eodem modo thuribulum ter in altum jactat, & post tertium jactum incipit procedere thuribulum in altum

Digitized by Google

jactans. Incessu finito, cessat à thurificatione & poplites flectit.

8. In missâ solemnium-minorum & suprà ministrat incensum hoc ritu: accedens ad celebrantem illi poplites flectit, thuribulum sinistrâ sustinet, dextrâ verò tenet pedem naviculæ apertæ, ita ut pars clausa respiciat diaconum, naviculam tradit diacono, tum dextrâ elevat operculum thuribuli, deinde eâdem manu catenulas complectitur circa medium, & vas ipsum ad altitudinem naviculæ elevans, præsentat celebranti. Immisso, ac benedicto incenso, claudit thuribulum; sinistrâ naviculam accipit à diacono, moxque eidem thuribulum clausum tradit sine osculis, tenens illud per summitatem catenularum, & poplites flectit.

Articulus I.

De officio thuriferarii in vesperis, officio nocturno, & laudibus matutinis.

1. Ad *Gloria Patri* respondet, in primis vesperis festorum duplicium & suprà; in secundis verò, & utrisque vesperis festorum semiduplicium, ad ultimam antiphonam, thuriferarius è choro procedit in vestiarium, ut thuribulum & cætera præparet.

2. In majoribus ecclesiis, in quibus est major amplitudo chori, & copiosior cleri numerus, circa finem hymni; in aliis autem, ad initium cantici *Magnificat*, ponè celebrantem poplites flectit cruci vestiarii, deinde primus omnium procedit ad altare, sequens apparitores; genuflexus ministrat incensum ut suprà n. 4. Post incensatum SS. Sacramentum surgit, naviculam super altare ad latus epistolæ deponit, vel apparitori custodiendam tradit, pallium altaris revolvit, & post quam celebrans osculatus est altare, idem pallium expandit, poplites flectens in accessu & recessu: celebrantem ad SS. reliquias pergentem sequitur, partem anteriorem pluvialis elevat dum celebrans reliquias SS. thurificat, descendit in chorum, inter altare & aquilam ita tempestivè versùs altare inclinat, ut dum celebrans inclinat versùs altare, ipse thuriferarius, facie ad celebrantem conversâ, & ab eo aliquot passibus distans, eodem momento profundè inclinet versùs chorum; celebrantem procedentem in chorum sequitur, & dum choristas, & alios thurificat, partem anteriorem pluvialis elevat.

3. Post incensatos choristas, thuriferarius celebrantem trino ductu thurificat, poplites flectens ante & post. Hinc ad superiora stalla ascendit per gradus contiguos majori portæ chori, vel per gradus, qui sunt è regione aquilæ à parte dextra, vel alios secundum situm & usum locorum, ante primum illorum

Digitized by Google

qui stant versùs ambonem, seu cancellos chori à parte dextra se sistit, poplites flectit, thuribulum in altum ter jactat, moxque omnes, qui in stallis superioribus stant ab eâdem parte, continuatè incensat, usque ad ultimum illorum versùs altare; ubi iterum poplites flectit. Deinde, facie versâ ad stantes ab eadem parte, convertit se versus ambonem, descendit per gradus adversos aquilæ, ante primum, qui stat in inferioribus stallis infra ambonem, & alios, qui in iisdem stallis stant, eodem modo incensat; postea pergens ad alteram partem chori, infrà medium bancæ profundè inclinat, in superioribus, & inferioribus stallis eodem modo incensat, & in vestiarium redit.

4. In majoribus ecclesiis, de quibus sup num. 2. duo thuriferarii procedentes ad altare, post apparitores seu servientes, incedunt: primus incensum ministrat celebranti, secundus verò ministrat sacerdoti adjutori, qui cum celebrante incensat. Post incensatum SS. Sacramentum, primus sequens celebrantem per latus epistolæ procedit ad reliquias sanctorum ponè majus altare, secundus verò sequens sacerdotem adjutorem per latus evangelii, eâdem viâ descendunt in chorum, inter altare & aquilam inclinant ut suprà, primus thurificat à parte dextrâ & secundus à sinistrâ, & finitâ chori thurificatione, in vestiarium revertuntur, ritu, qui dictus est suprà part. 1. cap. 14. art. 1. n. 7. 8. & 9.

5. Eodem ritu ministrant incensum in officio nocturno ad primum psalmum cujuslibet nocturni, & ad *Benedictus* in laudibus matutinis. Advertant ut in secundo, & tertio nocturno non procedant ad reliquias sanctorum.

Articulus II.

De officio thuriferarii in missa solemnium-minorum & suprà.

§. Primus.

De ingressu ad altare, & aliis usque ad evangelium.

1. THuriferarius, lotis manibus in vestiario, celebrantem adjuvat, dùm sacras vestes induit.

2. In solemnibus, & suprà, antequam celebrans cum ministris progrediatur ad altare, thuriferarius stans à dextris diaconi, tradit illi naviculam, & thuribulum ministrat celebranti, ut suprà pag. 341. n. 8.

3. Impositò thure, & benedicto, recipit naviculam & poplites flectit. Deinde portans thuribulum dextrâ, & naviculam sinistrâ, primus omnium progreditur ad altare, sequens apparitores sive servientes,

Digitized by Google

4. Perveniens ad altare, sistit se ante medium infimi gradûs lateralis epistolæ, facie ad partem evangelii conversâ, thuribulum accipit sinistrâ per summitatem catenularum, dextrâ verò catenulas circa medium & elevat parumper operculum: dum ministri genua flectunt, ipse poplites flectit, leviter agitat thuribulum, ne ignis extinguatur.

5. Factâ confessione, cum celebrante & diacono ascendit ad altare, poplites flectit stans à dextris diaconi, facie ad eundem celebrantem conversâ, naviculam præbet diacono, deinde thuribulum. Receptâ naviculâ poplites flectit, defert naviculam super credentiam, redit ad altare, poplites flectit, librum cum pulvino amovet ab altari, cum eodem recedit in planum, prope cornu epistolæ, ubi stat facie ad partem evangelii conversâ. Factâ thurificatione in cornu epistolæ, refert librum ad altare, poplites flectit, moxque redit ad eumdem locum, ubi stat, donec completa sit altaris thurificatio.

6. Post thurificationem altaris completam, thuriferarius pergit ad dextram diaconi, ubi diacono celebrantem incensante, stat in plano, non nihil à tergo diaconi deflectens: tum incensato celebrante, thuribulum dextrâ recipit à diacono, poplites flectit, moxque thuribulum refert in vestiarium, unde brachiis ante pectus complicatis, redit in chorum vel ad credentiam, nudo semper capite, & poplites flectit.

§. SECUNDUS.

De evangelio, & aliis usque ad offertorium.

1. CIrca finem gradualis, vel si cantetur prosa, circa finem *Alleluia*, thuriferarius accedit ad celebrantem, poplites flectit: dum celebrans benedicit diaconum, à dextris ipsius diaconi genua flectit, & post datam diacono benedictionem à celebrante, aliquot grana incensi in navicula celebranti manu dextra præsentat, dicens *Benedic pater.* Post benedictionem thuris surgit, poplites flectit, à tergo acolythi, qui defert crucem, se sistit, cum diaconus inclinat altari, poplites flectit, moxque primus omnium procedit ad locum evangelii, thuribulum dextrâ deferens, & naviculam sinistrâ.

2. Perveniens ad locum evangelii, à sinistris secundi ceroferarii se sistit, facie ad diaconum versa. Diacono cantante *Initium*, vel *Sequentia sancti evangelii*, aliquot ex granis incensi prius ad altare in navicula benedictis, mittit in thuribulum, & naviculam humi deponit; ad verba *Gloria tibi Domine* diaconum

Digitized by Google

trino ductu thurificat, poplites flectens ante & post; deinde thuribulum humi deponit, & in eodem loco stans brachiis ante pectus complicatis audit evangelium.

3. Quando evangelium legitur ad aquilam, thuriferarius sistit se in medio chori, ad sinistram secundi ceroferarii, quatuor vel quinque passibus ab illo distans, facie ad diaconum versâ, & cætera perficit ut suprà.

4. Lecto evangelio, thuriferarius thuribulum dextrâ resumit, & naviculam sinistrâ, primus omnium procedens, eâdem viâ, quâ ante evangelium, redit ad altare, & ad partem epistolæ paululum secedit, ut locum cedat ministris. Dum celebrans librum osculatur, ad dextram diaconi accedit, & stans illi thuribulum sine osculis porrigit, & paulò infrà dexteram illius se sistit. Post incensationem celebrantis, thuribulum accipit à diacono, poplites flectit, & refert in vestiarium.

5. In solemnibus-majoribus, & suprà, postquam diaconus lecto evangelio, thurificavit celebrantem, thuriferarius, si per tempus liceat, pergit in vestiarium, ubi novos carbones ignitos mittit in thuribulum, moxque redit ad altare cum debitis poplitum flexionibus; si verò tempus non suppetat, secedit ad partem epistolæ, ubi stat à sinistris subdiaconi, facie ad altare conversâ. Ad verba *Et homo factus est* profundè se inclinat cum celebrante & ministris, deinde thus mittit in thuribulum, descendit in chorum præcedens subdiaconum, qui librum evangeliorum defert ad osculandum; stans à parte epistolæ è regione aquilæ, primum, deinde secundum choristam trino ductu successivè thurificat, poplites cuilibet flectens ante & post: ascendit ad stalla superiora per gradus contiguos majori portæ chori, ante primum illorum, qui stant infrà ambonem se sistit, poplites flectit, moxque ante omnes qui stant in superioribus stallis ab eâdem parte, usque ad ultimum versùs altare sine intermissione incensat, poplites flectit, facie versâ ad stantes ab eâdem parte convertit se, versùs ambonem descendit per gradus, qui sunt è regione aquilæ, ad infimam partem chori procedit, poplites flectit, ante stantes in inferioribus stallis à primo usque ad ultimum versùs altare sine intermissione incensat, poplites flectit, redit ad eosdem gradus adversos aquilæ, infrà illos se sistit ante stallum inferius, quod iisdem gradibus est contiguum versùs ambonem, & ibi stans, facie ad aquilam versâ, expectat subdiaconum, donec omnibus ab eâdem parte librum osculandum obtulerit. Deinde transit ad lævam partem

Digitized by Google

chori, ponè bancam profundè inclinat versùs altare, ascendit ad superiora stalla per gradus contiguos majori portæ chori, ante omnes qui stant in superioribus & inferioribus stallis incensat eodem ritu quo incensavit à parte dextrâ : infra ultimum stallum expectat subdiaconum, facie ad alteram partem chori versâ, & postquam omnes librum osculati fuerint, præcedens subdiaconum, redit ad altare. In iisdem festis, ad præfationem thurificatio non fit in choro.

§. TERTIUS

De offertorio & aliis usque ad canonem.

1. IN solemnibus-minoribus & suprà, post oblationem calicis, thuriferarius accedit ad altare, poplites flectit, & ministrat incensum, ut initio missæ. Thure benedicto, thuribulum tradit diacono, naviculam deponit in credentia, transit ad partem evangelii, profundè inclinans in plano ante medium altaris pone celebrantem, pergit ad missale, poplites flectit, accipit illud cum pulvino, descendit in planum ad partem evangelii, in eodem loco stat facie conversa ad latus epistolæ, librum utrâque manu sustinens, donec celebrans incensaverit partem anteriorem altaris à parte evangelii. Tum redit ad altare, missale reponit in loco suo, poplites flectit, descendit in planum, paulò infrà gradum infimum se sistit, donec diaconus celebrantem thurificaverit.

2. Thurificato celebrante, thuriferarius sequens diaconum procedit ad reliquias sanctorum ponè majus altare, vel sub illo collocatas, deinde ad olea sacra, paulò infra dextram diaconi stans dum hæc omnia incensantur ; deinde post ultimam thurificationem diaconum trino ductu thurificat, & in vestiarium redit, ubi novos carbones ignitos & incensum mittit in thuribulum.

3. In solemnibus-minoribus, & infrà, ad verba *Verè dignum & justum est*, thuriferarius intrat in chorum, altari poplites flectit, accedit ad aquilam, & stans à dextris illius, primum choristam incensat, deinde secundum, utrique poplites successivè flectens ante & post, ascendit ad superiora stalla per gradus contiguos majori portæ chori & ab utrâque parte chori incensat ut suprà art. 2. §. 2. num 5.

4. Dum cantatur *Sanctus*, si thurificatio chori sit perfecta, thuriferarius è vestiario procedit ad altare thuribulum deferens ante acolythos, qui deferunt faces, medius inter illos poplites flectit ponè acolythum, qui patenam sustinet, & in cornu infimi gradûs altaris genua flectit à parte epistolæ,

Digitized by Google

ubi paulò ante verba consecrationis incensum mittit in thuribulum. Si verò incensatio chori nondum sit perfecta, post finem illius rectà pergit ad altare.

§. QUARTUS

De canone, & aliis usque ad finem missæ.

1. CUm celebrans post verba consecrationis genuflectit, thuriferarius profundè inclinat, & dum elevatur sacra hostia jugiter incensat, & finitâ incensatione profundè inclinat. Eodem modo incensat, dum calix elevatur, deindo surgit, poplites flectit, & redit in vestiarium, & novos carbones ignitos mittit in thuribulum, antequam redeat in chorum.

2. Ad *Agnus Dei* in majoribus ecclesiis duo thuriferarii, præcedentibus ceroferariis, accedunt ad altare: ceroferarii infrà medium infimi gradus, thuriferarii verò infrà utrumque cornu ejusdem gradûs se sistunt, & poplites flectunt, deinde thuriferarii facie ad se invicem versâ poplites flectunt, & consistunt, donec pax deferatur in chorum.

3. Postquam ceroferarii pacis instrumenta deosculati sunt, thuriferarii incensum mittunt in thuribulum, poplites sibi invicem flectunt, deinde sequentes ceroferarios descendunt in chorum, choristas, & alios ab utrâque parte chori incensant in superioribus & inferioribus stallis, ut sup. part. 1. cap. 14. art. 1. §. 7. & redeunt in vestiarium.

4. Ubi est minor cleri numerus, thurificatio chori fit ab unico thuriferario.

ARTICULUS II.

De officio thuriferarii in festis duplicibus & infrà.

1. THuriferarius non ministrat incensum in vestiario, nec ad introitum missæ.

2. Post oblationem calicis accedit ad altare, à dextris diaconi genua flectit, thuribulum tradit diacono & post incensationem SS. Sacramenti cum eodem diacono pergit ad reliquias sanctorum. Cætera perficit ut suprà.

3. Quoties missa celebratur ponè majus altare, thuriferarius post lectionem evangelii redit ad altare majus, gradum sistit ante infimum gradum altaris, à dextris diaconi genua flectit, thuribulum tradit diacono ut SS. Sacramentum incenset, deinde ad reliquias sanctorum procedit & cætera ut suprà pag. 29. & 30.

4. Quando unicus choristæ chorum moderatur, in majoribus ecclesiis ambo thuriferarii choristam simul incensant.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De officio ceroferariorum.

1. CEroferarii albis induti nudo ſemper capite etiam hyeme miniſtrant. In ſolemnibus-minoribus & ſuprà, ſine capitiis miniſtrant.

2. Candelabra præ manibus habentes, quando procedendum eſt, ea ſic tenent erecta, ut qui à dextris incedit, manu ſiniſtrâ pedem candelabri teneat, dextrâ verò globum: qui autem à ſiniſtris, dextrâ pedem, ſiniſtrâ verò globum, & ſic elevant, ut pes candelabri cingulo ferentis reſpondeat, niſi ſolito majora, vel minora fuerint, tunc enim poterunt deprimere, vel attollere prout commodiùs fuerit. Pueri candelabra tenent utrâque manu infrà nodum.

3. Incedent graviter, erecto corpore, & toto corporis habitu ad modeſtiam compoſito. Per aliquam portam tranſituri [ne fortè cereos infringant] demittent candelabra, non verò cum cereis ipſa inclinabunt.

4. Quando tenent candelabra, poplites flectunt, ubi & quando præſcribitur; quando verò non tenent candelabra, manus & brachia decenter complicant antè pectus, & inclinant cum cæteris de choro, quando inclinandum eſt.

ARTICULUS I.

De officio ceroferariorum in veſperis.

1 QUando fit ſtatio poſt veſperas, in primis veſperis feſtorum duplicium & ſuprà circa finem reſponſorii; in ſecundis vero, ac etiam in utriſque veſperis feſtorum ſemiduplicium, ad ultimam antiphonam ceroferarii pergunt in veſtiarium ut candelabra præparent, & cereos accendant; quando verò non fit ſtatio, ſine ipſis fit thurificatio.

2. Poſtquam celebrans induit cappam, ceroferarii ponè illum & ſacerdotem adjutorem, ubi eſt ſacerdos adjutor, vel à dextris & ſiniſtris ipſorum, ſecundum ſitum locorum, ſe ſiſtunt, cum illis poplites flectunt cruci veſtiarii, moxque geſtantes candelabra procedunt ad altare, ſequentes thuriferarios.

3. Pervenientes ad altare, ſecedunt hinc & inde ante infimum gradum altaris, in rectâ lineâ ſtant omnium poſtremi: poplites flectunt, ſtatimque ad utrumque cornu infimi gradûs ſe ſiſtunt facie ad ſe invicem versâ, & poplites flectunt.

Digitized by Google

4. Postquam celebrans osculatus est altare, ubi reliquiæ SS. ponè majus altare thurificantur, poplites flectunt, procedunt ad reliquias SS. primus quidem per latus epistolæ, secundus verò per latus evangelii, si liceat per situm loci.

5. Pervenientes ad locum, ubi reliquiæ SS. asservantur, hinc & indè secedunt, & facie ad se invicem versâ poplites flectunt ante & post thurificationem reliquiarum.

6. Perfectâ thurificatione, eâdem viâ redeunt ad altare, & ad utrumque cornu infimi gradûs stantes facie ad se invicem versâ poplites flectunt, & candelabra sustinent usque ad finem cantici *Magnificat*, eoque finito sibi invicem poplites flectunt, descendunt ad gradus presbyterii, in infimo illorum deponunt candelabra, ante medium altaris poplites flectunt, ibique perseverant donec procedendum sit ad stationem.

7. In ecclesiis parochialibus ubi consuetum est reliquias SS. in mensa fabricæ expositas incensare, ceroferarii, postquam celebrans reliquias SS. ponè majus altare incensavit, transeuntes per chorum, major scilicet per partem dextram, & minor per sinistram descendunt in navim, se sistunt ante majorem crucem dum thurificatur, deinde ante reliquias, vel imagines SS. quæ in mensa fabricæ expositæ sunt, ritu qui dictus est suprà num. 5. Reversi in chorum, accedunt ad presbyterium, in medio infimi gradûs illius deponunt candelabra, poplites flectunt, & dum thurificatio fit in choro, in eodem loco stant facie ad altare conversâ.

8. Ad stationem, quæ fit post vesperas, imposito à choristis responsorio ceroferarii poplites flectunt, assumunt candelabra, & sequentes thuriferarium descendunt in navim.

9. Pervenientes ad locum, in quo fit statio, infra thuriferarium, & aliquot passibus ab ipso distantes, inter utramque cleri partem se sistunt, poplites flectunt, humi candelabra deponunt primo choristæ annuntianti versiculum poplites flectunt antè & post. Finito responsorio vel antiphonâ, versiculum cantant, deinde poplites flectunt.

10. Finita statione, redeunt in chorum, altari poplites flectunt, deinde præcedentes celebrantem & choristas revertuntur in vestiarium.

11. In officio nocturno ceroferarii candelabra non deferunt; in laudibus verò matutinis, quando post ipsas fit statio, ceroferarii ad thurificationem candelabra deferunt eodem ritu quo in vesperis, aliàs candelabra non deferunt.

Digitized by Google

Articulus II.

De officio ceroferariorum in missa solemnium minorum & suprà.

§. Primus.

De ingressu ad altare, & aliis usque ad offertorium.

1. Postquam celebrans casulam induit, ceroferarii assumunt candelabra, sistunt se ante crucem vestiarii, primus à dextris celebrantis, & secundus à sinistris, vel si locus non patiatur, post ministros sacros; cum celebrante & ministris cruci vestiarii poplites flectunt, deinde celebranti, & pergunt ad altare sequentes thuriferarium.

2. Cum pervenerint ad altare, rectà procedunt ad credentiam & in illa candelabra deponunt, primus accedit ad dextram diaconi & secundus transiens ponè altare, si per situm loci liceat, ad sinistram subdiaconi, ubi stantes in recta linea omnium postremi poplites flectunt. Æstate primus accepta à diacono bireta celebrantis & diaconi super sedilia ipsorum, vel in loco convenienti extra mensam altaris collocat, secundus verò subdiaconi biretum eodem modo deponit in loco convenienti, deinde ad dextram diaconi, & lævam subdiaconi respectivè redeunt, ubi stantes brachia ante pectus complicant, ad verba *In nomine Patris*, se signant, celebranti unà cum ministris respondent, sed voce paulo demissiore. Cum dicunt *Misereatur tui* mediocriter se inclinant, aliquantulum se vertunt versùs celebrantem: ad confessionem profundè se inclinant versùs altare: ad verba *Tibi pater*, & *Te pater* non nihil convertunt se ad celebrantem, ad *Mea culpa* tundunt sibi pectus, & cum celebrante se signant ad *Indulgentiam*.

3. Factâ confessione, dum celebrans ascendit ad altare, ceroferarii poplites flectunt, & recedunt in chorum, ut in ecclesia metropolitana, vel sistunt se à parte epistolæ facie ad partem evangelii versâ, ita ut aspectum altaris non impediant, & poplites flectunt.

4. Dum diaconus dicit *Munda cor meum*, ceroferarii (si sint in choro, redeunt in sanctuarium, altari poplites flectunt, accedunt ad credentem,) candelabra assumunt, sistunt se ponè subdiaconum & altari poplites flectunt. Post benedictionem incensi, iterum poplites flec-

Digitized by Google

tunt, & præcedente thuriferario procedunt ad locum ubi legendum est evangelium, primus per partem dextram, & secundus per sinistram chori partem.

5. Pervenientes ad locum evangelii, sistunt se ad partem septentrionalem, facie ad diaconum versâ, & medium habentes acolythum de cruce, stant gestantes candelabra dum legitur evangelium. Ad nomen *Jesu* & *Mariæ* poplites flectunt sed aliquanto profundius ad nomen *Jesu*. Quando diaconus genuflectit versus librum poplites flectunt.

6. Lecto evangelio, eodem ordine redeunt ad altare, poplites flectunt, candelabra deponunt in credentia; si cantetur symbolum, ad verba *Et incarnatus est* genuflectunt, vel inclinant cum celebrante.

§. II.

De offertorio, & aliis usque ad præfationem.

1. QUando dicitur symbolum, decantato versu *Et incarnatus est*, primus ceroferarius amovet à calice bursam corporalium, deinde ambabus manibus jacentem offert diacono, ita ut pars, quâ aperitur, diaconum respiciat, & illi poplites flectit.

2. Dum subdiaconus calicem defert ad altare, primus ceroferarius urceolos vini & aquæ accipiens dextrâ, sinistrâ vero pelviculam illis suppositam ferens ante pectus, incedit post subdiaconum ad altare, ubi collocat eandem pelviculam cum urceolis super cornu epistolæ, poplites flectit, deinde illos sine osculis successivè ministrat subdiacono, & ab eodem postmodum recipit, poplites flectit, & cum pelvicula refert ad credentiam, ubi stat, dum fit altaris thurificatio.

3. Post altaris thurificationem, idem ceroferarius tempestivè accedit ad altare, subdiacono porrigit sine osculis pelviculam & urceolum aquæ; secundus vero manutergium brachio illius sinistro imponit, & post exterfionem manuum celebrantis, uterque eadem respectivè recipit à subdiacono, poplites flectens in accessu & recessu, & refert ad credentiam.

§. III.

De præfatione, & aliis usque ad finem missæ.

1. DUm celebrans inchoat præfationem, ceroferarii poplites flectunt, & procedunt in vestiarium, unde cum duobus aliis acolythis accensas faces deferunt ad altare, præcedente thuriferario.

Digitized by Google

2. Advertant, ut qui à dextris incedunt, dextrâ faces teneant, qui verò à sinistris, illas sinistrâ teneant, alterâ manu pectori admotâ, nisi fortè propter pondus, aut altitudinem ipsarum, opus sit utramque manum admovere, ita tamen ut uniformiter eas teneant.

3. Ad *Sanctus*, accedunt ad altare, in eadem linea poplites flectunt ponè acolythum, qui sustinet patenam, & statim hinc & indè secedentes, genua flectunt è regione utriusque cornu altaris. Ad elevationem Corporis & Sanguinis Domini profundè se inclinant.

4. Post secundam elevationem hostiæ & calicis, quæ sit ante *Pater noster*, surgunt, poplites flectunt, & faces referunt in vestiarium. Dum celebrans cantat *Pax Domini sit semper vobiscum*, redeunt in sanctuarium, altari poplites flectunt, deinde sistunt se ad credentiam.

5. Ad *Agnus Dei*, accedunt ad infimum gradum ante medium illius poplites flectunt, porrecta sibi à diacono pacis instrumenta osculantur; eidem dicenti *Pax tecum* respondent *Et cum spiritu tuo*: deinde eadem pacis instrumenta per ansas accipiunt à diacono, quilibet pacis instrumentum eidem diacono osculandum successive offert dicens *Pax tecum*, & poplites flectunt, tum eadem pacis instrumenta deferunt in chorum sequentibus thuriferariis.

6. Pervenientes in chorum, pacis instrumenta osculanda porrigunt choristis, & poplites flectunt, tum si aliqui stent infrà ambonem, sistunt se ad utramque oram bancæ, ubi facie ad suam quisque chori partem versâ expectant donec thuriferarii choristas incensaverint, deinde thuriferarios sequuntur tardiori gressu, ut dent illis tempus incensandi ante primos ab utraque parte chori, ad superiorá stalla ascendunt per gradus contiguos majori portæ chori, singulis à primo versùs portam chori ad ultimum versùs altare, pacis instrumenta porrigunt ad osculandum, & post osculum singulis poplites flectunt, convertunt se ad ambonem facie ad suam quisque chori partem versâ, per gradus, qui sunt è regione aquilæ descendunt, instrumenta pacis osculanda eodem ritu offerunt singulis qui sunt in inferioribus. Postea versùs ambonem redeuntes pueris pacem offerunt incipiendo à primo versùs ambonem. Qui primus perfecerit sistit se ante ultimum stallum versùs altare, ubi facie ad alteram chori partem versâ socium expectat.

7. Si nulli stent infrà ambonem, ceroferarii post datam cho-

Digitized by Google

ristis pacem ascendunt ad superiora stalla per gradus adversos aquilæ, ad primum stallum vacuum secedunt, ut dent locum thuriferariis incensantibus, deinde pacem offerunt ut suprà.

8. Si clerus stet in inferioribus stallis, post datam choristis pacem accedunt ad utramque oram bancæ ut suprà, & postquam thuriferarii ante primos incensaverint, instrumenta pacis offerunt ad osculum ut suprà.

9. Ubi minor est cleri numerus, primus ceroferarius solus instrumentum pacis offert choristis, deinde stantibus à parte dextrâ, postea sequens thuriferarium transit ad lævam partem chori ponè bancam, à dextris thuriferarii profundè inclinat, & pacem dat singulis stantibus ab eâdem parte eodem ritu quo suprà.

10. Datâ in choro pace, redeunt ad altare, ante medium illius poplites flectunt, ascendunt ad cornu evangelii, ubi pacis instrumenta in illo deponunt & poplites flectunt, pergunt ad credentiam cum debitâ poplitum flexione, assumunt candelabra; redeunt ad cornu evangelii ubi factâ iterum ante medium altaris poplitum flexione expectant donec subdiaconus cum calice ab altari discedat: eo inclinante poplites flectunt, deinde illum præcedunt ad conditorium, vel credentiam. Si conditorium sit ponè majus altare, dum subdiaconus calicem refert ad locum destinatum, eundem subdiaconum præcedunt per latus evangelii, & per latus epistolæ revertuntur ad altare, si liceat per situm loci.

11. Reversi ad altare, deponunt candelabra in plano ad utrumque cornu infimi gradus altaris, & poplites flectunt. Æstate paulo ante benedictionem bireta celebrantis & ministrorum sumunt & loca sua repetunt. Ad benedictionem poplites flectunt, eâque datâ dum celebrans cum ministris genibus flexis in infimo gradu profundè inclinat, poplites flectunt altari, bireta tradunt ministris, candelabra assumunt, poplites flectunt, & in vestiarium revertuntur eodem ordine quo suprà §. 1. Hyeme, post benedictionem candelabra assumunt & cætera perficiunt ut suprà.

12. Pervenientes in vestiarium, hinc & inde secedunt, ut dent locum transeuntibus sacris ministris, & celebranti poplites flectunt, deinde cruci vestiarii. Ad verba *Et verbum caro factum est* iterum poplites flectunt, diaconum & subdiaconum se exuentes adjuvant, illis poplites flectunt, & facta brevi oratione, in chorum vel ad propria revertuntur.

ART.

Digitized by Google

ARTICULUS V.

De officio ceroferariorum in missa duplici & infrà.

1. CUm procedunt ad altare, hyeme capitia deferunt nudo capite.

2. Pervenientes ad altare candelabra deponunt ad utrumque cornu infimi gradûs altaris, & cætera perficiunt ut suprà. Ubi est credentia fixa, candelabra in illa deponunt.

3. Quando nullum munus obeundum illis incumbit, vel stant in choro, ut in metropolitana, vel in orâ utriusque cornu gradûs infimi genua flectunt.

4. Dum cantatur graduale, hyeme in metropolitana & collegiatis capitia & cappas laneas, in aliis capitia tantum deponunt in loco convenienti, accedunt ad utrumque cornu infimi gradûs altaris, poplites flectunt, candelabra assumunt, & in eodem loco consistunt facie ad se invicem versâ. Post benedictionem incensi poplites sibi invicem flectunt, & procedunt ad locum evangelii & cætera ut suprà art. 4. §. 1. num. 6.

5. Circa finem præfationis duas tantum faces accensas deferunt ad altare, & post secundam elevationem referunt in vestiarium.

6. Post relata ad altare pacis instrumenta, hyeme capitia resumunt ut suprà.

Quando missa celebratur ponè majus altare.

Unicus ministrat ceroferarius, isque ad confessionem stat à dextris diaconi, ad evangelium sistit se ponè aquilam facie ad diaconum versâ. In majoribus ecclesiis, ut in metropolitana, ad *Sanctus* duo pueri faces accensas deferunt ad altare, & ad *Agnus Dei* pacem deferunt in chorum ut suprà.

CAPUT VII.

De officio acolythi crucem ferentis, & patenam sustinentis in missa.

1. IN processionibus solemnibus intrà ecclesiam, & stationibus ante missam, acolythus de cruce cappam induit in vestiario; paratis omnibus, procedit in chorum, sequens ceroferarios, & ferens crucem, imagine crucifixi ad clerum conversâ, ante altare se sistit infrà gradûs presbyterii ponè ceroferarios, & expectat donec procedendum sit.

2. Responsorio à choristis impositio, idem acolythus procedit in navim, sequens ceroferarios & pueros. Si fiat statio ad

Digitized by Google

aliquod altare, vel imaginem, ante illud, vel illam se sistit ponè ceroferarios & pueros, aliquot passibus ab illis distans.

3. Finitâ processione, vel statione, solus ascendit ad altare, crucem ad latus epistolæ collocat in loco convenienti, unco firmat, altari poplites flectit, in vestiarium revertitur, & cappam exuit.

4. In missa festorum semiduplicium, & suprà, ac etiam in missis duplicibus defunctorum, si ante missam facta sit processio, vel statio, idem acolythus, cappâ indutus, è vestiario procedit ad altare dum diaconus dicit *Munda cor meum*, in accessu poplites flectit, ascendit ad latus epistolæ, crucem accipit, descendit in planum. Deinde post benedictionem diacono datam à celebrante, sequens, primum ceroferarium, procedit ad ambonem, vel alium locum, ubi legi consuevit evangelium.

5. Si ante missam nulla facta sit processio, vel statio, dum diaconus dicit *Munda cor meum*, idem acolythus, cappâ indutus, crucem accipit in vestiario, & accedit ad portam lateralem chori, ibique gradum sistit. Deinde dum ceroferarii ante eandem portam transeunt, accedit ad illos, & ponè primum incedens procedit ad ambonem, ut suprà.

6. Perveniens ad locum evangelii, se sistit ante faciem diaconi, à tergo legilis, & ibi stat, medius inter eosdem ceroferarios, dum legitur evangelium.

7. Lecto evangelio, redit ad altare, eodem ordine ascendit ad cornu epistolæ, ubi crucem collocat in loco convenienti, altari poplites flectit, & redit in vestiarium.

8. Ad *Sanctus*, idem acolythus socco, vel cappa indutus, discum argenteum, cum velo plicato ante aperturam socci, vec cappæ, utraque manu tenens è vestiario procedit ad altare, sequens ceroferarios, qui faces accensas deferunt, sistit se ponè subdiaconum, poplites flectit, oblatam à subdiacono patenam in parte convexâ osculatur, & ab eodem subdiacono repositam in medio veli recipit, & poplites flectit.

9. Dum elevantur sacra hostia & calix, in eodem loco genibus flexis profundè inclinatus adorat, & post repositum in altari calicem, cum ministris sacris surgit.

10. Quando celebrans incipit *Præceptis salutaribus moniti*, idem acolythus patenam velo involutam in disco porrigit subdiacono, ut illam accipiat, & poplites flectit. Ad *Panem nostrum*, velum recipit à subdiacono, poplites flectit & in vestiarium redit.

11. In missa simplici, quæ celebratur ponè majus altare, ad

Digitized by Google

Sanctus accedit ad subdiaconum & patenam ab illo recipit ut suprà, deinde pergit ad majus altare per latus epistolæ, ante medium illius consistit patenam sustinens & poplites flectit; ad *Præceptis salutaribus moniti*, eâdem viâ redit ad subdiaconum & cætera peragit ut suprà.

CAPUT VIII.

De officio clerici collectarum librum gestantis.

1. AD secundum psalmum vesperarum, & laudum: clericus de libro collectarum ante altare profundè inclinans, egreditur è choro, ut librum collectarum præparet; capitulum, collectam, & alia quæ à celebrante cantanda sunt perquirat, & signacula suis quæque locis aptet.

2. Inchoato penultimo psalmo, librum collectarum ante pectus inclinatum, utraque manu decenter sustinens, chorum ingreditur, ante medium altaris poplites flectit, si celebrans stet in primo stallo dextræ, vel lævæ partis chori, ascendit ad illum per gradus contiguos majori portæ, aliàs per gradus, qui sunt è regione aquilæ, librum deponit ante illum, capitulum, collectam, & cætera indicat, poplites flectens ante & post, & ad locum suum redit.

3. Circa finem cantici *Magnificat*, & *Benedictus*, idem clericus ascendit ad stallum celebrantis, librum claudit, & sumit, poplites flectens ante & post, illum defert ad aquilam, super illam collocat & in folio convenienti aperit: deinde se sistit à dextris celebrantis, ut illi collectam indicet, & folia vertat si opus sit.

4. Post secundum *Dominus vobiscum*, librum claudit, poplites flectit celebranti, & librum refert in locum suum.

5. Quando fit statio post vespera, illa finitâ librum claudit, & ad locum suum redit librum utrâque manu sustinens, ut suprà num. 2.

CAPUT IX.

De officio puerorum chori.

1. PUeri eligantur in & de legitimo matrimonio procreati, voce suavi & canorâ, corpore non mutilo vel deformi, sed quantum fieri poterit, venusto, iisque indole ac ingenio præditi, ut de ipsis fausta omnia sperari possint.

2. Antequam conveniant in ecclesiam, habitum chori induunt ordinarium ut suprà part. 1. cap. 1. deinde bini & bini modestè procedunt: ecclesiam ingressi, nudis capitibus sistunt se ante vas aquæ benedictæ in modum hemicycli, aquâ asperguntur à magistro, vel eo absente à majori ipsorum, & poplites flectunt.

Digitized by Google

3. Cum pervenerint in chorum, altari poplites flectunt, in infimo gradu presbyterii genibus flexis recitant *Pater* & *Ave*, surgunt, iterum poplites flectunt, tum bini & bini alter ad alterum propiorem versâ facie convertunt se ad chorum, deinde aliquantulum progressi sistunt se omnes in rectâ linea, convertunt se ad altare ut suprà, profundâ inclinatione illud salutant, & loca sua petunt, ubi facie ad se invicem versâ poplites flectunt.

4. Convenientes in ecclesiam post inchoatum officium aquâ benedictâ asperguntur ut suprà, ad januam chori genibus flexis recitant *Pater* & *Ave* : chorum ingressi sistunt se omnes in rectâ lineâ paulò infra ultimum gradum presbyterii, profundè inclinant ante altare, & pergunt ad loca sua, ut suprà num. 3.

5. In choro, stant erecto decenter corpore, brachiis ante pectus ritè complicatis, vultu, & totius corporis habitu ad modestiam composito, mente erectâ ad Deum, & ad ea ministeria, quæ accuratè & religiosè exequi debent, diligenter attendentes, nudo semper capite æstate.

6. Sedent, ad altare se convertunt, genua flectunt, se signant, inclinant, & hyeme capita nudant simul cum cæteris de choro. Advertant ut quando genua flectunt, faciem convertant ad altare.

7. Quoties aliquid acturi suis è sedibus surgunt ut aliò pergant, antequam pedes efferant, hyeme caput nudant, & poplites semper flectunt. Cum eò pervenerint quò tendunt, denuo poplites flectunt. Re peractâ ad sedes suas revertuntur, & poplites iterum flectunt, priusquam aliud quidquam agant.

8. E choro egredientes, ante altare reverenter poplites flectunt, & quoties in illum revertuntur, ante illud profundè inclinant.

9. Profundè se inclinant versùs altare ad *Gloria Patri*, usque ad *Seculorum amen* inclusivè, post quoscunque psalmos, & post cantica; ad capitula, & orationes; ad *Gloria Patri* post psalmum *Venite*, ad *Gloria Patri* 3. 6. & 9. responsorii & ad versum sacerdotalem. Præterea in missis eodem modo se inclinant ad omnes orationes, ad verba *Gloria in excelsis Deo*, ad præfationem, à *Per omnia* usque ad *Sanctus* exclusivè, & ad orationem Dominicam, à *Per omnia* usque ad *Sed libera nos à malo* inclusivè. *In ecclesia metropolitana, spex non inclinat se ad omnia suprà dicta, sed convertit se ad altare unà cum canonicis in minoribus.*

Digitized by Google

10. Quoties pronuntiatur nomen *Jesu* vel *Mariæ*, poplites flectunt in locis suis, sed aliquantò profundiùs ad nomen *Jesu*. Item poplites flectunt ad ea omnia, ad quæ chorus inclinat, ad *Gloria Patri* post *Deus in adjutorium*, & in fine introitûs missæ, & ad ea, ad quæ chorus æstate caput detegit.

11. Poplites etiam flectunt, quoties in ministerio altaris ad illud accedunt, & ab eo recedunt, quoties ad loca sua, ad aquilam, vel rostrum aquilæ, ad celebrantem, ad choristas, ad ministros altaris, & ad quoscumque sacerdotes accedunt, & ab eis recedunt in accessu & recessu; quando thurificantur, ante thurificationem conversi ad altare poplites flectunt, & post thurificationem profundè inclinant versùs altare, deinde conversi ad alteram chori partem poplites flectunt: item quando aquâ benedictâ asperguntur, aut aliquid eis annuntiatur, poplites flectunt ante & post. Item quoties in ecclesia metropolitana & collegiatis, ante canonicos quoscumque transeunt, vel canonicus ante illos transit, poplites similiter flectunt. In parochialibus ecclesiis ante parochum & vicarios eodem modo poplites flectunt. Transeunte crucifero ante & post evangelium; item transeunte D. Archiepiscopo, vel aliquo episcopo, pueri omnes ab utraque parte chori poplites flectunt; transeunte verò canonico, pueri à parte ejusdem canonici, poplites flectunt. *In ecclesia metropolitana, transeunte decano vel præcentore omnes ab utrâque parte chori poplites flectunt.*

12. Stantes audiunt evangelium conversi ad diaconum, & nudo semper capite. Si evangelium cantetur in ambone, dum chorus respondet *Gloria tibi Domine*, facie ad suam quisque chori partem versâ convertunt se ad altare, moxque eodem modo vertunt se ad diaconum. Eodem modo (*in ecclesiâ metropolitanâ canonici* in minoribus *constituti*,) qui stant in stallis inferioribus, & ad scamna in plano posita, si quæ sint, convertunt se à diacono ad altare, & ab altari ad diaconum.

13. In feriis quadragesimæ, ad missam, reliquis de clero genuflexis, pueri surgunt ad orationem Dominicam, moxque conversi ad altare profundè se inclinant usque ad finem ejusdem orationis; eâque completâ, statim genua flectunt usque ad *Pax Domini*.

14. Quando ad vestiarium, aut alium locum procedunt, alicujus ministerii causâ, illud nunquam cursim faciant, sed graviter, & modestè, nudis semper capitibus, & complicatis ante pectus brachiis, nisi sit aliquid deferendum, ac propterea ante divinum officium, universa quæ ab illis gerenda & præparanda sunt, diligenter prævideant.

Digitized by Google

15. In duplicibus & suprà, in dominicis & infra octavas 1. 2. & 3. ordinis, dum cantatur ultima strophe hymni, duo pueri, quorum unus à parte dextrâ chori & alter à lævâ, stantes in locis suis, facie ad se invicem versâ, uno & eodem tempore poplites flectunt, accedunt ad rostrum aquilæ, ubi facie versâ ad altare simul poplites flectunt: choristæ annuntianti vesiculum post hymnum poplites flectunt ante & post: finito hymno versiculum concinunt, versùs altare profundè inclinant, deinde adversâ inter se facie vertunt se versus aquilam, profundè inclinant, & loca sua repetunt, ubi facie ad se invicem versâ poplites flectunt. Circa finem collectæ eodem ritu quo suprà accedunt ad caudam aquilæ, ubi post *Dominus vobiscum* stantes ponè celebrantem concinunt *Benedicamus*, versus altare profundè inclinant, & loca sua repetunt ut suprà.

16. Si fiant commemorationes, puer in loco suo stans à parte dextrâ, conversus ad altare, choristæ annuntianti versiculum poplites flectit ante & post: finitâ antiphonâ conversus ad altare cantat versiculum; profundè se inclinat versus altare, sicque inclinatus permanet usque ad finem orationis. Eodem modo alius puer stans ab alterâ parte chori cantat versiculum secundæ commemorationis, sicque alternis cantant versiculos commemorationum, si plures fuerint.

16. In semiduplicibus extra prædictas octavas, puer stans ab alterâ parte celebrantis, & facie versâ ad altare, choristæ annuntianti versiculum post hymnum poplites flectit ante & post, hymno finito cantat versiculum, profundè inclinat versùs altare, deinde facie ad alteram chori partem versâ poplites flectit. Dicto *Dominus vobiscum* post collectam, puer à parte celebrantis conversus ad altare, cantat *Benedicamus*, versùs altare profundè inclinat, deinde facie ad alteram chori partem versâ poplites flectit.

18 In simplicibus & feriis antiphonas 2. 3. 4. & 5. imponunt alternis duo pueri stantes in locis suis, & conversi ad chorum hoc ordine; ad *Gloria Patri* primi & tertii psalmi, puer, qui est ab alterâ parte choristæ, poplites flectit in suo loco; si sit ab alterâ parte celebrantis, transit ad partem ipsius, ponè bancam profundè inclinat versùs altare, in plano chori se sistit ante celebrantem, illi profundè inclinat, eâdem viâ redit ad locum suum, ubi facie ad alteram chori partem versâ poplites flectit. Si sit à parte celebrantis, rectà ad illum pergit, illi profundè incli-

Digitized by Google

nat & locum ſuum repetit ut ſuprà : finitâ primâ antiphonâ, converſus ad alteram chori partem imponit ſecundam antiphonam, convertit ſe ad altare, profundè inclinat, deinde facie ad alteram chori partem verſâ poplites flectit : eodem ritu imponit quartam antiphonam. Ad *Gloria Patri* ſecundi & quarti pſalmi, alius puer, qui eſt à parte choriſtæ, eodem ordine accedit ad celebrantem, illi profundè inclinat, locum ſuum repetit ut ſuprà, & finitâ ſecundâ antiphonâ imponit tertiam, deinde poſt finem quartæ antiphonæ imponit quintam : dum cantatur hymnus, iidem pueri, eâdem viâ quâ ſuprà, reſpectivè accedunt ad celebrantem ita tempeſtivè, ut ambo ante illum ſimul & eodem momento inclinent, deinde ad loca ſua revertuntur. Verſiculum poſt hymnum, & ſecundum *Benedicamus*, quando dicendum eſt, cantat, puer ab alterâ parte choriſtæ ſtans in loco ſuo facie verſâ ad altare & altari profundè inclinat. Primum *Benedicamus* eodem ritu cantat puer à parte choriſtæ.

AD COMPLETORIUM.

19. In duplicibus & ſuprà ; in dominicis & infrà octavas primi, ſecundi & tertii ordinis, dum cantatur capitulum, iidem pueri in locis ſuis poplites flectunt, accedunt ad roſtrum aquilæ, poplites flectunt, finito capitulo concinunt reſponſorium breve *In manus*, & verſiculum *Cuſtodi nos*, profundè inclinant verſus altare & aquilam ut ſuprà, loca ſua repetunt, & facie ad ſe invicem verſâ poplites flectunt.

20. In ſemiduplicibus extra ſupradictas octavas & infra, puer ab alterâ parte celebrantis ſtans in loco ſuo, converſus ad altare, cantat reſponſorium breve *In manus*, deinde facie ad alteram chori partem verſâ, cantat verſiculum *Cuſtodi nos*, altari profundè inclinat, tum facie ad alteram chori partem verſâ poplites flectit.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

21. In duplicibus & ſuprà, in dominicis & infra octavas primi, ſecundi & tertii ordinis quando dicuntur novem lectiones, circa finem hymni puer ſtans à parte dextrâ, facie ad alteram chori partem verſâ, choriſtæ annuntianti primam antiphonam poplites flectit ante & poſt, finito hymno, facie ad alteram chori partem verſâ, imponit primam antiphonam, convertit ſe ad altare, illi profundè inclinat, deinde facie ad alteram chori partem verſâ poplites flectit. Eodem modo alius puer à lævâ parte chori im-

Digitized by Google

ponit secundam antiphonam, & alius à dextrâ parte imponit tertiam. Versiculos primi, secundi & tertii nocturni cantant duo pueri eodem ritu quo suprà versiculum ad vesperas.

22. In solemnibus & suprà, circa finem primæ lectionis duo pueri simul poplites flectunt in suis locis, accedunt ad rostrum aquilæ, altari poplites flectunt, finitâ lectione imponunt responsorium, versum illius concinunt, ac etiam *Gloria Patri* in annualibus, versus altare & aquilam profundè inclinant, loca sua repetunt & poplites flectunt ut suprà. Finitâ secundâ lectione duo alii pueri eodem ritu imponunt secundum responsorium & versum illius concinunt. Tempore paschali, in solemnibus, quæ habent octavas, primam antiphonam imponit eodem ritu puer stans à parte dextrâ. In eisdem festis primum responsorium cantant duo pueri eodem ritu quo suprà.

23. In festis duplicibus pueri bini & bini in ordine vicis suæ eodem ritu, quo suprà, cantant responsoria primi nocturni. Tempore paschali eodem ritu primum & secundum responsorium cantant, Ad laudes in eisdem duplicibus & suprà, versiculum post hymnum & *Benedicamus* cantant duo pueri eodem ritu, quo suprà in vesperis.

24. In semiduplicibus, quando dicuntur novem lectiones, puer stans à parte dextrâ versiculum primi & tertii nocturni cantat eodem ritu quo suprà versiculum vesperarum in semiduplicibus. Versiculum secundi nocturni cantat puer stans ab alterâ parte chori. Dum cantatur versiculus primi nocturni, puer à parte lævâ chori poplites flectit in suo loco, accedit ad aquilam, poplites flectit, dictâ absolutione cantat *Jube domne benedicere*, post datam benedictionem à celebrante cantat lectionem, quâ finitâ poplites flectit, locum suum repetit, & facie ad alteram chori partem versâ poplites flectit. Eodem ritu alius puer à dextrâ parte chori poplites flectit, accedit ad aquilam & legit secundam lectionem, deinde alius à lævâ parte cantat tertiam. Circà finem primæ lectionis puer à parte dextrâ stans in loco suo facie versâ ad altare imponit primum responsorium, versum illius cantat, altari profundè inclinat, & facie ad alteram chori partem versâ poplites flectit. Eodem ritu alius puer stans à parte sinistrâ cantat secundum responsorium, & tertius à parte dextra cantat tertium. Quando dicuntur tres tantum lectiones, versiculum cantat puer à parte dextrâ: primum, & secundum responsorium cantant duo pueri alternis, eodem ritu quo suprà. Ad laudes in eisdem semiduplicibus versiculum post hymnum & *Benedicamus* cantat puer eodem ritu quo in vesperis.

Digitized by Google

25. In simplicibus, infra octavas quarti ordinis, & in feriis tempore paschali [extra ecclesiam metropolitanam] puer stans in loco suo à parte dextrâ versiculum cantat eodem ritu quo suprà num. 23. In feriis per annum, ubi pueri officio nocturno interſunt, secundam 3. 4. 5. & 6. antiphonam duo pueri imponunt alternis eodem ritu quo in vesperis. Ad laudes ubi pueri eisdem laudibus interſunt, duo pueri 2. 3. 4. & 5. alternis imponunt, & dum cantatur hymnus ambo ante celebrantem inclinant eodem ritu quo in vesperis, versiculum post hymnum & *Benedicamus* iidem pueri cantant alternis, & eodem ritu quo suprà in vesperis.

AD PRIMAM.

26. Ad primam in duplicibus & suprà, in dominicis & infra octavas 1. 2. & 3. ordinis responsorium breve & versiculum cantant duo pueri stantes ad rostrum aquilæ, eodem ritu quo responsorium *In manus* ad completorium: in semiduplicibus, infra octavas quarti ordinis, in simplicibus & feriis cantatur à puero stante in loco suo ab alterâ parte celebrantis ut suprà ad completorium. In simplicibus & feriis, ad penultimam hymni strophen puer à parte celebrantis ad illum accedit, illi profundè inclinat, deinde imponit antiphonam eodem ritu quo suprà ad vesperas festorum simplicium.

AD OFFICIUM CAPITULI.

27. Puer legit lectionem martyrologii, deinde lectionem canonum eodem ritu quo lectiones officii nocturni. Finitâ lectione canonum poplites flectit versus altare, accedit ad celebrantem, ante illum stans in plano poplites flectit, ad versum *Benedicite* respondet *Deus*, ad benedictionem *Dominus nos benedicat* celebranti poplites flectit, respondet *Amen*, librum refert in locum constitutum, & locum suum repetit.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

28. In majoribus ecclesiis ad tertiam, in duplicibus feriatis à populo & suprà, ac in dominicis responsorium breve & versiculum cantat unicus puer eodem ritu quo suprà ad primam in semiduplicibus. In eisdem ecclesiis ad tertiam, sextam & nonam, in feriis adventus à die decima sexta decembris usque ad vigiliam natalis Domini exclusive, ac etiam in feriis quadragesimæ responsorium breve & versiculum cantat unus puer ut suprà. In minoribus ecclesiis ad omnes horas, tam in duplici-

Digitized by Google

bus & suprà, quam in semiduplicibus, simplicibus & feriis responsoria brevia cantat unus puer eodem ritu. In simplicibus & feriis ad penultimam hymni strophen, ante celebrantem inclinat deinde imponit antiphonam.

AD MISSAM.

29. In semiduplicibus & festis simplicibus circa finem gradualis, duo pueri stantes in locis suis poplites flectunt, accedunt ad caudam aquilæ, ubi poplites flectunt : finito graduali concinunt *Alleluia* cum versu sequenti, & repetito *Alleluia* poplites flectunt, loca sua repetunt, ubi altari profundè inclinant, & facie ad se invicem versâ poplites flectunt. Tempore paschali eodem modo cantant secundum *Alleluia*. In feriis extra tempus paschale *Alleluia* cantatur ab uno.

30. In simplicibus occurrentibus à dominica septuagesimæ usque ad feriam quartam cinerum, & in feriis adventus & quadragesimæ graduale post epistolam cantatur ab uno puero, nisi aliter notetur.

31. Nihil unquam cantent, vel ministrent, antequam in illius cantu, & ministerii functione ritè edocti sint, & à magistro probati.

32. Ubi sunt in sufficienti numero, iidem funguntur officiis thuriferarii, ceroferariorum, acolythi ferentis crucem, patenam sustinentis in missa, & clerici de libro collectarum.

CAPUT X.

De officio magistri puerorum chori.

1. Magistri puerorum chori partes sunt, pueros probatam canendi methodum, ecclesiæ ritus, divini officii seriem, & ordinem, doctrinam christianam & linguam latinam docere, eosdemque christianis præceptis imbuere.

2. Ut rectam verborum pronuntiationem, & debitas interpunctiones servent in omnibus, quæ ab illis legenda, vel cantanda sunt, legentes & cantantes audiat, antequam quidquam in choro legant, aut cantent, & dum in choro legunt, vel cantant, sedulò auscultet.

3. Piæ, & modestæ ipsorum in choro, & ecclesia, conversationi diligenter invigilet. Ne per ecclesiam vagentur, & currant, ne in vestiario, aut alicubi nugentur, aut garriant sedulò caveat; negligentes, inobedientes, tepidos ac remissos pa-

Digitized by Google

ternè excitet, ac severè puniat quasi de ipsis Deo, & hominibus rationem redditurus.

4. Ad excitandum in cordibus illorum, modestiæ, pietatis, temperantiæ, & urbanitatis amorem, illarum omnium exemplum ipsis præbeat, & ad eas sectandas sæpissimè adhortetur.

5. In festis solemnibus & dominicis, si fieri possit, albas mundas ipsis exhiberi curet, & ut eas sibi invicem concinnè aptent, sedulò provideat; illas etiam, cùm opus fuerit, propriis manibus aptans.

6. Ut singulis mensibus peccata confiteantur, & cum ad ætatem sufficientem pervenerint, ad sacram synaxim devotè accedant sedulò adhortetur. Denique ut baptismi innocentiam conservent, omni curâ & cautione invigilet.

7. Rationem sacerdoti in missa rectè ministrandi, vestes sacras ipsi, & aliis ministris sacris aptandi, doceat.

8. Denique piæ, & probæ illorum educationi eam det operam, ut de illâ apud Deum & homines commendari mereatur.

CAPUT XI.

De officio præfecti cæremoniarum.

1. UT divinum officium, eâ, quâ par est, majestate celebretur, necesse est, ut in qualibet ecclesiâ instituatur præfectus cæremoniarum, vir sacrorum rituum apprimè peritus, isque, quantum fieri poterit, sacerdos aut saltem in sacris ordinibus constitutus, qui singulari prudentiâ & comitate sit præditus, ut omnes in suo munere circa divinum officium obeundum libentiùs illi pareant & obsequantur.

2. Ad præfectum cæremoniarum pertinet, ea quæ ad divinum officium spectant, congruo tempore sic disponere, & omnibus ita providere, ut nulla unquam accidat confusio. Illius est advertere, ut ministri omnes suo quique officio ritè fungantur, & quæ præscripta sunt in hoc cæremoniali, serventur exactissimè, nihil omninò omittendo, nec quicquam de novo admittendo, sine expressâ D. Archiepiscopi licentiâ. Ejus etiam partes sunt quæcumque in choro cantanda & facienda sunt apprimè scire, iisque oppportunè providere; ac etiam invigilare ut congruo tempore & secundum qualitatem festi dentur signa divini officii.

3. Ut omnium rationem reddere possit, non solum debet hujusce cæremonialis perfectissimam notitiam habere; sed etiam

Digitized by Google

convenit ; ut pontificale & cæremoniale episcoporum, Innocentium tertium de mysteriis missæ, Hugonis Menardi notas in sacramentarium sancti Gregorii, cardinalis *Bona* libros de divina psalmodia & de rebus liturgicis, Edmundum *Martene* de ritibus ecclesiasticis, & alios authores sedulò evolvat, qui varios de hoc argumento tractatus ediderunt, ac imprimis Joannis *Mabillon* perdoctum commentarium in ordinem Romanum, ac varios ordinis Romani libellos ab ipso tomo 2. Musæi Italici editos, ex quorum lectione facilè intelliget, universos pene ritus, quibus ecclesia Parisiensis in divinis officiis utitur, olim in ecclesia Romana fuisse observatos.

4. Curet, ut, quantum fieri poterit, chorus uterque sit æqualis, tam numero cantorum, quàm æqualitate vocum.

5. In processionibus, invigilet, ut quisque suum ordinem, quantum fieri poterit, in æquali, & convenienti distantiâ observet; indicetque choristis, si opus sit, quæ sunt cantanda

6. Singulis sabbatis tabellam in vestiario, aut alio loco, secundum consuetudinem locorum, affigat, in qua proponat qui sequenti hebdomadâ futuri sint hebdomadarii missæ, evangelii & epistolæ, qui cantaturi sint invitatoria, lectiones & responsoria : sua cuique munia prudenter assignet ; eaque sic distribuat, ut quantum fieri poterit, nulli diversa officia committat, quatenus singuli demandata sibi munia majori cum pietate ac zelo possint adimplere

7. Quando occurrent quædam extraordinaria, veluti SS. Sacramenti expositio, oratio quadraginta horarum, publicæ processiones, aut alia ejusmodi, illius partes erunt curare, ut omnia fiant juxta formam in hoc cæremoniali traditam. Specialem ideò conscribet tabellam, in qua singulorum munia notabit, & pro oratione 40. horarum ac etiam expositione SS. Sacramenti per diem integrum, designabit horas, quibus suo quisque ordine coram SS. Sacramento orare debeat, vel psalterium recitare. Si verò propter aliquam causam aut necessitatem positus ordo mutandus sit, de factâ mutatione, quos oportet, tempestivè monebit.

8. Dum cantatur divinum officium, omnia modestè circumspiciat, & singula perpendat munia ; ut si quid omissum, vel aliquem errorem admissum adverterit, prudenter corrigat, si error appareat notabilis, non autem si levior. Ministros nonnunquam juvet, vel etiam, cum opus erit, de agendis prudenter commonefaciat, sed nutu potiùs quàm voce, vel si nutu non possit, submissâ voce id faciat.

Digitized by Google

9. Illi incumbit ministros nondum exercitatos, de suis officiis diligenter instruere. Non permittat unquam ut aliquis non plenè instructus & ad officium suum ritè obeundum non satis comparatus, se ingerat, vel quicquam temerè agat. Sacris ordinibus recens initiatos præ cæteris privatim exerceat, antequam publicè ministrent; ac imprimis novum sacerdotem summâ cum diligentiâ doceat quæcumque ad sacrosanctum missæ sacrificium ritè peragendum attinent, priusquàm ad altare, primam missam cantaturus, accedat.

10. Diebus in quibus occurrunt multæ cæremoniæ ipsis propriæ, ut in majori hebdomadâ, & similibus, si necessarium duxerit, poterit ad missam solemnem, & similia officia interesse cum ministris circum altare, ut indicet cuique quid sit faciendum, ne aliqua suboriatur confusio.

11. Denique tanto studio, & eâ curâ omnibus attendat, ut nihil admittatur unquam, quod domum Dei, & majestatem divini cultûs dedeceat.

Digitized by Google

CÆREMONIALIS PARISIENSIS *APPENDIX.*

CAPUT PRIMUM

De epiſcopo celebrante in pontificalibus.

1. QUando epiſcopus aliquis de licentia D. Archiepiſcopi celebraturus eſt in eccleſiis per diœceſim, eccleſia pro ratione ſolemnitatis ornabitur convenienti & decenti modo.

2. Pro veſperis & aliis officiis, exceptâ miſſâ, primum è ſuperioribus ſtallis chori à parte dextrâ verſùs altare parabitur panno ſerico coloris officio convenientis. In eo ponetur faldiſtorium panno ſerico ejuſdem coloris coopertum ſubſtrato tapete. Ante faldiſtorium, ſuper dorſum ſtalli inferioris expandetur tapete cum pulvinari. Si propter ſtallorum anguſtiam faldiſtorium in ſupradicto ſtallo collocari non poſſit, ad oram ſtallorum ab eâdem parte erigetur tabulatum, & ſuper illud collocabitur faldiſtorium ut ſuprà.

3. Pro miſſa parabitur tabulatum à parte epiſtolæ, & ſuper illud ponetur faldiſtorium medium inter duo ſedilia pro miniſtris ſubſtrato tapete. Parabuntur etiam in plano presbyterii ab utrâque parte, vel è regione faldiſtorii, pro ratione ſitûs locorum, ſcamna vel ſedilia pro ſex vel quatuor indutis ſecundum qualitatem feſti.

4. Pontifex non utetur pallio, nec ante illum deferetur crux archiepiſcopalis, licet dignitate archiepiſcopali præfulgeat. In miſſâ dabit benedictionem ſolemnem ante *Pax Domini* & cætera peraget eodem ritu quo D. Archiepiſcopus quando celebrat in pontificalibus.

Digitized by Google

5. In reliquis iidem ritus ſervabuntur qui notati ſunt prq eccleſia metropolitana quando celebrat D. archiepiſcopus.

CAPUT II.

De prima miſſa novi ſacerdotis.

1. QUando recens promotus ad ſacerdotium primam miſſam celebraturus eſt, paratur altare ornamentis feſto vel tempori convenientibus.

2. Miſſa celebratur ritu ſolemni-minori, niſi feſtum occurrat ſolemne-majus vel ſuprà.

3. In illa præfectus cæremoniarum, vel alius ſacerdos ex peritioribus, fungitur officio diaconi, & celebranti aſſiſtit eum dirigens, & illi omnia demonſtrans, ſi opus ſit. Poteſt etiam idem præfectus cæremoniarum vel alius ſacerdos ſtola à collo pendente & cappa ſerica ornatus, fungi officio ſacerdotis miniſtrantis in miſſa, ſi talis ſit conſuetudo loci, & celebrantem dirigere.

4. Antequam miſſam incipiat, medius inter miniſtros ſacros in infimo gradu flectit genua & profundè ſe inclinat, tum junctis manibus imponit hymnum *Veni Creator Spiritus* choro proſequente & converſo ad altare.

5. Poſt finem hymni ſurgit, cantat verſum *Emitte Spiritum tuum &c.* & ſubdit orationem *Deus qui corda fidelium* ex libro, quem ante illum ſuſtinent miniſtri, & finita oratione miſſam inchoat.

CAPUT III.

De proceſſionibus quadrageſimalibus in eccleſia metropolitana.

OLim tempore quadrageſimæ [illegible]. 2. 4. & 6. cujuſlibet hebdomadæ uſque ad feriam quartam infra hebdomadam paſſionis incluſivè, clerus eccleſiæ metropolitanæ poſt ſextam procedebat ad eccleſias ſtationales in miſſali deſignatas, nunc verò propter concionem, quæ fit in choro ejuſdem eccleſiæ, quando in ſupradictis feriis, non occurrit feſtum ſemiduplex & ſuprà, ante nonam fit proceſſio per circuitum chori: feria 2. cantatur ℟. *Abſcondite eleemoſynam*, fer. 4. ℟. *Emendemus*, & fer. 6. ℟. *In jejunio & fletu.* Proceſſione in chorum reverſâ dicuntur preces & oratio ut in collectario, deinde cantatur antiphona cum verſiculo & oratione de patrono eccleſiæ ad quem fiebat ſtatio.

FINIS.

Digitized by Google

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, à nos amez & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de nôtre Hôtel, Baillifs, Sénéchaux, Juges, leurs Lieutenans, & tous autres nos Juſticiers & Officiers qu'il appartiendra; ſalut. Nôtre tres-cher & bien amé Couſin LOUIS-ANTOINE DE NOAILLES, Archevêque de Paris, Duc de S. Cloud, Pair de France, nous a fait remonſtrer qu'il deſireroit faire imprimer *Les Livres ſervans pour l'Office divin à l'uſage de ſon Dioceſe, tant pour les Eccleſiaſtiques que pour les Laïques; Livres de Prieres, Jubilez, Inſtructions pour gagner le Jubilé, Catechiſmes, Indulgences, Ordonnances, Mandemens, Brefs, Decrets, Monitoires, & autres Actes & Ouvrages pour le bien & l'utilité dudit Dioceſe.* Et daurant qu'il luy eſt important que leſdits Ouvrages ne puiſſent eſtre imprimez par autres Libraires ou Imprimeurs que par celuy qu'il choiſira; il nous a tres-humblement ſupplié d'y pourvoir par les remedes convenables & accoûtumez, en luy accordant pour cet effet nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires. A CES CAUSES, Nous avons permis & accordé, permettons & accordons par ces preſentes à nôtredit Couſin l'Archevêque de Paris de faire imprimer par tel Libraire ou Imprimeur qu'il voudra choiſir, *Les Livres ſervans pour l'Office divin à l'uſage de ſon Dioceſe, tant pour les Eccleſiaſtiques que pour les Laïques; Livres de Prieres, Jubilez, Inſtructions pour gagner le Jubilé, Catechiſmes, Indulgences, Ordonnances, Mandemens, Brefs, Decrets, Monitoires, & autres Actes & Ouvrages pour le bien & l'utilité dudit Dioceſe*; en tels volumes, marges & caracteres, & autant de fois que bon luy ſemblera pendant le temps *de vingt années*, à compter du jour que ces Ouvrages ſeront imprimez: faiſons tres-expreſſes inhibitions & défences à tous Libraires, Imprimeurs & autres perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles puiſſent eſtre autre que celuy que nôtredit Couſin l'Archevêque de Paris aura choiſi pour faire leſdites Impreſſions, ſous quelque prétexte que ce ſoit d'augmentation, correction, changement de titre, Impreſſion étrangere, même de Traductions, à peine de ſix mille livres d'amende payables ſans déport par chacun des contrevenans, de confiſcation des exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages & intereſts; ladite amande applicable, un tiers à Nous, un tiers à l'Hôpital General, & l'autre tiers audit Libraire qui ſera chargé deſdites Impreſſions: à la charge de faire imprimer leſdits Ouvrages ſur de bon papier & en beaux caracteres, ſuivant les derniers Reglemens faits pour la Librairie & Imprimerie; que l'Impreſſion en ſera faite en nôtre Royaume, & non ailleurs; à la charge auſſi de mettre deux Exemplaires dans nôtre Bibliotheque publique, un en celle de nôtre Château du Louvre, & un en celle de nôtre tres-cher & feal le ſieur Boucherat, Chevalier, Chancelier de France, avant que de les expoſer en vente, à peine de nullité des Preſentes, du contenu deſquelles Nous vous mandons que vous faſſiez jouïr & uſer pleinement le Libraire que ledit ſieur Archevêque aura choiſi pour cet effet, & ceux qui auront droit de luy, ſans qu'il leur ſoit donné aucun trouble ni empêchement. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin de chacun deſdits Ouvrages qui ſeront imprimez, la copie des Preſentes, ou l'Extrait d'icelles, elles ſoient tenuës pour bien & deuëment ſignifiées, & que foy ſoit ajoûtée & aux Copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, comme à l'Original. Mandons en outre au premier nôtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'execution des Preſentes, tous exploits requis & neceſſaires, ſans demander autre permiſſion: CAR tel eſt nôtre plaiſir. DONNÉ à Paris le 12. jour de Février, l'an de grace 1696. & de nôtre regne le cinquante-trois. Par le Roy en ſon Conſeil, BOUCHER.

Regiſtré ſur le Livre des Libraires & Imprimeurs de Paris, le 16. jour de Février 1696.
Signé, P. AUBOUYN *Syndic.*

CESSION DU PRIVILEGE.

LOUIS ANTOINE par la permiſſion divine & par la grace du ſaint Siege Apoſtolique Archevêque de Paris, Duc de Saint Cloud, Pair de France, Commandeur de l'Ordre du S. Eſprit: Nous avons cedé & tranſporté, cedons & tranſportons par ces preſentes à Louis Joſſe nôtre Imprimeur ordinaire, le droit de Privilege qui nous appartient, en conſequence des Lettres Patentes de Sa Majeſté, à nous accordées le 12. Février 1696. pour en vertu d'iceluy pouvoir par ledit Joſſe imprimer ou faire imprimer *le Ceremonial* à l'uſage de nôtre Dioceſe, pour en joüir par luy le temps porté par leſdites Lettres. DONNÉ à Paris le 16. jour de Mars 1679. † *Signé* LOUIS ANTOINE Archevêque de Paris. *Et plus bas, par Monſeigneur*, CHEVALIER.

Regiſtrée ſur le Livre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires numero XII. conformement à l'Arreſt du 13. Aouſt dernier, à Paris le 13. Septembre 1703.
Signé, P. TRABOUILLET *Syndic.*

Digitized by Google

CÆREMONIALIS PARISIENSIS

INDEX CAPITUM.

CAPUT PRÆVIUM, *in quo de Prænotandis*, pag. ij. *De modo pulsandi ad Officium*, pag. vj. *De Luminaribus*, pag. vij. *De altaribus*, pag. viij. *De coloribus ornamentorum*, pag. ix. *De præparandis ad Missam*, pag. xj. *De vestibus Ministrorum* ibidem. *De benedictione aquæ in Ecclesia Metropolitana*, pag. xiij. *De Processione Dominicali ante Missam in Ecclesia Metropolitana*, pag. xvj. *De Precibus serotinis extra cursum canonicum, vulgò* Saluts, *pag.* xxj.

PARS PRIMA.

De Cæremoniis communibus.

Cap. I. *De Vestibus.* pag. 1
Cap. II. *De Ingressu in Chorum & Egressu.* 2
Cap. III. *De Modestia servanda in Choro.* 4
Cap. IV. *De Ordine standi in Choro.* 5
Cap. V. *Quando standum in Choro super stalla erecta.* 7
Cap. VI. *Quando sedendum in Choro sedibus demissis.* 7
Cap. VII. *Quando standum in pedes, vel facie ad altare conversâ.* 8
Cap. VIII. *Quando genua flectenda, ubi & de Prostrationibus.* 10
Cap. IX. *Quando caput detegendum aut operiendum.* 11
Cap. X. *De Inclinationibus.* 13
Cap. XI. *De modo ac tempore formandi signum Crucis.* 14
Cap. XII. *De Pectoris Tunsionibus.* 15
Cap. XIII. *De Cantu ac de Pausis.* 15
Cap. XIV. *De Thurificatione.* 17
Art. I. *De Thurificatione in Vesperis.* 17
Art. II. *De Thurificatione in Officio Nocturno, & Laudibus matutinis.* 22
Art. III. *De Thurificatione in Missa solemni.* 22
§. I. *De Benedictione incensi ante Missam,* 22
§. II. *De Thurificatione ante Introitum Missæ.* 23
§. III. *De Thurificatione ad Evangelium.* 27
§. IV. *De Thurificatione chori post Evangelium in solemnibus majoribus & supra.* 28
§. V. *De Thurificatione post Oblata.* 29

Digitized by Google

§. VI. *De Thurificatione SS. Sacramenti ad elevationem Hostiæ & Calicis.* 31
§. VII. *De Thurificatione chori ad osculum instrumenti Pacis.* 31
Art. IV. *De Thurificatione SS. Sacramenti in Altari expositi.* 32

PARS SECUNDA.

De Vesperis & aliis Officiis nocturnis & diurnis.

Cap. I. *DE Vesperis.* 35
Art. I. *De Vesperis Festorum Annualium & Solemnium-majorum.* 35
Art. II. *De Vesperis Solemnium-minorum.* 48
Art. III. *De Vesperis Festorum Duplicium-majorum & minorum.* 51
Art. IV. *De Vesperis Festorum Semi-duplicium.* 51
Art. V. *De Vesperis Festorum Simplicium & feriarum.* 52
Cap. II. *De Completorio.* 54
Cap. III. *De Officio Nocturno.* 55
Art. I. *De Officio Nocturno Festorum Annualium.* 55
Art. II. *De Officio Nocturno Festorum Solemnium-majorum & minorum.* 61
Art. III. *De Officio Nocturno Festorum Duplicium-majorum & minorum.* 62
Art. IV. *De Officio Nocturno Festorum semi-duplicium.* 63
Art. V. *De Officio Festorum Simplicium & Feriarum.* 65
Cap. IV. *De Horis Prima & Officio Capituli, Tertia, Sexta & Nona.* 67
Art. I. *De Prima.* 67
Art. II. *De Officio Capituli.* 68
Art. III. *De Tertia, Sexta & Nona.* 68

PARS TERTIA.

De Missa.

Cap. I. *DE hora Missam celebrandi.* 70
Cap. II. *De Missa Festorum Annualium.* 72
Art. I. *De Præparandis ad Missam.* 72
Art. II. *De Præparatione Celebrantis & Ministrorum.* 73
Art. III. *De Introitu Missæ, egressu Celebrantis è vestiario & ingressu ad Altare.* 74
Art. IV. *De Psalmo* Judica me Deus, *Confessione & aliis usque ad Collectam.* 78
Art. V. *De Collecta, Epistola, & aliis usque ad Evangelium,* 82
Art. VI. *De Evangelio, & aliis usque ad Offertorium.* 85

Digitized by Google

Art. VII. *De Offertorio, & aliis usque ad Canonem.* 93
Art. VIII. *De Canone usque ad Consecrationem inclusivè.* 97
Art. IX. *De reliquo Canone usque ad Orationem Dominicam.* 98
Art. X. *De Oratione Dominica & aliis usque ad Communionem.* 99
Art. XI. *De Communione & aliis usque ad Post-communionem.* 104
Art. XII. *De Post-communione & aliis usque ad finem Missæ.* 109
Cap. III. *De Missa Festorum Solemnium-majorum.* 111
Cap. IV. *De Missa Festorum Solemnium-minorum.* 112
Cap. V. *De Missa Festorum Duplicium-majorum & minorum.* 112
Cap. VI. *De Missa Festorum Semi-duplicium.* 114
Cap. VII. *De Missa Festorum simplicium & Feriarum.* 115
Cap. VIII. *De Missa, cui Diaconus & Subdiaconus ministrant cum unico Acolytho.* 117
Cap. IX. *De Missa, cui ministrat solus Diac. cum uno Acolytho.* 118
Cap. X. *De Missa sine ministris sacris, sed cum duobus Ceroferariis & Thuriferario.* 119
Cap. XI. *De Missa, cui ministrat unicus Acolythus, vel laicus.* 120
Cap. XII. *De Missa coram SS. Sacramento.* 120

PARS QUARTA.

De Ritibus specialibus in Officiis Proprii de Tempore.

Cap. I. *De Tempore Adventûs.* 122
Art. I. *De Dominica prima Adventûs,* 122
Art. II. *De Feria quarta quatuor Temporum.* 123
Art. III. *De Sabbato quatuor Temporum.* 125
Art. IV. *De Antiphonis majoribus O.* 125
Cap. II. *De Vigilia, & Festo Natalis D. N. J. C. & aliis usque ad Septuagesimam.* 128
Art. I. *De Vigilia Natalis Domini.* 128
Art. II. *De Festo Natalis Domini.* 128
Art. III. *De Festo S. Stephani, & aliis usque ad Festum S. Genovefæ.* 131
Art. IV. *De Festo S. Genovefæ.* 134
Art. V. *De Festo Epiphaniæ Domini.* 135
Cap. III. *De Septuagesima & aliis usque ad Fer. 4. Cinerum.* 135
Art. I. *De Dominica Septuagesimæ.* 135
Art. II. *De Dominica Quinquagesimæ.* 137
Cap. IV. *De Feria quarta Cinerum.* 137
Cap. V. *De Tempore Quadragesimæ.* 142
Cap. VI. *De Tempore Passionis.* 143
Cap. VII. *De Dominica Palmarum, & aliis diebus majoris Hebdo-*

Digitized by Google

mada usque ad Triduum ante Pascha. 144
Art. I. *De Dominica Palmarum.* 144
Art. II. *De Feriis tertia & quarta majoris Hebdomada.* 150
Art. III. *De Absolutione solemni, quæ fit à D. Archiepiscopo Feriâ quartâ majoris Hebdomada.* 151
Cap. VIII. *De Officio Tenebrarum tridui ante Pascha.* 152
Cap. IX. *De Feria quinta in Cœna Domini.* 154
Art. I. *De præparandis pro Officio hujus diei.* 154
Art. II. *De Horis & Absolutione.* 155
Art. III. *De Missa & Vesperis.* 155
Cap. X. *De Missa, Consecratione Chrismatis & Olei, ac Vesperis in Ecclesia Metropolitana.* 160
Art. I. *De præparandis.* 160
Art. II. *De Missa usque ad* Nobis quoque peccatoribus. 160
Art. III. *De Benedictione Olei Infirmorum, & aliis usque ad primum* Agnus Dei. 162
Art. IV. *De Benedictione Olei Catechumenorum.* 163
Art. V. *De Benedictione Chrismatis.* 164
Art. VI. *De secundo* Agnus Dei, *& aliis usque ad finem Missæ & Vesperarum.* 167
Art. VII. *De Mandato, distributione panis & vini, & Cœna pauperum in domo Archiepiscopali.* 168
Cap. XI. *De Lotione Altarium.* 169
Cap. XII. *De Mandato, seu lotione pedum.* 170
Cap. XIII. *De Feria sexta Parasceves.* 172
Art. I. *De præparandis pro Officio hujus diei.* 172
Art. II. *De Officio hujus diei usque ad Crucis adorationem.* 173
Art. III. *De Crucis adoratione.* 175
Art. IV. *De reliquo Officio.* 181
Cap. XIV. *De Sabbato sancto.* 186
Art. I. *De præparandis pro Officio hujus diei.* 186
Art. II. *De prima Litania & Benedictione ignis.* 187
Art. III. *De Præconio Paschali.* 189
Art. IV. *De Prophetiis.* 191
Art. V. *De secunda Litania, Benedictione Fontis, & Baptismo.* 192
Art. VI. *De tertia Litania, Missa & Vesperis.* 197
Art. VII. *De Completorio Sabbati sancti.* 199
Cap. XV. *De die sancto Paschæ.* 200
Cap. XVI. *De hebdomada Paschæ in Ecclesia Metropolitana.* 205
Cap. XVII. *De majoribus Litaniis in Festo S. Marci.* 206

Digitized by Google

CAPITUM.

Cap. XVIII. *De Minoribus Litaniis in triduo Rogationum.* 208
Cap. XVIII. bis. *De Festo Ascensionis Domini.* 212
Cap. XIX. *De Vigilia Pentecostes,* 213
Art. I. *De præparandis pro Officio hujus diei.* 213
Art. II. *De Prophetiis, Litaniis, Benedictione Fontis, & Missa.* 214
Cap. XX. *De Festo & hebdomada Pentecostes.* 215
Cap. XXI. *De Festo & Octava Festi Corporis Christi.* 217
Art. I. *De Præparandis pro Processione & Missa.* 218
Art. II. *De expositione SS. Sacramenti, quæ fit ante Processionem.* 219
Art. III. *De Processione.* 221
Art. IV. *De Missa.* 224
Art. V. *De modo recondendi SS. Sacramentum.* 224
Art. VI. *De modo exponendi & recondendi SS. Sacramentum infra Octavam Corporis Christi.* 225
Art. VII. *De die Octava Corporis Christi.* 226

PARS QUINTA.

De Ritibus specialibus in Officiis Proprii de Sanctis.

Januarius, 229. *Februarius*, 229. *Martius*, 232. *Aprilis*, 234. *Maius*, 234. *Junius*, 234. *Julius*, 236. *Augustus*, 240. *September*, 242. *October*, 243. *November*, 243. *De Festo Patroni primarii & titularis*, 246. *De Festo Patroni secundarii*, ibidem. *De Festo Dedicationis Ecclesiæ*, Ibidem.

PARS SEXTA.

De quibusdam Cæremoniis, & Officiis, quæ fiunt extra cursum Canonicum.

Cap. I. *De Expositione SS. Sacramenti.* 247
Art. I. *De Oratione Quadraginta horarum.* 248
Art. II. *De modo exponendi SS. Sacramentum pro Oratione quadraginta horarum.* 248
Art. III. *De modo recondendi SS. Sacramentum.* 249
Art. IV. *De Oratione quadraginta horarum, quæ fit in quibusdam Ecclesiis triduo ante Feriam quartam Cinerum.* 249
Art. V. *De Missa & Salute SS. Sacramenti, quæ fit Feriâ quintâ cujuslibet hebdomadæ.* 250
Cap. II. *De Processionibus.* 251
Art. I. *Quando Processio facienda sit.* 252
Art. II. *De Ordine & apparatu Processionum.* 253

Digitized by Google

§. I. *De Processione, quæ fit ante Missam, intra vel prope Ecclesiam.* ibidem.
§. II. *De Processionibus vespertinis, quæ fiunt intra vel prope Ecclesiam.* 256
Art. III. *De Stationibus.* 257
Art. IV. *De Processionibus, quæ fiunt longè ab Ecclesia.* 258
Art. V. *De quibusdam in cantu observandis.* 259
Art. VI. *De Processionibus, quæ fiunt in quibusdam Ecclesiis tempore Paschali, longè ab Ecclesia.* 259
Art. VII. *De Processionibus, in quibus deferuntur Reliquiæ vel Imagines Sanctorum.* 259
Ar. VIII. *De Processione, qua fit in Translatione, seu Susceptione Reliquiarum.* 260
Art. IX. *De Processione, quæ fit pro diversis necessitatibus, primò ad Ecclesiam Metropolitanam, deinde ad S. Genovefam de monte.* 261
Art. X. *De Processione, quæ fit quando reliquiæ S. Genovefæ deferuntur in Ecclesiam Metropolitanam pro variis necessitatibus.* 262
§. I. *De Præviis.* Ibidem.
§. II. *De præparandis in Ecclesia Parisiensi & aliis ad solemnem Processionem Capsæ reliquiarum sanctæ Genovefæ.* 264
§. III. *De præparandis in Ecclesia S. Genovefæ.* 265
§. IV. *De incessu Processionis Ecclesiæ Metropolitanæ ad Basilicam S. Genovefæ.* 266
§. V. *De incessu Processionis ab Ecclesia S. Genovefæ ad Ecclesiam Metropolitanam.* 268
§. VI. *De Missa.* 270
§. VII. *De modo reducendi Capsam S. Genovefæ.* 272
Art. XI. *De Processionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum.* 273
Cap. III. *De Precibus pro Gratiarum actione.* 274
Cap. IV. *De Precibus, quæ fiunt initio Jubilæi.* 274
Cap. V. *De Missis & aliis Officiis votivis.* 275
Cap. VI. *De Officio Defunctorum.* 277
Art. I. *De Vesperis, & Vigiliis Defunctorum.* ibidem.
Art. II. *De Missa Defunctorum.* 278
Cap. VII. *De Exequiis.* 280
Art. I. *De Commendatione animæ post Decessum.* 281
Art. II. *De Curando corpore defuncti.* 281
Art. III. *De Vesperis, Vigiliis & Laudibus.* 282

Digitized by Google

Art. IV. *De Commendationibus animarum.* 282
Art. V. *De Funere adultorum.* 282
Art. VI. *De Missa in die Obitûs defuncti.* 284
Art. VII. *De Officio Inhumationis sacerdotum.* 285
Ar. VIII. *De Officio Inhumationis ordinario.* 286
Art. IX. *De Officio Depositionis defuncti in Ecclesia Metropolitana.* 287
Art. X. *De Translatione corporis in aliam Ecclesiam.* 288
Art. XI. *De Exequiis parvulorum.* 289

PARS SEPTIMA.

De Ministris.

Cap. I. *DE Officio Sacerdotis Celebrantis.* 291
Art. I. *De Officio Sacerdotis celebrantis ad Vesperas.* ibid.
Art. II. *De Officio Sacerdotis celebrantis ad Completorium.* 292
Art. III. *De Officio Sacerdotis celebrantis ad Officium Nocturnum & Laudes Matutinas.* 293
Art. IV. *De Officio Sacerdotis celebrantis ad Primam,* 294
Ad Officium Capituli. 295
Art. V. *De Officio Sacerdotis celebrantis ad Tertiam, Sextam & Nonam.* 296
Art. VI. *De Officio Sacerdotis celebrantis in Missa solemni & supra.* 296
§. I. *De Præparatione Celebrantis.* 297
§. II. *De Egressu è vestiario, & Ingressu ad Altare.* ibid.
§. III. *De Principio Missæ, & aliis usque ad Collectam.* ibid.
§. IV. *De Collecta, & aliis usque ad Evangelium.* 299
§. V. *De Evangelio, & aliis usque ad Offertorium.* 299
§ VI. *De Offertorio, & aliis usque ad Canonem.* 300
§. VII. *De Canone, & aliis usque ad Communionem.* 301
§. VIII. *De Communione, & aliis usque ad finem Missæ.* 302
Art. VII. *De Officio Sacerdotis Celebrantis in Missa duplici & infra.* 304
Cap. II. *De Officio Diaconi in Missa solemni.* 305
Art. I. *De Præparatione Diaconi.* ibid.
Art. II. *De Egressu Diaconi è vestiario, & Ingressu ad Altare.* ibid.
Art. III. *De principio Missæ, & aliis usque ad Collectam.* 306
Art. IV. *De Collecta & aliis usque ad Evangelium.* 308
Art. V. *De Evangelio, & aliis usque ad Offertorium.* ibid.
Art. VI. *De Offertorio, & aliis usque ad Canonem.* 310
Art. VII. *De Canone, & aliis usque ad Consecrationem inclusivè.* 312

Digitized by Google

Art. VIII. *De reliquo Canone usque ad Orationem Dominicam.* 313
Art. IX. *De Oratione Dominica, & aliis usque ad Communionem.* ibid.
Art. X. *De Communione Cleri, & aliis usque ad Post-communionem.* 314
Art XI. *De Post-communione, & aliis usque ad finem Missæ.* 316
Art. XII. *De Officio Diaconi in Missa duplici, semi-duplici & simplici.* 317
Cap. III. *De Officio Subdiaconi in Missa solemni.* 318
Art. I. *De Præparatione Subdiaconi.* 319
Art. II. *De Egressu Subdiaconi è vestiario, & ingressu ad Altare.* ibid.
Art. III. *De principio Missæ, & aliis usque ad Collectam.* 320
Art. IV. *De Collecta, & aliis usque ad Evangelium.* 321
Art. V. *De Evangelio, & aliis usque ad Offertorium.* 322
Art. VI. *De Offertorio, & aliis usque ad Canonem.* 323
Art. VII. *De Canone, & aliis usque ad Consecrationem inclusivè.* 325
Art. VIII. *De reliquo Canone usque ad Orationem Dominicam.* ibid.
Art. IX. *De Oratione Dominica, & aliis usque ad Communionem.* 326
Art. X. *De Communione, & aliis usque ad Post-communionem,* ibidem.
Art. XI. *De Post-communione, & aliis usque ad finem Missæ,* 328
Art. XII. *De Officio Subdiaconi in Missa duplici & infra.* ibid.
Cap. IV. *De Officio Choristarum.* 329
Art. I. *De Officio Choristarum in Vesperis.* 330
Art. II. *De Officio Choristarum in Officio Nocturno, & Laudibus matutinis.* 334
Art. III. *De Officio Choristarum in stationibus ante Missam.* 336
Art. IV. *De Officio Choristarum in Missa.* 336
Cap. V. *De Officio Thuriferarii.* 340
Art. I. *De Officio Thuriferarii in Vesperis, officio Nocturno, & Laudibus matutinis.* 341
Art. II. *De Officio Thuriferarii in Missa solemnium minorum & supra.* 342
§. I. *De Ingressu ad altare, & aliis usque ad Evangelium,* 342
§. II. *De Evangelio, & aliis usque ad Offertorium.* 343
§. III. *De Offertorio, & aliis usque ad Canonem.* 345
§. IV. *De Canone & aliis usque ad finem Missæ.* 346
Art. III. *De Officio Thuriferarii in Festis duplicibus & infra.* ibid.

Digitized by Google

CAPITUM.

Cap. VI. *De Officio Ceroferariorum.* 347
Art. I. *De Officio Ceroferariorum in Vesperis.* ibid.
Art. II. *De Officio Ceroferariorum in Missa solemnium-minorum, & supra.* 349
§. I. *De ingressu ad Altare, & aliis usque ad Offertorium,* 349
§. II. *De Offertorio, & aliis usque ad Prafationem.* 350
§. III. *De Prafatione, & aliis usque ad finem Missa.* 350
Art. III. *De Officio Ceroferariorum in Missa duplici & infra.* 353
Cap. VII. *De Officio Acolythi Crucem ferentis, & Patenam sustinentis in Missa.* 353
Cap. VIII. *De Officio Clerici Collectarum librum gestantis.* 355
Cap. IX. *De Officio Puerorum chori.* 355
Cap. X. *De Officio Magistri puerorum chori.* 362
Cap. XI. *De Officio Prafecti caremoniarum.* 363

Appendix.

Cap. I. *De Episcopo celebrante in Pontificalibus.* 366
Cap. II. *De prima Missa novi Sacerdotis.* 367
Cap. III. *De Processionibus Quadragesimalibus in Ecclesia Metropolitana.* 367

Addenda & mutanda.

Pagina xvj. *linea* 30. *stola ante pectus.* adde, *decussata. Pag.* xxxiij. *l.* 24. cum stola, *adde* & cappa. *Pag.* 12. *numero* 5. *l. ultima post* Hostiæ, *adde* & in cassibus expressis supra *num.* 2. *Pag.* 35. *n.* 2. *l.* 3. ante & post, *lege*, mediocriter. *Pag* 41. *n.* 42. *l.* 4. *salutat inclinans*, lege, *bis tantum profundè inclinans salutat, licet ab eadem parte stent Episcopi, ut sup. num.* 38. *Pag.* 45. *n.* 73. *l.* 5. & 6. *assurgit*, lege, *assurgit, pedum sinistra sumit, caput inclinat, & post. Pag.* 63. *n.* 12. *l.* 1. *antiphonas imponunt tres pueri*, lege, *antiphonam imponit primus chorista, & primum psalmum beneficiatus sacerdos. Pag.* 92. *n.* 30. *l. ultima, Symbolum*, adde, *eoque recitato sedet, mitram assumit, & cateta perficit ut sup. pag.* 89. n. 15. *Pag.* 97. *n.* 27. *l.* 4. *&* 5. *mitram accipit*, lege, *mitram & pedum accipit, convertit se ad Diaconum, ab eo incensatur, & illum benedicit. Mox pedum reddit, convertit se. Pag.* 111. *n.* 14. *l.* 3. *illumque dextra tenens, & sinistra infra pectus posita*, lege, *illumque utraque manu tenens cantat. Pag.* 126. *n.* 14. *l.* 5. ad chorum, *lege*, ad suam chori partem, & *l.* 7. chorus antiphonam, *lege*, chorus ejusdem partis antiphonam. *Pag.* 127. *n.* 15. *l.* 1. serico, *adde*, violacei coloris. *Pag.* 150. *n.* 2. *l.* 1. velum, *lege*, finito Tractu velum. *Pag.* 170 *n.* 7. *l.* 5. ut supra, *lege*, ut in Missali novo. *Pag.* 204. *n.* 33. *l.* 4. *& illi*, lege, *& fontem, illi inclinat. Pag.* 227. *n.* 5. *l.* 3 & 4. post missam ostensorium linteo coopertum, *lege*, post Missam referet in vestiarium,

Digitized by Google

ubi vino lotam absterget purificatorio. *Pag.* 248. *n.* 4. *l.* 2. ostensorium ponet in medio altaris super corporale, *lege*, velum amovebit ab ostensorio, tum Celebrans. *Pag.* 252. *n.* 11. *l* 1. & 2. *dele*, cum inchoatur antiphona pro ingressu chori, omnes convertunt se ad altare. *Pag.* 277. *n.* 1. *l.* 6. 7. & 8. psalmus *Venite*, præterquam &c. *lege*, psalmus *Venite*; omittuntur absolutiones, benedictiones & tituli lectionum, præterquam in Commemoratione omnium fidelium defunctorum; in qua omissis absolutionibus & benedictionibus, dicuntur Invitatorium, psalmus *Venite*, & tituli lectionum. *Pag.* 278 *n.* 2. *l.* 1. evangeliorum, *adde*, osculandum. *Pag.* 291. *n.* 1. *l.* 5. *post* inclinat. *adde*, Attendat ut initio cujuslibet officii ad versus *Deus in adjutorium*, *Domine labia*, & *Converte nos*, ac etiam in precibus ad versum *adjutorium nostrum*, & ad *Indulgentiam* se signet ritu descripto parte 1. cap. XI. *Pag.* 304. *n.* 12. *l.* 3. ad altare, *adde*, hyeme caput detegit. *Pag.* 360. *n.* 24. *l.* 1. lectiones, *adde*, antiphonas imponunt pueri ut sup. *n.* 21.

Errata.

Pag. xxij. *numero* 5. *l.* 11. post, *lege*, vel post. *Pag.* xxv. *l.* 27. Laudabit, *lege*, Confitebor. *Pag.* xxvij. *l.* 30. *dele* festi. *Pag.* xxix. *l.* 8. *dele*, surgens. *Pag.* xxxij. *l.* 5. ℣. In die illa 2. *leg.* ℣. 2. In die illa. *Pag.* xl. *l.* 15. & Pſ. *lege*. Pſ. & Hym *Pag.* xlvi. *l. penult. dele* prima *Pag.* 3. *n.* 6. *l.* 4. cantatur, *lege*, cantantur. *Pag.* 4. *n* 14. *l.* 3. *Archidiaconus*, lege, *Archidiaconi*. *Pag.* 11. *n* 3. *l.* 1. præmonitus, *lege*, præmonetur. *Pag.* 19. *n.* 10. *l.* 2. salutare, *lege*, salutant. *Pag.* 27. *n.* 6. *l.* 3. inclinas, *lege*, inclinans. *Pag.* 66. *n.* 20. *l.* 2. *quintam & sextam*, lege, *& quintam*. *Pag.* 80. *n.* 15. *l.* 7. mediocri, *lege*, profunda. *Pag.* 86. *l.* 6. *&* 7. *dele*, tuncque thuriferarius incensum mittit in thuribulum. *Pag.* 94. *n.* 8. *l.* 6. *&* 7. veni, *lege*, vini. *Pag.* 118. *cap.* 9. *in titulo* Acolythis, *lege*, Acolytho. *Ibid. n.* 2. *l.* 1. sybolum, *lege*, symbolum, *&* *l.* 2. sedet, *lege*, se fistit. *Pag.* 138. *n.* 9. *l.* 1. benedicit, *lege*, benedixit. *Pag.* 168. *n.* 1. *l.* 1 pontificiales, *lege*, pontificales. *Ibid. n.* 3. *l.* 1. antiphona, *lege*, antiphonam. *Pag.* 169. *n.* 8. *l.* 1. est pueris, *lege*, ex pueris. *Ibid. n.* 9. *l.* 3. *pueri & respondent*, *dele &*. *Pag.* 173. *n.* 1. *l.* 2. decimo, *lege*, nono. *Pag.* 179. *n.* 24. *l.* 10. aodo, *lege*; modo. *&* *l.* 11. d altare, *lege*, ad altare. *Pag.* 188. *n.* 7. *l.* 6. & ignem, *lege*, deinde ignem. *Pag.* 196. *n.* 22. *l.* 1. *Fontes*, lege, *Fons*. *Pag.* 212. CAPUT XVIII. *lege* CAP. XVIII. bis. *Pag.* 213. *n.* 11. *l.* 1. *dele*, Hoc quatriduo. *Pag.* 224. *art.* VI. *l.* 1. *dele*, vel salutem. *Pag.* 236. *n.* 5. *l.* 4. *tione*, lege *oratione*. *Pag.* 238. *n.* 5. *l.* 3. *subterreneum*, lege, *subterraneum*. *Pag.* 244. *n.* 6. *l.* 5. *&* 6. *versiculum*, lege, *versiculus*. *Pag.* 250. *n.* 2. *l.* 3. missa cantabitur, *lege*, ac Missam, quæ cantabitur. *Pag.* 265. §. 3. *n.* 5. *l.* 1. *paractis*, lege *peractis*. *Pag.* 266. *n.* 2. *l.* 7. *Archiscopo*, lege, *Archiepiscopo*. *Pag.* 267. *n.* 6. *l.* 7. *præparatus*, lege, *præparatas*. *Pag.* 271. *n.* 6. *l.* 13. *Ante*, lege, *Ad*. *Pag.* 283. *n.* 3. *l.* 5. & iterum, *dele* &. *Pag.* 284. *l.* 2. Post, *lege*, Post tertium, *&* *l.* 10. versicul, *lege*, versiculi. *Ibid. n.* 2. *l.* 6. de choro à duobus, *lege*, à duobus de choro. *Pag.* 288. *n.* 7. *l.* 1. *Finitior*, lege, *Finitis*. *Pag.* 299. §. 5. *n.* 1. *l.* 6. pergitum, *lege*, pergit. *Pag.* 349. *n.* 4. *l.* 2. *&* 3. credentem; *lege*, Credentiam. *Pag.* 355. C. VIII. *n* 5. *l.* 1. vespera, *lege* Vesperas. *Pag.* 367. *Cap. III. lin.* 2. feriam quartam, *lege*, feriam sextam.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google